PHILOSOPHIA
dignè restituta:
LIBROS QUATUOR
PRÆCOGNITORUM PHILOSOPHICORUM
complectens:

QUORUM

I. Archelogia, de principiis disciplinarum.

II. Hexilogia, de habitibus intellectualibus.

III. Technologia, de natura & differentiis disciplinarum.

IV. Canonica, de modo discendi.

Cursui philosophico LAMPADIS *instar præmissa, & emissa*

à


JOHANNE-HENRICO ALSTEDIO.

AD

Illustrissimam Anglorum Academiam, quæ est Cantabrigiæ.



Herbornæ Nassoviorum. 1612.



ILLUSTRISSIMÆ
APUD CANTABRIGIENSES
ACADEMIÆ
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, MAGNIFICIS, CLARISSIMIS, REVERENDIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, ACUTISSIMIS, ET HONORATISSIMIS VIRIS AC DOMINIS,
DN. CANCELLARIO, RECTORI, THEOLOGIS, JCTIS, MEDICIS, PHILOSOPHIS, DOCTORIBUS ET PROFESSORIBUS CELEBERRIMIS;
DOMINIS SUIS MAJOREM IN MODUM SUSPICIENDIS
S. P. D.
ET
PHILOSOPHIÆ A SE RESTITUTÆ LIBROS
DONAT, DICAT, CONSECRAT
JOHAN-HENRICUS ALSTEDIUS.



ILLUSTRISSIMA,

HUMANITATIS ET PIEtatis ſtudia profeſſa Academia, alterum Anglicanæ Eccleſiæ ſeminarium, lumen regni clariſſimum;



UÆ duo oratores etiam exercitatiſſimos quandoq; metu percellere, & propemodum exanimare ſolent, gravitas rerum, de quibus, & eorum, coram quibus dicunt, dignitas; ea me inpræſentiarum, te ut appellem ſcripto, animant inſigniter. Res, quam tracto, ortu eſt divina, argumento illuſtris, fructu inſignis. Quidni dixerim, ortu divina? Percenſeo enim rudera imaginis divinæ, divinæ illius auræ particulam, &, ut Græci eleganter vocant, ἀποσπασμάτιόν τε καὶ ἀποσκιασμάτιον. Illius, inquam, auræ, quæ poſt lapſum primorum parentum adhucdum per Dei gratiam reliqua eſt in homine. Principia dico, veri & boni regulas, de quibus libro primo hujus opuſculi; & diſciplinas, in quibus grata de Deo ſparſa eſt fama, de quibus in reliquis libris. Argumento etiam eſt illuſtris: quia lampas eſt clariſſima, quam præferre o-

portet omnibus iis, qui ſpatia in curriculo philoſophico conficere feliciter ſatagunt. Satagentia enim in hoc curſu eſt fruſtra, niſi præcognitorum fax præferatur: quum, teſte philoſopho, omnis diſciplina ſit è præcognitis, & veluti anticipatis. Denique hæc ipſa materia fructu eſt inſignis, idq́; quatuor modis. Principiò enim occurrunt, quæ modò dixi, principia, regulæ illæ veri & boni, quæ oſtendunt discrimen turpis & honeſti, quæ docent, quid facias, quid fugias,

——— *quid ſiet utile, quid non*;

quæ denique exiſtunt baſis diſciplinarum, & quia diſciplinarum, etiam univerſæ vitæ. Tolle mihi hæc talia principia, ſive cognitionis illa ſint, ſive actionis, labaſcet protinus vita noſtra, & quia labaſcet, ne vita quidem, ſed ipſiſſima mors, id eſt, caligo & horror, erit. Tolle notitias illas primas, protinus Cyclopica ingenia, facient

Candida de nigris, & de candentibus atra,

hoc eſt, cœlum terræ miſcebunt; adeoq́ue eveniet, quod Homerus de lignis malè compoſitis cecinit, ut videamus

Πολλά τ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε δόχμιά τ' ἐλθεῖν.

Has igitur vitæ noſtræ magiſtras oportet nos paulò altiùs cum animis noſtris repetere & reputare, ſi velimus illas nobis eſſe normas. Qualis enim, amabo, norma, quam non nôris? Nulla certè. Normâ vel circino Geodæta non uteretur, niſi utriusque naturam & utilitatem cogni-

cognitam haberet. Nauta intimè cognoſcit Cynoſuram, regulam illam & ducem ſui itineris. Idem nos faciamus. Principia, inquam, quæ primo libro ab ovo ad mala percenſui, quàm accuratiſſimè cognoſcamus, tū ut nobis, tum ut aliis per nos ſint inſtar fili Theſei, & regulæ, non Lesbiæ alicujus, ſed Lydiæ vereq; Canonicæ, quam in ſcholis vocamus totalem. Partialis enim regula ne regula quidem eſt. Ita fiet, ut principiorum uſum tam directivum, quàm definitivum perſpiciamus, imò asſequamur. Directivus uſus eſt, ut ad prima principia, quà Theologica, quà Philoſophica, ceu infallibilem regulam omnia dogmata dirigantur. Si enim regula ſunt, utiq; regulativa ſunt. Sunt autem regula: quia quod in aliquo genere eſt primum, eſt regula & menſura aliorum. Si principia illa prima ſunt regula, utique definitio regulæ in illa competet, quæ talis; κανὼν γάρ ἐστι μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. Nam menſuram oportet eſſe adæquatam menſurato. Si fides noſtra in divinis, aut ſcientia in philoſophicis brevior vel longior, anguſtior vel latior ſit, quàm principia, principia illa deſinunt eſſe regula: aut ſi ſunt, adæquata illa principiis eſſe neceſſum eſt. Ulna enim non erit ſemiulna reſpectu ejusdem. Definitivus uſus principiorum eſt, ut controverſias, ſive in Theologia, ſive in Philoſophia illæ ſint, ita definiant atque decidant, ut non detur appellatio. Oportet enim disputantes in certo convenire princi-

pio, è quo deducant conclusiones & determinationes suas, & in quod easdem reducant. Hîc simile quid notes in principiis & mari. Quemadmodum è mari omnia flumina exeunt, & ad id redeunt: ita è principiis primis omnes conclusiones deducuntur, & in ea reducuntur. Adeò scilicet verum est, quod docet primus philosophus, unitatem esse mensuram multitudinis. Deinde habituum intellectualium doctrina facit ad assignandum cuilibet disciplinæ denominatum genus, &, quod rei caput est, proponit nobis thesaurarios illorum, de quibus diximus, principiorum, & custodes fidelissimos. Habitus enim hoc loci philosophis, & nobis, qui illorum filii (servi nolumus) sumus, nihil est aliud, quàm principiorum & conclusionum (illorum πρώτως, istarum δευτέρως & ἑπομένως) commune quoddam gazophylacium. Horum habituum principes sunt intelligentia in theoreticis, synteresis in practicis, Theologia & Philosophia in utrisque, fides divina in sacris. Et de his quidem & similibus libro secundo diffusè. Adhæc liber tertius agit de herciscundo disciplinarum latifundio. Jam quemadmodũ interest Reip. ut limites agrorum constituantur: ita & Reip. literariæ interest, ut termini disciplinarum distinguantur à se invicem. Et verò quid jucundius potest accidere iis, qui philosophantur, hac ipsâ theoriâ & tabulâ, quâ vident uno velut obtutu regni sui philosophici pomœria? Certè si datum esset regi, oculis semel & simul

usur-

usurpare regni sui fines & ditiones universas, quâ putas lætitiâ perfunderetur? Multò major est illa animi, quæ est optima nostri pars, lætitia, quâ non potest non perfundi, dum seriem disciplinarum intuetur paulò studiosiùs, & quid sit primo, quid medio, quid infimo loco, videt. Libro deniq; quarto enucleatè traditur modus discendi disciplinas ita descriptas. Hunc modum commendare supersedeo cùm vel τυφλῷ δῆλον, quo loco sit habendus dux, qui monstrat viam, quo loco scipio, qui instrumentum est ducis. Serperastram non commendamus puero. Ergo nec hunc discendi modum iis commendabo, qui suæ cæcitatis & infantiæ sibi probè sunt conscii. Atq; hæc est, Illustrissima mater Academia, gravitas rei, quæ mihi animum addidit, te ut appellarem. Si enim in donis offerendis observandum est decorum, ut ea offeramus, quæ cujusq; personæ adprimè conveniunt; multò magis in libris, chartaceis quidem, si externa, at animi donis, si interna illa spectemus offerendis & inscribendis id observare decorum est. Gravem itaq; materiam iis inscribere volui, qui ipsi graves. Et sic alteram hujus appellationis causam indico, tuam nempe, Illustrissima mater, quâ polles, dignitatem, tuum, quo inter alias Academias velut inter igneis minoreis Luna, illustris es, splendorem. Fateor & alios aliis in locis me habere potuisse hujus scriptiunculæ tutores & curatores, magnificos illos quidem & munificos, sed quem tibi

antehaberem, non potui habere unicum. Splendoris namq; tui, Incluta mater, ſtrictu-ræ me ita calefecerunt, foverunt, animarunt, ut ingratitudinis notam nullo modo ſubterfugere me poſſe mihi perſuaſerim, niſi grati animi teſſeram, & veluti tabellam obligatoriam in templo Memoriæ ſuſpenderem. Quæris forte, alma ſtudiorum mater, unde iſta debitio? Profectò ſi beneficia metirer judicio vulgi, non ita loquerer. Vulgus ea interpretatur duntaxat beneficia, quæ à notis accipit, ſed caduca. Ego alius ſum beneficiorum æſtimator, didiciq́; meminiſſe accuratè eorum, quæ ad animum, optimam mei partem, tranſmittuntur. Talia autem è tuo gremio, Illuſtriſſima Academia, pervenerunt ad animum meum quàm plurima. Sol, mundi ille oculus, abſens præſens eſt nobis. Abſens vaſtâ ſui corporis mole: præſens virtute. Idem de te, mater, mihi dicere liceat. Tu abſens præſens mihi hactenus es, annis abhinc duobus, tribus, quatuor, & quod excurrit. Tu enim Guilielmum Whitakerum, Theologum diſputatorem feliciſſimum in ſinu tuo foviſti. Tu magnum illum Guilielmum Perkinſum literis imbuiſti, imbutum retinuiſti, retentum honoribus auxiſti, magno ſanè ipſius merito. Taceo hîc reliquos tuos alumnos, è quorum ſcriptis omnigenâ eruditione refertis decumani ad me redundarunt fructus. O quàm vellem aliquo ſaltem laudis penicillo depingere nobiliſſimum illud Theologorum par,

beatam illam bigam, Whitakerum & Perkinſum! Verùm prohibet mea partim infantia, partim epiſtolæ hujus ratio, quæ in laudes diffluere me non ſinit. Imò illorum laus jam tanta eſt, famaq; tàm illuſtri poſita loco, ut à me nullo modo illuſtrior reddi poſſit. Dicam tamen, & hoc pace dicam tuâ, Celeberrima Academia, duos hosce Theologos ocellos fuiſſe Britanniæ, & lumina luminis illius, quo tu Britanniam colluſtras. Whitakerus, ſi quid judicare poſſum, in controverſiis, quæ nobis intercedunt cum Pontificiis, eâ dexteritate dicam an felicitate verſatus eſt tractandis, ut omnes boni requiſita disputatoris boni omnia & ſingula in illo fuiſſe volentes, mali nolentes fateantur. Perkinſus in Theologiâ tàm theoreticâ, quàm practicâ planè ſingularis & admirabilis extitit. Huic accepta fero, quæ his in libris diſſero de partibus Theologiæ, nominatim de Catecheticâ, Caſibus conſcientiæ & Propheticâ. Huic accepta fero alia multa, quæ in Chronologicis, quæ in Theologiâ practicâ novi; quæ quanquam ſunt exigua, talia tamen ſunt per Dei gratiam facem mihi allucente Perkinſo, ut pro iis Deo, datori omnis boni, gratias agere debeam; & ſecundùm Deum illis, qui tantum virum habuere domeſticum, imò qui abſolutiſſima illius ſcripta cum Germanis noſtris communicarunt. Tantum hoc eſt beneficium, ut illius ſine interiore animi ſenſu meminiſſe non poſſim. Hinc ergo Tibi, Mater

Illuſtriſſima, debitor factus. Hinc munus, quod vides. Munus, fateor, perexile, ſi meam lucubrationem, tenuiculum; ſi tuum ſplendorem, qui non niſi ſplendida poſcit; at magnum, ſi animum dantis gratum; at maximum, ſi rem ipſam ſpectabis. His accedit, quòd his ipſis in libris Keckermannum, magnum illum philoſophiæ quondam doctorem, aſſerere, & methodum ab illo traditam obſervare ſtudui. Hujus viri ſcripta Anglis placere inde colligo, quòd multa illius ſcripta ab illis ſint typis deſcripta. Magnum hoc interpretor beneficium, quo τοῦ μακαρίτου ſcripta afficitis; & hâc προσφωνήσει gratias ago, non meis, ſed diſcipulorum illius verbis, pro tanto, quo ipſius opera fovetis, favore. Accipe itaq; Illuſtriſſima Academia, levidenſe hoc munus; exiguam hanc opellam ad judicii tui limam exige; eandem, ubi opus eſt, de novo refinge; ſcuto authoritatis tuæ contra Theoninũ livoris dentem defende; perexilem iſtam grati animi officiiq; mei ſignificationem æqui boni conſule, & juxta mecum ſtatue, hanc beneficii eſſe naturam, redire ad eum unde venit. Ad te redeunt, Mater Illuſtriſſima, quæ à te venerunt ad me beneficia. Ad me autem? Imò omneis Germaniæ noſtræ Theologos orthodoxos, qui ſcripta Perkinſi in pretio habent. Profectò unius Perkinſi τοῦ ἐν ἁγίοις causâ meam iſtam cuicuimodi eſt, opellam apud te ſymbolum animi mei ad præſens depono, & in futurum certiſſimi obſequii, prout debeo, pignus,


gnus,

gnus, ſemper tibi ſecundùm Deum præſtandi. Hunc, Illuſtriſſima mater, oro, ut te & totam Britanniam vindicet, defendatq; ab omni malo, bonis omnibus inſtruat, bonum pacis ſtabiliat & firmet apud vos, mediante uncto ſuo JACOBO PRIMO, Sereniſſimo & Auguſtiſſimo Rege, Defenſore fidei Pio, Felice, cujus regnum idem rex regum juſtitiâ ſtabiliat, & ſolium æquitate, adeoq; omnia in vobis omnibus perficiat gratioſiſſimè, quæ ſancta, juſta, & ſalutaria ſunt, ad laudem gratiæ & gloriæ ſuæ. Scripſi Herbornâ Naſſoviorum, ex illuſtri Comitum noſtrorum gratioſiſſimorum Scholâ, ubi Whitakeri veſtri quædam ſcripta typis deſcripta ſunt. Kal. April. anno Gratiæ ∞ IↃC XII.

T. Illuſtriſſ. D. D.

addictiſſimus

Johan-Henricus Alſtedius Profeſſor philoſoph. ibid.



AUTHOR
LECTORIB. S.

Lector benivole, Lector erudite,



Itulus, quem fecimus huic opellæ, videtur tibi forsan arrogans. Ne erres. Arrogantiæ dicam non scribes, consilium ubi audies meum. Recepi ante biennium plus minus, & publicè recepi, me id daturum operam ut universam philosophiam successu temporis methodicè delinearem, delineatam cum mei similibus, id est discendi cupidis communicarem. En specimen mei laboris! Præcognita nempe philosophica eâ, quam temperatam esse volui, methodo conscripta. Temperatam methodum appello, quæ maximam partem acroamatica est, ita tamen ut interdum sit exoterica. Ibi scilicet ubi res postulat. Prudētiæ lex debet esse summa. Sed ita summa, ut etiam sit sub summa, quæ est sapientiæ, lege. Lex prudentiæ est summa, si respiciamus circumstantias, locum, tempus & personas. Lex sapientiæ est summa, si ipsarum rerum accurationem inspiciamus. Utraq;

itaq;

itaq; summa: illa respectu auditorum, ista respectu rerum. Illa ita summa, ut sit sub hâc summâ, non contra illam. Accipe itaq;, lector benivole, hoc scriptum, tenue quidem illud, sed scriptum tamen. Accipe, inquam, velut præmissum universo cursui philosophico, cujus principia, disciplinas, & fundamenta sparsim in his libris posita & exposita. Tu maturè pro maturo tuo judicio me mone, si quid occurrit, quod vel ἀμεθοδίαν, *vel* ἀπαιδευσίαν *redolet. Magnum hoc interpretabor beneficium, idq; in Kalendario scribam more philosophico. Sic lege hoc scriptum, & vale*

Lector benivole, Lector erudite.

Tu verò

Lector invide, Lector indocte,
Lector nimis docte

ita statue, nihil hîc occurrere, quod tibi scripserim. Statue me hominem esse. Statue te hominem esse. Iccircò aut non lege, sic jubeo, aut bono, vel tuo, vel meo, lege. Tuo, ut cognoscas è quibus principiis constituta sit philosophia, quæ illius pomœria, quis illam tractandi modus rectus. Meo, ut me moneas, non mordeas. Profiteor enim an glorior me in illorum catalogo facilè princi-

pem tenere locum, qui meliora docentes amant, & honorant & ſequuntur. Hæc ante rem, & quidem, opinor, non ab re, mihi in hâc Aculeonum & in alienis rebus hoc ævi Curionum ubertate, qui inſcitiæ ſuæ hoſtoriæ, vel eruditione ſtipatiſſimâ rodere audent obvia quæq;, monendus fuiſti,

Lector invide, Lector indocte,
Lector nimis docte.



PRODIDAGMA LAMPADIS PHILOSOPHICÆ.

Scriptores in qualibet facultate sunt vel theorici, *vel* practici. Scriptores in qualibet facultate sunt

Theorici *sunt, qui rerum naturas certis praeceptionibus comprehendunt & veluti penicillo quodam depingunt. Et hi in quatuor classes sunt divisi. Alii namq; sunt* Didactici, *qui per locos communes κατασκευαστικῶς docent. Alii* Polemici, *qui ἀνασκευαστικῶς sua themata & problemata pertractant κατὰ θέσιν κ ἄρσιν sive ἀντίθεσιν. Alii* Analytici, *qui &* Exegetici *sive* Textuales, *qui aliorum scripta retexũt, quod Græcis est βιβλία ὀρθοτομεῖν. Alii deniq;* Methodici, *qui in hoc toti sunt, ut ea, quæ ab aliis sunt inventa, & vel confusè, vel ordine negligentiusculo tradita, redigant in aliquem, si nullus sit, vel meliorem, si negligens sit, ordinem.* I. Theorici iiq; Didactici. Polemici. Analytici. Methodici.

Practici (*latè sumto vocabulo*) *sunt, qui præceptorum traditorum in vitâ humanâ usum ritè ostendunt.* 2. Practici.

Hi omnes & singuli magnam sanè merentur laudem, benè etiam de proximo merentur; maximè tamen Methodici & Practici. Quæ causa & me impulit, ut me conferrem in ordinem Methodicorum & Practicorum. Absit arrogantia dicto, absit invidia verbo. Ego enim in horum talium, quos dixi, scriptorum choro infimas me tenere propalàm lubens profiteor. Quamvis autem multorum sinistra judicia hactenus Scriptores Methodici & Practici præ cæteris excellunt. Protestatio authoris.

experiar: nullâ tamen ratione me ab instituto meo deterreri, patior patiarve cum Deo. Non sum placenta (cum Drusio *loquor) qui omnibus placere queam. Mihi accidit, quod cuidam non illiterato, qui suam sortem hoc modo describit.* Expatiabar, *inquit*, in amœnissima philosophiæ sincerioris vireta, & variis de rebus solicitè cogitabam. Mihi anxio occurrunt Aristoteles, Themistius, & prisci illi philosophi, qui ὁμοθυμαδὸν mihi congratulantur. Unus mihi dubia solvere, alter me hortari, in studiis alacriter pergerem, alius me effusè laudare. Interea temporis, dum hæc à singulis ita fiunt, occurrunt recentiores quidam turgidi philosophi qui, priscis illis obstrigillare, me despicatui habere, mihi fervorem juvenilem, imò puerilem objicere, & deniq; nescio quid non tentare. Quid hîc facerem? Constitutus in literâ illâ Pythagoræ penitùs ignorabam, utram viam insisterem. Tandem utrâq;, quod ajunt, paginâ probè excussâ, priscorum philosophorum admonitioni locum do, atq; adeò me ipse inflammo ad decurrendum, quod ingressus eram, stadium. *Sic ille. O bone vir, hodie si superviveres, deterior te maneret sors! Ego tamen susq; deq; habitis malevolorum cachinnis, scommatis, convitiis, te imitabor, & strenuè in istis, quæ semel ingressus sum, militabo castris. Duce Jehova, Comite Naturâ & Scripturâ, Teste Conscientiâ. Quod igitur Deus Optimus Maximus, Pater ille misericordiarum benè vortat, accendam lampadem, præferam facem philosophicam iis, qui*

Nullius addicti jurare in verba magistri,

liber-

Sors eorũ, qui hodiè ad templũ Honoris anhelant.

libertatem philosophicam amant, eâq; veluti clypeo muniti, ingrediuntur silvam philosophicam in primo limine, in quo varia lustra, feræ indomitæ, & aves rapaces, tenebricosam; sed in penetralibus clarissimam, ubi animalia amicabilia, arbores elegantulæ, fructus dulces, aviculæ dulcisonæ, flosculi suaveolentes visuntur. Adeste ergò, qui satagitis pugnare contra monstra illa IGNORANTIAM, FALSITATEM, CONFUSIONEM, *quæ oberrant in hâc, quam dixi silvâ, & oppressum eunt* SCIENTIAM, VERITATEM, ORDINEM. *Adeste, inquam, & hoc filo Ariadneo utimini in cæco illo labyrintho. Paucis enim vobis ostendam rectam cynosuram & manuductionem, quam secuti non aberrabitis, ut est in proverbio, à januâ. Tu verò, Domine Deus, pater cœlestis, da mihi recta scribere, tibi in honorem, aliis in fructum. Fiat! Fiat!*

Libertas philosophica quid sit?

Tria monstra, contra quæ dimicare debet literarum alumnus.

Tres literarum & literatorum sorores.





JOH-HENRICI ALSTEDI


ARCHELOGIA:

ID EST

PRÆCOGNITORUM PHILOSOPHICORUM

PARS PRIMA:

Quæ tractat de principiis omnium disciplinarum.



Cap I. Definitio Philosophiæ, ejusdemq; duplex ratio.

Philosophię definitio. PHilosophia, *Ciceroni l.2.offic.* est divinarum humanarumq; rerum scientia, earumq; causarum, quibus hæ res continentur. *Confer eundem* 3. de oratore & 1. de legibus. *Dicitur aliàs* ἐγκυκλοπαιδεία, *circulus disciplinarum. Hæc est* latissima *huius vocabuli acceptio, quam nos hoc in loco retinemus. Aliàs accipitur* strictè *pro eâ facultate, quam vulgò distinguunt à tribus reliquis, Theologiâ scilicet, Jurisprudentiâ & Medicinâ. Et quidem vox hæc strictè sumta, vel synecdochicè accipitur pro Metaphysicâ,* Arist.l.1. Metaph.cap.3.& l.11.c.3. & 4. ἐξαιρέτως *scilicet & quâdam* ἐξοχῇ: *vel per restrictionem specialiorem, quatenus* Philoso*phia suo ambitu complectitur partes ut vocant, non autem instrumenta sua, Logicam, Rhetoricam, Grammaticam: vel deniq; per restrictionis ampliationem, quatenus & partes & instrumenta illius continentur ambi-*

Philosophię acceptio latissima & stricta, eaq; triplex.

I. II. III.

ambitu. Nos, ut dictum, retinemus definitionem Ciceronis è Platone desumtam, & hæc habemus pro synonymis, Philoſophia, Encyclopædia, Circulus diſciplinarum, Regnum diſciplinarum: *& nonnunquam strictam acceptionem ultimam usurpamus. Quamvis autem hoc vocabulum,* φιλοσοφία*, non satis sit appositum: nihilominus tamen retinendum esse censemus, ut qui videamus illud ita obtinuisse, ut vix ac ne vix quidem aboleri queat. Pythagoras illud vocabulum invenit, teste* Diogene Laërtio in vitâ Pythagoræ, & Cicerone in proœmio 5. Tuſcul. *Illi enim cùm superbum nimis & insolens* σοφοῦ, *sapientis, vocabulum videretur; Philosophum se appellari maluit; quòd nimirum absoluta sapientia in solum Deum, (ut est apud* Lactantium, *qui hæc recenset) in hominem verò sapientiæ studium & amor cadant.* Plato in Phædro, Snell. in prolegomenis Et hic. Keck. præcognit. philoſ. l. 1. c. 1. *Utut autem laudetur à Platone hæc Pythagoræ modestia: rectiùs tamen fecisset, si simplex ac nativum nomẽ retinuisset. Neq; enim hîc spectandum est, quid homines possimus, aut non possimus, sed indigitanda ipsa rei significatæ natura. Quod si enim vires humani ingenii nomina debeant dare virtutibus & doctrinis, jam nulla virtus aut doctrina futura est, cui nomen* φίλ⊕ *non sit præponendum, nec jam ampliùs fuerit dicendum* δικαιοσύνη, *sed* φιλοδικαιοσύνη, *nec* θεολογία, *sed* φιλοθεολογία, *& sic de aliis.* Keck. d. l. *Sanè Physicus non considerat elemẽta, prout jam sunt, impura illa & mixta, sed ut in se sunt. Ita Ethicus non pensitat virtutes, put à justitiam, liberalitatem Petri, Pauli, sed in genere, formaliter, & ex-*

Vocabulum philoſophiæ cur retinendum, & à quo inventum.

Philoſophiæ vocabulum non ſatis aptum.

Phyſicus conſiderat elementa pura: Ethicus conſiderat virtutes extra ſubjectũ.

Sapientiæ duplex ratio.

tra ſubjectum. Ad eundem planè modum ſapientiæ duplex eſt ratio. Nam aut abſoluta eſt, & ſecundùm ſe; aut ſecundùm quid, quæ dicitur ſapientia in ſubjecto: quæ eſt illa eadem ſapientia abſolutè dicta, modificata pro ratione eorum hominum, quibus ineſt, & ex quâ ſapientes appellantur.

Sapientiæ quæ cadit in Deum, itemq; in hominem, convenientia & Differentia.

Frivolum enim eſt quod Pythagoréi ſolum Deum eſſe σοφὸν *dicunt, & exinde inferunt, nullum hominem eſſe ſapientem dicendum. Imò verò, quia Deus eſt ſapiens, etiam homo eſt ſapiens; utpote conditus ad illius imaginē. Eſt nihilominus diſcrimen, & quidem maximum.* Dei *enim ſapientia* δὶς διὰ πασῶν *diſtat à ſapientiâ hominis, videlicet* ὅσον οὐρανός ἐς' ἀπὸ γαίης. Dei *ſapientia eſt archetypa, æterna, increata, cauſalis ſive originalis, eſſentialis, adeoq; ipſa eſſentia divina: hominis ſapientia eſt ectypa, archetypæ illius* ἀποσκιασμάτιον, *finita, creata, dependens, accidentalis; ita ut vera etiam ſapientia dici poſſit, licet non ſit tanta, quanta* Dei. U*troq; igitur modo* Philoſophia *quàm rectiſſimè vocari poteſt ſapientia, ſive illa conſideretur abſolutè, extrà ſubjectum, ſive in ſubjecto. Illam abſtractam, hanc concretam nominant. Quod dicimus, hoc modo ſe habet.*

Sapientia conſideratur
1. Abſtractè.
2. Concretè.

Quæcunq; ſapientia aut ſcientia in quæſtionem venit, ea conſideratur, vel formaliter, & prout eſt naturâ & genere ſuo, ſimpliciter: aut prout eſt ſubjectivè & compoſitè, quodam modo concreto. Id quod eſt naturâ, & in genere, abſtractum appellatur; quod ſecus, concretum. Id autem quod eſt naturâ & in genere, præſtantius eſt eo, quod concretum eſt: quia nihil habet commixtum, diſpar ſui atq; diſſimile. Sic juſtitia in ſe ſemper eſt una, & eadem; in nullis perſonis, locis, temporibus mutabilis: ſed

eadem

eadem in justo, veluti subjecto, mutationem suscipit. Iccircò de Philosophiâ, sive sapientiâ, dicturos oportet dispicere, ne forma Philosophiæ secundùm naturam & abstractionem ipsius, prout est purissima, admixtione ullius rei concretæ deformetur adulteretúrque, aut fiat, ut ita dicam, ὑπόχαλκος. *Nam si id quod subjecti est, aut secundùm subjectum illius, cum ipsâ matre, ut ita dicam, intemeratâ confuderis; neutrum horum profectò rectè adsecuturus es, nec dignitatem Philosophiæ, nec veritatem subjecti, quod illa generat. Omnino itaque duplicem Philosophiæ rationem constitui à nobis necesse est: quandoquidem ipsa in se naturâ essentiâque suâ aliter observatur, quàm in subjecto illo tenui infirmoque hominum, qui ex perceptione & comprehensione illius Philosophi appellantur. Nobis propositum est agere de Philosophiâ, quam diximus absolutam, & secundùm se. Absolutam autem quum dicimus, consilium nostrum esse ostendimus agere de Philosophiâ absolutè simpliciterque consideratâ, citra admistionem rei alterius, sive subjecti, sive aliarum, undecunque sint, ad eam accedentium. Eapropter etiam hæc Philosophia secundùm se appellari solet, id est, secundùm naturalem conditionem, propriámque ejus essentiam: ita ut nihil alienum in eâ sit, & nihil suum non sit in eâ. Et quia virtutes (ut antè diximus) à naturâ longè sunt præstantiores in seipsis, quàm in subjecto ullo suo, quemadmodũ aliud justitia in se est, aliud justitia hominis cum restrictione, dicta: eò fit, ut Philosophiã secundùm quid appellemus eam, quæ in homine est, & secundùm hominẽ: cujus forma simplex est Philosophia absoluta à nobis dicta. Est igitur Philosop. illa absoluta veluti purissima forma: Philosophia verò*

Cautio, dicturis de philosophiâ, observanda.

ſecundùm quid, veluti forma materiæ ſuperaddita, & pro conditione materiæ ſuæ determinata anguſtiùs. Quum itaq; ſubjectum hujus Philoſophiæ ſit homo, qui ex comprehenſione ejus Philoſophus appellatur, atq; hoc ſubjectum ſummopere vanitate & infirmitate circumfluat; philoſophiam certè ſecundùm quid à philoſophiâ abſolutâ diſtingui accuratiſſimè, intereſt plurimùm tùm veritatis, tùm inſtitutionis noſtræ. Quò magis iniqui videntur, quicunq; hoc tempore non aliam noverunt philoſophiam, quàm quæ ſecundùm homines eſt, in hominibus; & qui ab hominum judicio atq; auctoritate perinde pendent, ac ſi philoſophia illa abſoluta, aut evanuiſſet planè, aut in manus poteſtatemq; hominum mancipii lege deveniſſet.

Philoſophaſtri, qui libertatem philoſophicam vendunt, notantur.

Eſt enim illa forma permanens, non autem ad voluntatem hominis mutabilis; cui omnes homines oportet credere, non autem illam hominibus ignorantibus & infirmis cedere. Contra ſe habet philoſophia in ſubjecto. Ejus enim modus circumſcribi non poteſt: quia & in unoquoq; variat, & inter omnes eſt diverſiſſimus. In unoquoq;, inquam variat: quia recipiens recipit ſecundùm modum receptivitatis ſuæ. *Inter omnes variat: eandem ob cauſam, quia plus in his quàm in illis ignorantia minuitur, & ſcientia invaleſcit: etſi hîc nemo ex omnibus totam formam philoſophiæ perfectæ per omnia comprehendit. Nemo igitur ſibi perſuadeat, ſe perfectè aſſequi poſſe ſapientiæ rationem. Miſeret ſanè me illorum, qui ex quo primùm aliquem guſtum vel minimum ſapientiæ imbiberunt, ſe puros putos philoſophos, & nihil non philoſophū crepare putant, quos* δοκησισόφους *veriùs merito ipſorum appellaveris. Miſeret quoq; me illorum, qui*

Δοξόσοφοι perſtringuntur.

Moroſi no-

qui animadversâ exilitate philoſophiæ in ſubjecto, & multorum philoſophorum (proh dolor!) vanitate nihil non putant eſſe ματαιόλογον: qui homines certatim ruunt in nefariam ματαιότητα, dum in illis ſuis cogitationibus evaneſcunt. Ad hæc mala ritè prævertēda ea tenēda sūt, quæ de philoſophiæ ratione in ſubjecto diximus. Diximus autem, eam variare in omnibus, & inter omneis. Nam ut vaſis pro quantitate ipſorum plus liquoris aut minùs infunditur: ita etiam animi hominum plus aut minus dilatantur virtute Dei, ut fiant capaces cùm aliorum donorum, tùm etiam hujus ipſius ſapientiæ. Quapropter circumſcribi non poſſe hujus philoſophiæ modum, vel potiùs hominum hanc philoſophiam participantium, rectè affirmamus. Cùm enim ſcientia ſit univerſalium, modus autem iſte ſit individuorum ſeu ſingularium, cribro citiùs hauſeris Oceanum, quàm certam ullam hujus rei ſcientiam adipiſcaris. Cùm enim adeò ſit varia ac multiplex ſubjectorum tùm in ſeipſis, tùm inter ſe ratio: omninò etiam variare opus eſt modum hujus ſapientiæ ſubjectis tàm mutabilibus in ſe ac inter ſe differentibus inhærentis. Et quemadmodum natura à tenuiſſimo imperfectionis gradu incipiens paulatim contendit ad ſui perfectionem: ita etiam ſapientia illa in ſubjecto à tenuiſſimo imperfectoq; principio per ſuos gradus atq; incrementa in aliquā perfectionis ſuæ imaginem paulatim producitur. Quapropter hæc quidem philoſophia in ſubjecto appellata ſecundùm gradus perfectionis & imperfectionis definiri nunquam poteſt; quia tàm eſt varia, quàm varia ſunt ſubjecta, quibus ineſt ſecundùm ſingulos gradus imperfectionis ipſius. Veruntamen quia hæc ipſa philoſophia, ut

tantur, qui philoſophica omnia incertitudinis damnant.

Singularium non eſt ſcientia.

Natura progreditur ab imperfectis ad perfecta.

ut in quocunque est, non est magis in hoc philosophia quàm in illo, sed tantùm major aut minor consideratur pro ratione singulorum captus: quemadmodum e.c. brevem quercum non minùs, sed minorem quercum dicimus, quàm altera procera sit. Propterea philosophiam nostram in subjecto secundùm essentiam ipsius licet aliquo pacto definire, citra imperfectionis comparationem. *Hanc itaque rationem observantes, philosophiam hanc nostram, quam in subjecto diximus, definimus in hunc modum*: Philosophia secundùm quid, seu in subjecto, est illa eadem sapientia (absolutè considerata) modificata pro ratione eorum hominum, quibus inest & ex quâ Philosophi appellantur.

Fr. Junius de Theolog. naturâ.

Philosophiæ in subjecto definitio.

THEOREMATA EX PRIMO CAPITE.

I. Philosophia exactè definiri non potest. *Ratio theorematis: quia philosophia non est res unius prædicamenti, sive non est distincta species; sed ex eorum numero, quæ aggregata & collectiva* Logici *vocant. Collectiva autem perfectè definiri non possunt. Nam definitio est unius essentiæ explicatio. Ea propter errant, qui philosophiæ accuratam definitionem, aut dari posse existimant, aut solicitè inquirunt.* Keck. præcog. philos. c. 1. *Confer* Piccol. de introductione in scient. de naturâ.


Collectiva non possunt perfectè definiri.

II. Philosophia est omnis scibilis cognitio. *vel, ut* Casmannus *definit* l. 1. philos. Christ. c. 1. *est ordinata literatæ sapientiæ comprehensio. Plures philosophiæ definitiones habet* Fonseca in 2. Metaph. c. 3. q. 3. s. 2. *Latissimè utplurimũ in hâc nostrâ tra-*

tractatione accipimus hoc vocabulum ſecuti Stoicos, Ciceronem, *quin imò ipſummet* Ariſt. *qui in Metaphyſicis philoſophū eſſe ait eum, qui omnia ſcit,* & l.3. Metaph.c. 2.*contextu* 5. *ait*: καὶ ἔςι φιλοσόφου περὶ πάντων δύνασθαι θεωρεῖν, εἰ γὰρ μὴ τοῦ φιλοσόφυ, τίς ἔςαι ὁ ἐπισκεψόμενος.

Philoſophiæ conſideratio duplex.

III. Philoſophia conſideratur vel formaliter, vel ſubjectivè. *Exegeſis hujus theorematis petatur ex ipſo capite primo. Atq; hoc eſt, quod alii dicunt, philoſophiam conſiderari vel in excellentiæ, vel in temperamenti gradu. Philoſophia, ut & philoſophus, in excellentiæ gradu à nobis conſideratur, & dicitur is, qui eſt* πανεπιςήμων, *etiamſi nullus hujus notæ inveniatur philoſophus. Ita Ethicus definit virum bonum in ſtatu ſeu gradu excellentiæ, etiamſi nullus inveniatur, cui iſta definitio poſſit aptari. Hoc Platonici vocant conſiderare in ideâ.*



Cap. 2. Præcognitorum philoſophicorum ratio.

Philoſophia quî ſit tradenda?

PHiloſophia ita definita plenè & rectè traditur primò per Generalia præcognita, tanquam Alphabetum; pòſt per ſpecialem ſingularum partium Methodum, ſive ſyſtemata, veluti Volumina.

Methodi Encomium & Ratio.

Methodus eſt anima & forma, vallum & foſſa, prora & puppis diſciplinarum. Ejus igitur quàm ſtudioſiſſimi debemus eſſe cultores. Eſt autem optima methodus rerum cohærentium concinna unio menti humanæ repræſentata. Unio *autem eſt diverſorum connexio. Connectuntur ea, quorū alterum ab altero*

pendet, pendent autem posteriora à primis, specialia à generalibus, angusta à communibus. Arist. 5. Metaph.1. 1.Physʃ.54. 6.Topic. c.3. *Ex his efficitur, rectum ordinem progredi à generalißimis per specialia sive subalterna ad specialißima. Proinde hæc est dexterrima tradendæ philosophiæ ratio ac via, si primò instituatur tractatio generalis, in quâ explicentur, quæ sunt prima, generalißima, & communißima; pòst etiam specialis methodus instituatur singularum disciplinarum, quæ sub illis primis, generalißimis & communißimis continentur. Et verò ejusmodi generalem tractationem necessariò præmittendam esse, si methodicè docere velis, gravißimis verbis monet* Aristoteles *statim ab initio* 1.post. analyt. *πᾶσα διδασκαλία καὶ μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως:* omnis doctrina & omnis disciplina discursiva procedit ex anticipatâ seu præmissâ cognitione. *Et* 6.Eth.c. 4. *ἐκ προγινωσκομένων πᾶσα διδασκαλία:* omnis doctrina est ex præcognitis. *Generalem istam doctrinam* Ludovicus Vives, Zabarella & Keckermannus *vocant* præcognita. *Alii προλεγόμενα, προδιδάγματα, προθεωρίαν, prænotiones, præmittenda.*

Præcognitorum necessitas.

Synonyma Præcognitorum.

Præcognitorum philosophicorum Definitio &

Præcognita philosophica sunt anticipata quædam cognitio, seu generalis doctrina, de natura & studio philosophiæ. *Keckerm. in apparatu practico de colligendis locis comm. & in præcognitis philosophicis.*

Distributio.


Natura philosophiæ explicatur Archelogiâ, Hexilogiâ, & Technologiâ.

Studium philosopiæ explicatur Canonicâ

seu

ſeu Methodicâ, quam non ineptè dixeris Panacéam philoſophicam.

Quatuor ergò ſunt præcognitorum philoſophicorum partes, hoc ordine: Archelogia, Hexilogia, Technologia, Methodica. *De quibus ſcribere cum Deo fert animus. Quamvis enim* Fortunatus Crellius *comment. ſuis in* acroamat. Ariſt. Toletus *item &* Pererius, *nobiles Jeſuitæ,* Caſmannus *de Chriſtianâ philoſophiâ,* Keckerm. *in præcognit. philoſoph. de philoſophiâ in genere commentati ſint: ea tamen ita ſunt comparata, ut nos abſterrere non debeant, quò minus ipſi aliquid hac de re pleniùs in uſum ſtudioſorum meditemur. Atq; his ita præmiſſis, ad ſingulas inſtituti noſtri partes accedemus.*



Cap. 3. Archelogiæ definitio.

ARchelogiæ conſiderabimus theoriam & praxin. Theoria ejus continet definitionem & diviſionem. Definitio talis:

Archelogia eſt prima præcognitorum philoſophicorum pars de principiis, ſeu fundamentis omnium diſciplinarum.

Hîc nobis reddenda eſt ratio nominis, tùm oſtendenda neceſſitas archelogiæ. Nomen eſt Græcum, ἀρχηλογία, *q.d.* λόγος περὶ τῶν ἀρχῶν. Αρχαιολογία *eſt quidem vocabulum uſitatum: ſed hoc ſignificat* λόγον περὶ τῶν ἀρχαίων, ſermonem de rebus antiquis. *Aliud ergò excogitandum fuit, nempe hoc,* ἀρχηλογία. *Neq; verò eſt, quòd quis offendatur novitate hujus vocabuli. Æquum enim eſt, ut*

Nomen archelogiæ explicatum.

verba tùm cedant tùm inserviant rebus, quippe quum illa propter has inventa sint.

Necessitas archelogiæ ostenditur.

Necessariam esse hanc archelogiam, sic patet. Quodcunq; de re aliquâ in naturâ positâ cogitari & dici potest, de eo debet esse aliqua doctrina. Keck. l.1. Metaph. cap.1. *Atqui principia sunt talia, de quibus cogitamus & dicimus. Ergo de illis debet esse aliqua disciplina, seu doctrina. Et hæc doctrina pertinet ad philosophiæ vel theoriam, vel protheoriam. Non ad theoriam, quia principia omnium disciplinarum ita sunt comparata, ut ea generaliter sint præcognoscenda. Ergo pertinebunt ad protheoriam. Sed hîc quidam emunctioris naris philosophi contraveniunt, & doctrinam de principiis Metaphysicæ considerationis esse demonstrant. Metaphysica, inquiunt, est sapientia, quæ constituit & prima disciplinarum principia, & iisdem denominata assignat subjecta, id quod omnes uno ore fatentur. Si igitur Metaphysices operæ ista tractatio subjicitur, quid est, quòd ad præcognita philosophica referatur? Præterea Metaphysica τὸ Ens dividit in principium & principiatum, quæ sunt primæ Entis differentiæ. Quò autem pertinet ens, eò etiam pertinent primæ entis differentiæ, per quas ipsum primò dividitur. His hanc comparatam volumus responsionem. Methodus accurata postulat, ut philosophiæ sacris operaturus, & utroq; quasi oculo ad* Alphabetum *ejus (hæc sunt præcognita) respiciat & utrâq; manu distincta ejus* volumina *(hæc sunt specialia Systemata) verset. Jam quod est Alphabeti philosophici, non est compingendum in aliquo volumine philosophico. Doctrina antem ista de principiis est alphabetaria. Continet namq; prima omnium*

An Metaphysica, & quomodo tractet principia disciplinarum inferiorum?

Philosophiæ alphabetũ & volumina.

disci

disciplinarum, etiam ipsius Metaphysices, elementa, semina, fundamenta. Sed, inquiunt, Metaphysica contemplatur ens, quod est primum principium incomplexum. Rectè sanè dicunt, ens esse primum principium incomplexum. Si ens est principium, utiq; hic terminus principium *debet præcognosci. Et nulla disciplina probat suum subjectum, sed ex aliâ disciplinâ, ubi probatum est, precariò accipit. Ita Metaphysica non probat suum objectum, videlicet Ens, sed illud accipit ex Archelogiâ, in quâ præcognoscitur. Pergunt: Si principium & principiatum sunt primæ Entis differentiæ, utiq; de utroq; in Metaphysicâ agendum fuerit. Concedo totum. Res considerata in multis disciplinis potest occurrere, sed modus considerandi unus idemq; esse nequit. Aliter metaphysicus considerat principium, aliter ὁ ἀρχηλόγος, ut ita dicam. Sed quantum & quale sit discrimen inter Metaphysicam & Archelogiam, præstat ex ipsâ archelogiâ cognoscere. Uno verbo eam sic ostendo κατ' ἀντίθεσιν.*


Nulla disciplina probat suum subjectum.

Res considerata non est confundenda cum modo considerationis

Metaphysica considerat	Archelogia considerat
1. Ens in latitudine.	*1. Principia, & incomplexa & complexa.*
2. Entis modos unitos & distinctos, ceu principia inferiorum disciplinarum incomplexa.	*2. Modos non attingit.*
3. Entis species, ubi inferioribus disciplinis aßignat subjecta.	*3. Entis species non delibat.*

Neq; etiam de hujusmodi principiis in Dialecticâ docendum. Ex his relinquitur, quòd sit archelogia, &

quòd pertineat ad præcognita philosophica, & quòd necessaria sit. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. *Sanè observamus istum canonem*: Entia non sunt multiplicanda sine manifestâ necessitate. *Item*: Quod commodè potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura. *Nam nisi manifesta necessitas,* πειθανάγκην *Græci vocant, nos urgeret, nulli Archelogiam à Metaphysicâ sejungeremus. Ea, quæ omnibus disciplinis, etiam Metaphysicæ, sunt communia, tradenda sunt in præcognitis. Talia sunt principia, quæ deinceps* ξὺν θεῷ *describemus. Propria autem cujusq; disciplinæ principia non sunt hujus loci.*



Cap. 4. Aristotelis sententia de principiis disciplinarum.

Archelogiæ divisio.

DEfinitionem Archelogiæ excipit divisio, quâ principia dividuntur in certas classes. Divisio ista est vel vulgaris illa & minùs accurata, seu exoterica; vel acroamatica & exquisita.

Vulgaris illa & exoterica principiorum divisio est multifaria. *Nobis stat sententia præcipuas doctorum, tàm veterum, quàm recentiorum distributiones* ὡς ἐν τύπῳ *colligere, mutatis mutandis, & adhibito lumine methodi. Omnium primus nobis adest Aristoteles, cujus Archelogia ita se habet.*

Archelogia Aristotelis, ex ejus scriptis hinc inde congesta.

Principia essendi & cognoscendi.

Principia sunt vel essendi; *termini illi simplices*; vel cognoscendi *termini putà complexi, seu integræ propositiones, per quas tanquam digniores & notiores alia cognoscuntur.* 1. Top. c. 1. §. 6. 1. post. c. 2. & 8.

Prin-

Principia complexa ſunt duplicia, φυσικὰ & θετικά.

Φυσικὰ naturalia, ſunt, quibus intellectus humanus nativâ proprietate aſſentitur ſine prolixiore declaratione, *de quibus tractat* Ariſtot. ſub finem lib. 1. poſt. Principia φυσικὰ quæ ſint.

Suntq; vel ſpeculativa, vel practica.

Speculativa ſunt, quæ ad contemplationem immediatè pertinent: *ut, Impoſsibile eſt idem eſſe & non eſſe; Totum eſt majus ſuâ parte.* Principia ſpeculativa.

Practica ſunt, quæ pertinent ad vitæ & morum honeſtatem: *ut, Parentes ſunt colendi*: *Non eſt faciendum alteri, quod tibi fieri non vis*: *Vim vi repellere licet.* Principia practica.

U*traq; Ariſtoteles vocat* δυνάμεις συμφύτας. Galenus *eleganter* κριτήρια φυσικὰ, Damaſcenus *ex philoſophis veteribus & Mathematicis vocat* κοινὰς ἐννοίας. *Vocantur &* καταλήψεις φυσικαί, *anticipationes & inclinatones naturales.* Keckerm. ſyſt. logic. l. 2. c. 2.

Θετικὰ principia ſunt, quæ in diſciplinis ponuntur, ad earum concluſiones notificandas & probandas: *quæ* Ariſt. 1. poſt. c. 2. *dividit in hypotheſes & definitiones, vocatq; generali nomine theſes, ſicut contrà principia* φυσικὰ *vocat* ἀξιώματα. Principia θετικά.

Cap. 4. Sententia Galeni de principiis.

G*Aleni doctrinam ita circumſcribimus, è* Peucero, *qui eam ſtudioſiſsimè adumbravit* in comment. de divinat. generibus in titulo de Aſtrol. Archelogia Galeni.

Omnis demonstratio orditur & procedit à duorum principiorum alterutro, quorum unum φαινόμενα, manifesta, *à Galeno nuncupata complectitur, quæ sub sensum cadunt & apparent: alterum, τὰ κεκρυμμένα, seu recondita.*

Principia φαινόμενα.

Τῶν φαινομένων, principiorum quæ manifesta sunt, *quædam primo statim se occursu sensui declarant, quæ percipimus ac dijudicamus instrumentis nobis à naturâ ingeneratis, cujus generis sunt alba, nigra; amara, dulcia; dura, mollia: quædam propriis quibusdam notis sese exhibent, sensúq; inchoantur, sed perficiuntur observatione & usu. In hoc genere* συμπαρατήρησις, congruens multorum observatio, *principatum obtinet.*

Principia κεκρυμμένα.

Τὰ κεκρυμμένα, occulta, *aut à naturâ animis nostris sunt infixa, natáq; nobiscum, & præscita, atq; approbata, communi omnium hominum intelligentiâ, quæ eam ob causam,* ἐναργῆ, evidentia, *vocata sunt, nimirum* ἀξιώματα, προλήψεις, κοιναὶ ἔννοιαι, axiomata, anticipationes, *id est,* antecepta animo rei informationes, seu communes notitiæ: *item affirmata & demonstrata.*

Demonstratio διότι & ὅτι.

Hæc demonstrationem gignunt τοῦ διότι, ejus quod causam rei explicat, *appellatam: illa alteram* τοῦ ὅτι, ejus quòd res sit. *Utraq;* ἀρχὰς, principia, *Græci vocant. Utrorumq; ad cognitionem usus adeò necessarius, ut si alterutra desint quacunq;, in errorem continuò prolabamur, versemurq; perpetuò in ignoratione plurimarum rerum. Rectè de sensu Aristoteles ait:* αἴσθησις ἐκλέλοιπεν, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἐκλελοιπέναι: quod si sensus

ſus aliquis defecerit, neceſſe eſt, & ſcientiam aliquam deſiderari.


Præter has ſenſuum perceptiones notionesq́ conſignatas in animis, aliam quandam ceu inchoatam cognitionem itidemq́ à naturâ inditam, mox naſcentes afferimus, quam icc irco & προγνωσιν & γνῶσιν aliqui, id eſt, prænotionem *vel* cognitionem, *Ariſtoteles* προϋπάρχουσαν γνῶσιν, *quaſi* anticipatam & præſumtam notionem *vocat: nimirum intellectum ordinis, counexionis, & cohærentiæ partium, in Inductione & Syllogiſmo. Nam, ut eruditè Ariſtoteles inquit*, μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ συλλογισμῷ, diſcimus aut inductione, aut ratiocinatione. Ἐπαγωγὴ, inductio, *à ſenſu comprehenſis progreditur ad univerſalia:* Συλλογισμός, ratiocinatio, *ex univerſalibus, aut naturâ notis, aut antè demonſtratis, vel Inductione, vel Syllogiſmo, conficit concluſiones.*

Intellectus ordinis pertinet ad intellectum principiorum.

Duo diſcendi modi ex Ariſtotele.
I. Inductio.
II. Syllogiſmus.

Intellectus utriusq́ naturâ ineſt. Cognitionem à ſenſibus exorſam, & ἐπαγωγῇ, inductione, *acquiſitam ac confirmatam tali, quã regit* γνῶσις, cognitio, πεῖραν, experientiam, *Galenus: alteram ex univerſalibus vel inſitis naturâ, vel demonſtratione comparatis, vel inductione conſtitutis, ſyllogiſticâ ratione texentem eruditas concluſiones, tali etiam, quam regit* γνῶσις, *cognitio*, λόγον, rationem *nominat. Hæc duo artium omnium conſtituit* κριτήρια, judicandi organa ſeu normas. *Sic de principiis Peucerus è Galeno.*

Duo diſciplinarum κριτήρια juxta Galenum, πεῖρα καὶ λόγος.



Cap. 6. Sententia Melanchthonis de Principiis.

Archelogia Melanchthonis.

Nunc adesdū nobis, pia anima, communis præceptor Germaniæ, optime Melanchthon, & nos plenius de principiis erudi: pace tuâ liceat mihi ἐν συνόψει adumbrare, quæ habes l.4.Dial.pag.233. editionis Witebergensis quæ prodiit anno 1571.

Κριτήρια doctrinarū tria ex Melanchthone.

In philosophiâ & omnibus artibus, de quibus lux humani ingenii per sese judicat, tres sunt normæ certitudinis: Experientia universalis, Principia, id est, notitiæ nobiscum nascentes, & Intellectus ordinis in judicandâ consequentia. *Hæc tria Stoici eruditè contexuerunt, & nominarunt κριτήρια doctrinarum.*

I. Experientia universalis.

Experientia universalis dicitur, cùm de iis, quæ sensu percipiuntur, sani omnes eodem modo judicant: *ut, ignem esse calidum, fœminam párere; aliud esse vitam, aliud mortem; vinum & piper, habere vim calefaciendi. Hæc vera esse, non est dubium, quod his duabus regulis ostenditur. 1. Quia cùm sic natura condita sit, opus Dei tale esse affirmandum est. 2. Quia dato opposito sequitur destructio universæ naturæ. Acquiescunt ergò sanæ mentes in iis, quæ universali experientiâ animadversa sunt, & sciunt non esse repugnandum. Nam dissentire à manifestâ experientiâ, est Deo bellum inferre, gigantum more: quia perinde est, ac si quis neget hunc naturæ ordinem à Deo conditum esse. Qualis furor est, fingere incertum esse, utrùm fœmina pariat, an masculus?*

θεομαχεῖν & γιγαντομαχεῖν quid sit apud philosophos.

ſculus? Item cum Anaxagorâ aſſerere, nivem eſſe atram. Si occurrant hujusmodi cyclopicæ & monſtroſæ naturæ, quæ negant manifeſta quæq; v.g. ignẽ urere, illæ tamdiu igni torquendæ ſunt, ut ait Ariſt. *donec fateantur ignem urere.*

Cyclopicæ naturæ diſputant contra experientiam.

II. Principia.

Principia (*ſecundum κειλήϱιον*) vocantur notitiæ nobiscum naſcentes, quæ ſunt ſemina ſingularum artium, divinitus inſita nobis, ut inde artes extruantur, quarũ uſus in vitâ neceſſarius eſt. *Sicut enim lumen in oculis conditum eſt ad cernenda corpora: ſic in mente quaſi lumen ſunt hæ notitiæ, quibus intelligimus numeros, ordinẽ, proportiones, figuras, & conteximus ac judicamus has primas propoſitiones: Totum eſt majus quâlibet ſuâ parte: cauſa non eſt poſterior effectu ſuo: delicta turbantia ordinem, qui eſt nervus ſocietatis, punienda ſunt. Tales ſententiæ, vocantur principia, & dicuntur eſſe per ſe notæ ſeu evidentes, eisq; aſſentimur ſine ullâ confirmatione, ſicut anteà de experientiâ univerſali dictum eſt. Sunt enim lux divinitùs inſita mentibus, & dato oppoſito, ſequeretur naturæ deſtructio. Si numeri conturbentur, ſequetur infinita confuſio rerũ & actionũ. Ita ſi hæc ſententia deleatur; Delicta turbantia honeſtam ſocietatem, punienda ſunt, funditùs intereat neceſſe eſt genus humanũ. Sit igitur infixum animis, principia, h.e. has naturales notitias congruere cũ mente divinâ, & transfuſas eſſe divinitùs in homines, ac ꝓpterea veras, certas & immotas eſſe, & rectrices vitæ, & ex eis artes extrui, ac in quâlibet arte ita plurimùm ꝓficere diſcentes, ſi hos fontes quærant, & ad hæc exordia revocare præcepta ſtudeant. Imò in hâc communi vitâ præluceant hæ*

Principia per ſe ſunt evidentia.

Diſcentes debent habere rationem principiorum.

sententiæ præcipuæ actionibus, & gubernent vitæ consilia. Aristoteles utilitatem horum talium principiorum his verbis commendat: αἱ ἀρχαὶ μεγέθει οὖσαι μικραὶ, τῇ δυνάμει μεγάλαι εἰσὶν, *id est,* principia, quamvis magnitudine parva sint, tamen facultate sunt magna. l. 5. de generat. animal. c. 7. *Et alibi magnâ cum venustate in laudatione horum principiorum, ad ea accommodat dictum,* ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς, *& addit, has* ἀρχὰς *plus esse quàm dimidium totius. Voluit enim discentes ad fontes doctrinarum deducere, & ad quærendam causam certitudinis. Etsi autem mens rudis, & adhuc tenella, vim & amplitudinem talium sententiarum minùs considerat; tamen postea, ubi commonefactio, usus, ætas, accesserunt, hanc divinam lucem propiùs aspicimus, & agnoscimus esse divinam sapientiam, eamq; magis admiramur ac amamus, & ad eam vitæ consilia & artium præcepta referimus. Monitos igitur velim studiosos, ut studiosè investigent principia illa, è quibus* deducuntur, *& in quæ* reducuntur *omnes omnino conclusiones.*

Dimidium plus toto; quî intelligat Arist.

Duæ principiorum utilitates.

III. Intellectus Syllogismi seu ordinis.

Tertium κριτήριον est, intellectus ordinis & consequentiæ in Syllogismo rectè coagmentatis membris. *Id omninò addendum est superioribus. Nam hominum vitæ non satis esset, nosse simplices propositiones, ut sunt principia, & sententiæ per experientiam notæ. Ideò Deus addidit hanc lucem, ut mens componat, jungat convenientia, & distrahat ea, quæ non conveniunt, & in eâ collatione plura inveniat, antea nondum animadversa.*

Ac ne aberremus, semel Deus monstravit ordinem & metas, quas in tali compositione servari necesse est. Hæ metæ vocantur Syllogismi rectè facti, quorũ fun-

damentũ est regula ꝓportionum, aliàs aurea, & corruptè De tri, pro De trib. Etenim inter primos Syllogismos sunt Syllogismi arithmetici, in quibus ꝑspicuitas consequentiæ est omniũ maxima. Naturâ namq; notæ sunt ꝓportiones. In harũ collatione, Syllogismi ordine positis tribus numeris, quartũ sequi necessum est: ut,

Fandamentum syllogismorum est regula proportionum.

Qualibet libra valet unâ drachmâ; vel, Quot sunt libræ, tot sunt drachmæ.

Hîc sunt libræ decem.

Ergo decem drachmæ erunt pretium.

U*t autẽ proportio, quæ naturali luce mentis judicari potest, ostendit consequentiã in talibus Syllogismis arithmeticis valere, & immotã esse: ita in cæteris Syllogismis valere consequentiã, & immotam esse, conspicitur ex demonstrationibus nõ procul accersitis, sed obviis & evidentibus, quæ diximus principia, quæ referuntur in Dialecticis ad dictum de omni, & de nullo.*

Principia ista bifariàm dividuntur.

Ex materiâ sũt alia speculabilia, alia practica.

Dictum de omni & de nullo est principium regulativum Syllogismorum.

Speculabilia sunt notitiæ naturales, seu propositiones veræ, naturâ notæ, ex quibus Physicæ ac Mathematicæ doctrinæ extruuntur: *ut, Totum est majus suâ parte; Quæ sunt uni æqualia, inter sese sunt æqualia, seu, quæ conveniunt uni tertio, inter se conveniunt; Si æqualia demas æqualibus, residua erunt æqualia.*

Duplex principiorũ Divisio. Prima est, quâ principia sunt I. Speculabilia. II. Practica.

Practica vocãtur notitiæ naturales, seu propositiones naturâ notæ, quæ regũt hominum mores: *ut, natura humana intelligit discrimẽ honestorũ & turpiũ, divinitùs insitum mentibus. Homo est conditus ad societatem, quia solus non gignit; conveniens est homini tueri societatem colendâ justitiâ.*

Secunda principiorum divisio, quâ dicuntur alia esse priora, alia posteriora.

Deinde principiorum alia aliis illustriora, aut etiam priora sunt, alia posteriora. *Illa vocantur ἀξιώματα & κοιναὶ ἔννοιαι, hæc hypotheses. Sic v.g. philosophia moralis ex physicâ assumit hanc propositionem: natura hominis condita est ad certum finem. Id in physicis confirmatur, non in Ethica; sed recipitur tanquam hypothesis, id est firma propositio, aliunde assumta, ut sit inchoatio doctrinæ moralis.*

Principia practica eâdem certitudinis & claritudinis luce radiant, quâ theoretica.

Ut autem principia Arithmetica & Geometrica, & demonstrationes inde factæ firmæ & immotæ sunt: ita sciamus, revera principia practica & demonstrationes inde factas, firmas & immotas esse. Ut assensus firmus & perpetuus est, quo assentior huic propositioni; bis bina sunt quatuor: ita firmo assensu homines amplecti oportebat hanc propositionem: Non esse faciendum furtum. Sed in hac caligine minùs illam divinam lucem aspicimus, & pravi affectus languefaciunt assensionem in practicis materiis. Ideò

Cynicorum error de principiis practicis.

Cynici sustulerunt principia practica, & demonstrationes practicas, qui dixerunt, nihil esse naturâ justum, sed tantùm opinione, id quod & falsum est & contumeliosum adversus Deum.

Quartum principium, videl. scriptura supervenit Naturæ.

Et hæ quidem sunt causæ certitudinis, quas in philosophiâ quæri necessum est. Nos autem in Ecclesiâ Dei præter has, quas recitavi, causas, & hanc tenemus, scilicet patefactionem divinam, *certis testimoniis factam, quæ extat in libris Propheticis & Apostolicis. Etsi autem mens humana faciliùs assentitur iis, quæ naturali luce cernit: tamen simili constantiâ omnes homines assentiri oportebet sententiis à Deo patefactis. Sicut enim sine dubitatione asseveramus*


mus

mus bis 4. esse 8: ita statuendum est, Deum excitaturum esse homines mortuos. Sed multi audacissimè repugnant divinis oraculis, ut Epicurei & alii. Pars tamen generis humani assentiuntur; quæ assensio dicitur Fides.

Duplex autem est patefactionis divinæ modus. Alia quidem est Legalis; de faciendis & fugiendis; alia Evangelica, de credendis. Duplex est patefactionis divinæ modus.

Atq; ita doctrinam Melanchthonis breviter & perspicuè delineavimus.

Huic adjicere placet sententiam Nicolai Hemmingii, qui diligentissimus & gravissimus fuit Philippi discipulus, & Victorini Strigelii, qui est omniũ interpretum Dialecticæ Melanchthonianæ dexterrimus.



Cap. 7. Sententia Hemmingii de principiis.

HEmmingius in aureo libro de lege naturæ hæc summatim habet de principiis.

Principia sunt, vel contemplationis, vel actionis. Archelogia Nicolai Hẽmingii.

Principia contemplationis sunt, ex quibus scientia rerum manat. Principia contemplationis.

Suntq; vel incomplexa, vel complexa.

Incomplexa sunt notiones simplices: *ut unũ, verum, aliquid, bonum, ens, non-ens, affirmatio, negatio, causa, effectus.* Incomplexa &

Complexa, sunt notiones compositæ: *ut, esse aliquid, aliquid non esse, hoc esse, aliud esse: totum* Complexa.

quodlibet est majus quâlibet suâ parte: nihil fit sine causâ: natura nihil facit frustrà.

Principia actionis.

Principia actionis, seu practica, sunt ex quibus ratio morum, & actionum secundùm virtutem petitur.

Suntq; itidem duplicia, videlicet notiones simplices & compositæ.

Incomplexa & Complexa.

Simplices; *ut, bonum, honestum, justum, utile, expetendum, fugiendum, malum, turpe.*

Compositæ; *ut justa sunt expetenda, injusta fugienda, honesta amanda, turpia vitanda, virtus est laudabilis, vitium est vituperandum, & hujusmodi multa, quæ Syllogismorum practicorum prima λήμματα & materia sunt.*

Hîc breviter ostendendum est, cur necesse sit fidem primis istis principiis haberi, tametsi à priori sint ἀναπόδεικτα. Prima namq; principia probari non possunt.

Certitudo principiorum tribus modis cernitur.

Certitudo itaq; immota principiorum tribus modis cernitur.


I. Lumine naturæ quod est mentibus humanis inditum.

Principiò notitia principiorum est lumen divinitùs impressum mentibus hominum. *Sicut enim omnes homines non cæci vident hunc solem, & dum ipsum vident, necessariò vident lucem: ita omnes homines sani, naturæ lumine, quod Deus in naturâ hominum accendit, vident honestũ esse expetendum, inhonestum fugiendum: quod qui negat, cum ratione insanire censendus est, & stultior Anaxagorâ, qui nivẽ nigram esse contendit, contra omnium hominum consentientem & universalem experientiam. Sanè qui negat hæc principia, non est audiendus, juxta illud:* Contra negantem principia non est disputandum.

dum. *Oportet enim disputatores convenire in certis quibusdam principiis. Sic v.g. disputaturus cum Judæo, non afferet Novum Testamentum; congressurus cum Turca vel Gentili, non librum Scripturæ, sed Naturæ urgebit.*

Deinde principiorum certitudo ostenditur ex contradicentium collatione. *Omnes enim sani intelligunt, duo contradictoria simul vera esse non posse. Nam si una contradictoria enunciatio vera est, altera necessariò falsa est: ut contradicentes enunciationes sunt; honesta sunt expetenda, honesta non sunt expetenda. Quis adeò stultus est, ut dicat utramq; enunciationem esse veram? Si igitur vera erit hæc: honesta sunt expetenda: utiq; falsa erit illa contradicens, honesta non sunt expetenda.* II. Contradicentium collatione.

Tertiò principiorum certitudo evincitur collatione effectuum contrariorum. *Est enim extra omnem controversiam positum, ea quæ conservant naturam, naturam requirere, & ea quæ naturæ inimica sunt, eandem aversari. Quid enim sui destructionem appetit? Quid non potius in hoc incumbit totis viribus, ut se conservet? Proinde cùm honesta & justa conservent naturam, & contraria eam destruant: sequitur, honesta & justa secundùm naturam esse, inhonesta verò & injusta contra naturam. Quare ut illa naturâ duce sunt expetenda: ita hæc eâdem monstrante, sunt repudianda. Hæc triplex ratio certitudinem principiorum immotam esse convincit.* III. Effectuum contrariorum collatione.



Cap. 8. Sententia Strigelii de principiis.

Archelogia Victorini Strigelii.

SEquitur doctrina Strigelii de principiis. Deus Optimus Maximus cùm conderet hominem, sparsit in mentem humanam radios sive rivulos suæ lucis & sapientiæ. Hi sive radii sive rivuli divinæ sapientiæ vocantur principia, id est, notitiæ nobiscum nascentes. Formale principium horum principiorum est lumen naturale, de quo non possumus multa dicere. Sicut enim miramur lucem solis & stellarum & lumen oculorum, quo discernuntur objecta; nec tamen rationem mirandæ hujus lucis, sive in stellis, sive in oculis penitus perspicimus: ita magis mirari, quàm explicare possumus formale principiorum. Horum autem principiorum causæ finales sunt numero quatuor. Prima; ut sint testimonia de Deo. Etsi enim multa sunt testimonia de Deo in totâ rerum naturâ: tamen præcipua sumuntur à mente humanâ, & à notitiis naturalibus. Secunda; ut discernant nos à bestiis. Tertia; ut regant hanc vitam civilem. Ex practicis enim principiis extruuntur leges civiles, & omnes honestæ sententiæ de moribus. Omnes libelli gnomologici Theognidis, Phocylidis, Hesiodi, & innumerabiles alii, qui continent honestas de moribus sententias, sunt rivuli deducti ex fonte principiorum practicorum. Quarta; ut gignant honestas artes, quarum usus in vitâ est necessarius: ut, notitia numerorum gignit Arithmeticam; notitia figurarum gignit Geometriam.

Lumen naturæ est principium formale.

Principiorum causæ finales quatuor.

1. 2. 3. 4.

Hujusmodi principia trifariàm dividuntur.

Triplex principiorum divisio.

Principiò ſunt ſpeculabilia; *quæ gubernant ſcientiam*; *vel* practica; *quæ gubernant actiones morales.*

I. Sunt ſpeculabilia, vel practica.

Deinde alia ſunt communia, alia propria. Communia dicuntur, quæ pluribus ac diverſis ſcientiis accommodari poſſunt: *ut, totum majus eſt ſuâ parte: ſi ab æqualibus æqualia auferas, quæ relinquētur, erunt æqualia.* Propria vocantur, quæ certis ſcientiis ſerviunt: *ut, in arte medicâ, contraria ſunt contrariorū remedia: in Jurisprudentiâ, injuſtiſſimum eſt cum alterius detrimento locupletari: item, nihil tam congruum eſt vitæ, quàm ſervare homines illa, quæ inter ſeſe pacti ſunt, ut eſt vox* Papiniani JCti de pactis. *In Ethicâ: virtus conſiſtit in mediocritate.*

II. Sunt Communia.

Propria.

Tertiò principia ſunt 1. φαινόμενα, *uti ſunt ſenſuum objecta. 2.* κεκρυμμένα, *principia naturaliter nota. 3.* γνῶσις, *id eſt,* intellectus ordinis & connexionis *ſeu conſequentiæ in inductione & ſyllogiſmo. Quicquid enim diſcitur, ut rectè monet Ariſtoteles, aut inductione, aut ſyllogiſmo cognoſcitur. Ac inductio quidem à ſenſu comprehenſis progreditur ad univerſalia: ut, hic ignis urit, ille ignis urit, iſte ignis urit: nec poteſt dari contrariū exemplum. Ergo omnis ignis urit. Syllogiſmus verò ex univerſalibus aut naturâ notis conficit concluſiones: ut, Omnis homo eſt animal rationale. Petrus eſt homo. Ergò eſt animal rationale. Porrò cognitionem à ſenſibus inchoatam, & inductione acquiſitam, quam regit* γνῶσις, *id eſt,* intellectus ordinis, πεῖραν, experientiam *Gale*

III. Sunt φαινόμενα, κεκρυμμένα καὶ γνῶσις.


Duo modi diſcendi ex Ariſtotele.

Inductio quid?

Syllogiſmus quid ſit?

Γνῶσις regit πεῖραν καὶ λόγον.

nus



Cap. 8. Sententia Strigelii de principiis.

Archelogia Victorini Strigelii.

SEquitur doctrina Strigelii de principiis. Deus Optimus Maximus cùm conderet hominem, sparsit in mentem humanam radios sive rivulos suæ lucis & sapientiæ. Hi sive radii sive rivuli divinæ sapientiæ vocantur principia, id est, notitiæ nobiscum nascentes. Formale principium horum principiorum est lumen naturale, de quo non possumus multa dicere. Sicut enim miramur lucem solis & stellarum & lumen oculorum, quo discernuntur objecta; nec tamen rationem mirandæ hujus lucis, sive in stellis, sive in oculis penitus perspicimus: ita magis mirari, quàm explicare possumus formale principiorum. Horum autem principiorum causæ finales sunt numero quatuor. Prima; ut sint testimonia de Deo. Etsi enim multa sunt testimonia de Deo in totâ rerum naturâ: tamen præcipua sumuntur à mente humanâ, & à notitiis naturalibus. Secunda; ut discernant nos à bestiis. Tertia; ut regant hanc vitam civilem. Ex practicis enim principiis extruuntur leges civiles, & omnes honestæ sententiæ de moribus. Omnes libelli gnomologici Theognidis, Phocylidis, Hesiodi, & innumerabiles alii, qui continent honestas de moribus sententias, sunt rivuli deducti ex fonte principiorum practicorum. Quarta; ut gignant honestas artes, quarum usus in vitâ est necessarius: ut, notitia numerorum gignit Arithmeticam; notitia figurarum gignit Geometriam.

Lumen naturæ est principium formale.

Principiorum causæ finales quatuor.

1. (Prima)
2. (Secunda)
3. (Tertia)
4. (Quarta)

Hujusmodi principia trifariàm dividuntur.

Triplex principiorum divisio.

Principiò sunt speculabilia; *quæ gubernant scientiam; vel* practica; *quæ gubernant actiones morales.*

I. Sunt specu-labilia, vel practica.

Deinde alia sunt communia, alia propria. Communia dicuntur, quæ pluribus ac diversis scientiis accommodari possunt: *ut, totum majus est suâ parte: si ab æqualibus æqualia auferas, quæ relinquētur, erunt æqualia.* Propria vocantur, quæ certis scientiis serviunt: *ut, in arte medicâ, contraria sunt contrariorū remedia: in Jurisprudentiâ, injustissimum est cum alterius detrimento locupletari: item, nihil tam congruum est vitæ, quàm servare homines illa, quæ inter sese pacti sunt, ut est vox* Papiniani JCti de pactis. *In Ethicâ: virtus consistit in mediocritate.*

II. Sunt Communia.

Propria.

Tertiò principia sunt 1. φαινόμενα, *uti sunt sensuum objecta. 2.* κεκρυμμένα, *principia naturaliter nota. 3.* γνῶσις, *id est,* intellectus ordinis & connexionis *seu consequentiæ in inductione & syllogismo. Quicquid enim discitur, ut rectè monet Aristoteles, aut inductione, aut syllogismo cognoscitur. Ac inductio quidem à sensu comprehensis progreditur ad universalia: ut, hic ignis urit, ille ignis urit, iste ignis urit: nec potest dari contrariū exemplum. Ergo omnis ignis urit. Syllogismus verò ex universalibus aut naturâ notis conficit conclusiones: ut, Omnis homo est animal rationale. Petrus est homo. Ergò est animal rationale. Porrò cognitionem à sensibus inchoatam, & inductione acquisitam, quam regit* γνῶσις, *id est,* intellectus ordinis, πεῖραν, experientiam *Galenus*

III. Sunt φαινόμενα, κεκρυμμένα καὶ γνῶσις.

Duo modi discendi ex Aristotele.

Inductio quid?

Syllogismus quid sit?

Γνῶσις regit πεῖραν καὶ λόγον.

nus vocat: alteram ex universalibus seu insitis naturâ texentem eruditas conclusiones, quam regit eadem γνῶσις, λόγον, *id est*, rationem, *nominat*. *Eodē sensu Stoici tria disciplinaruum* κριτήρια *agnoscunt, quæ sunt*, αἴσθησις, πρόληψις, γνῶσις.

Tria disciplinarum κριτήρια juxta Stoïcos.

I. Αἴσθησις.

Αἴσθησις Stoicis est Experientia universalis, *quæ duas ob causas certa est*. 1. *Quia natura sic à Deo est condita*. 2. *Quia dato opposito, sequitur destructio naturæ.*

II. Πρόληψις.

Πρόληψις est notitia principiorum. *Hæc autem notitia certa est*. 1. *Quia est lumen naturale, insitum humanis mentibus divinitùs*. 2. *Quia dato opposito, sequitur destructio naturæ.*

III. Γνῶσις.

Γνῶσις deniq; est intellectus ordinis in consequentiâ judicandâ: *qui non est in bestiis, ut quidā voluerunt. Nam ubi non est notitia numerorum, ibi non est intellectus ordinis; cùm ordo regatur numeris. Ordo enim est dispositio & collocatio, quam gubernat numeratio.*

Quinque classes principiorum.

Præterea principia hactenus enumerata, rediguntur ad quinq; classes. Nam omne principium, aut est ἀξίωμα, *aut* θέσις, *aut* ὅρος, *aut* ὑπόθεσις, *aut* αἴτημα. Arist. l.1. Anal. post. cap.12.

I. Ἀξίωμα.

Ἀξίωμα est sententia, quæ omnibus vera videtur: *unde &* κοινὴ ἔννοια, communis notio, *vocatur: ut, totum est majus suâ parte. Sicut enim viro gravi assentimur propter authoritatem: sic* ἀξιώματα *sunt* ἀξιόπιστα, fide digna, *quibus omnes assentimur naturaliter, sine contradictione, sine dubitatione, sine disputatione. Est igitur* ἀξίωμα *communissima sententia, naturâ nota, de quâ nemo sanus dubitat.*

II. Θέσις.

Θέσις, positio, est principium τεχνικὸν, quo uti-

utimur in artibus, ſive quod operâ docentis innoteſcit: *ut, punctum eſt, cujus pars nulla eſt: circulus quilibet conſtat gradibus 360. Dicitur principium* τεχνικὸν *ad discrimen axiomatis, quod eſt principium* φυσικόν.

Ὅρος, definitio, eſt quæ rem genere & differentiâ explicat: *ut, homo eſt animal rationale.* III. Ὅρος.


Ὑπόθεσις, eſt propoſitio, quæ etſi demonſtrationem habet, tamen ſine demonſtratione ponitur: *aliàs dicitur* propoſitio conceſſa: *ut, omnes anguli recti, ſeu per crucem oppoſiti, ſunt æquales. Sic e.g. Phyſicus demonſtrat hanc propoſitionem, Natura agit propter finem, hoc argumento: Si ars agit ꝑpter finẽ, multò magis conſentaneũ eſt, naturam agere ꝑpter finẽ. Ethicus autem Philoſophus utitur hâc hypotheſi ſine demonſtratione. Hîc obiter moneo, quod phyſici naturæ attribuunt, id propriè loquendo Deo naturæ authori tribuendum eſſe: ſicut quod arti tribuitur, propriè loquendo ad hominem arte præditum ſeu artificem pertinet.* IV. ὑπόθεσις.

Αἴτημα, poſtulatum, eſt propoſitio, de quâ artifex cum auditore aliquamdiu paciſcitur: *ut, Ad quodvis centrum & intervallum deſcribere circulum. Non enim ſolent Mathematici omnia docere, ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, quò faciliùs quæ volunt explicent.* Cic. l.3.offic. U*tuntur autem Mathematici poſtulatis, quoties problemata demonſtrare volunt: axiomatis verò in demonſtrandis theorematis. Hîc obiter notari velim discrimen inter theoremata & problemata Mathematicorum,* V. Αἴτημα.

Theorema & problema differũt apud Mathematicos.

Theorematis	Problematis
1. *Finis est speculatio.*	*Finis est opus aliquod, ut pictura trianguli, inscriptio circuli.*
2. *Demonstratio petitur ex axiomatis.*	*Demonstratio petitur è postulatis.*
3. *Enunciatio est hypothetica,* Si: *ut, si fuerit triangulum.*	*Enunciatio fit per infinitivũ: ut,* circulo quadratum inscribere.
4. *Clausula est:* quod demõstrasse oportuit.	*Clausula est:* quod fecisse oportuit.

Exempla peti possunt ex Euclide, & aliis Mathematicis.



Cap. 9. Sententia Francisci Junii de principiis.

Archelogia accuratissimi Theologi, Francisci Junii.

V*Ideamus nunc sententiam Francisci Junii de Principiis, quam expreßit in libro de politiæ Mosis observatione.*

Principium essendi & cognoscendi.

Principium est vel essendi, *ut Deus*; vel cognoscendi. Principium cognoscendi est regula recta omnis cognitionis.

Principium cognoscendi æternum.

Estq; vel æternum; *putà conceptus immutabilis formaq; rationis in Deo principe Universitatis existens ante omnia tempora*; aut informatum & traditum in tempore.

Principium cognoscendi in tempore est I. Naturale.

Quod in tempore, aut principium naturale est, aut naturæ adveniens.

Principium naturale est, quod veluti innatum creaturis ratione præditis, informat eas notionibus naturæ communibus, aliquâ participa-

ticipatione adumbrantibus æternũ illud principium.

Quod naturæ advenit, id adnaſcitur, aut infunditur: hoc divinum, illud humanum appellamus, principium. II. Naturę adveniens, idq; Divinum, vel Humanum.

Hîc videmus tria principia: principium ſummum, *& principem regulã principiorum, legem illam divinam æternam:* principium innatum, *& regulam illam ad exemplum legis æternæ in nobis naturaliter informatam, quam legem naturalem, generali notione, appellamus:* Principium deniq; ad nos ſuperveniens gratiâ, *quod verbum Dei, ſeu legem divinam, itidem latè accepto vocabulo Legis, nuncupamus. Atq; hæc tria principia unum ſunt quodammodo, ſi ad rem ipſam reſpexeris. Nam illud ipſum quod lex æterna ordinat divinitùs & perfectiſſimè, lex naturalis teſtatur pro naturæ modo, & lex divina ſupra naturæ modum captui noſtro accommodat. Quapropter reſpectu noſtri unum principium videtur eſſe: quia una eademq; ratio in conſcientia communiter à tribus hisce principiis terminari ſolet. Veruntamen quia ex principiis illis ſecundùm rationem procedunt concluſiones, in quibus eruendis infirma hominum ratio plerumq; labitur, & res puras in principio ipſarum impurat actu ſuo, propterea noſtrum eſt accuratè inter hæc principia diſtinguere. Nam non omne quod ex principiis à naturâ inditis, aut à Deo revelatis concluditur, idem principio vel fundamento eſt ſecundùm formam rationis æternæ ordinatum. Plurima enim inter principia illa & concluſiones noſtras impura intercidunt tenuitate intellectus, & infirmitate rationis noſtræ. Si verò con-*

Tria cognoſcendi principia pulcerrimè ſibi ſubordinata:
I. Lex æterna.
II. Lex naturæ.
III. Scriptura.
Habitudo mutua triũ iſtorũ principiorum.

Infirmitas humana labitur in eruendis concluſionib. è principiis.

clusiones purè deducantur è suis principiis, illæ ex vi suorum principiorum, à quibus procedunt, suam certam immutabilitatem habent. Sic v.g. est principium æternum & immutabile, secundùm æternam, immutabilem, & divinam legem, Deum esse colendum; & cultum divinum ei soli tribui oportere, optimè concluditur purè ac sine ullo vitio ex illo principio. Ex hâc *autem conclusione generali iterum purè nectuntur hæ duæ: una, neq; doctrinam, neq; doctorem avocantem à vero Deo & cultu ipsius audiendum esse: altera, non esse ferendos eos, qui arte nefariâ Deo vero renunciaverint; & qui alteri res divinas tribuant, aut beneficia, quæ quidem nunquam nisi divina sunt, communicationesq; & revelationes à Dæmonibus postulent.*

Conclusionum firmitas pendet à firmitate principiorũ.

Hæ conclusiones tàm sunt necessariæ, quàm principia ipsa; nisi quòd principia per se firma sunt, conclusiones verò ex principiis illis suis, quæ antè diximus, demonstrantur. Ita & conclusiones & principia fundamentum habent ab æternâ, & naturali, & divinâ lege.

Duo principia fundamentalia Jurisprudentiæ.

Ita JCti hæc duo principia: neminem lædendum esse: item, honestè vivendum esse; veluti columina & bases Juris humani posuerunt. Ex priore illo principio *conclusio hæc purè conficitur: Ergò nihil, quo lædi quisquam possit, committendum esse, ut, non esse furandum; & particulariter illa lex, quæ est Deut. 22. v. 8.* Cùm ædificabis domum novã, tùm facies loricationem ad tectum tuum, ut reatum sanguinis non imponas domui tuæ.

Syrarum ædium ratio.

Quia enim Syrarum ædium ea fuit ratio, ut in tecto earũ commodè ambulare posses, non fuit committendum, ut vita cujusquam de tecto periclitaretur: quemadmodũ omninò fuisset eventurũ, si tecta ambulatoria ejusmodi fuissent

ſent ἄφρακτα, & loricatione aut repagulis in ambitu caruiſſent. Ex *poſteriore autẽ principio: honeſtè vivendum eſſe: procedit hæc concluſio:* Ergò *& honeſtas naturæ convenienter ſecundùm rationẽ cujusq; naturalem in toto vitæ inſtituto, & in ipsâ quoq; ſpecie vitæ colenda eſt quàm diligentiſſimè. Quo argumento utitur* Paulus *1. Cor. 11. v. 13. 14. 15. Statuit enim Apoſtolus us, veſtigia Moſis imitatus, naturam ipſam non ſolùm æqui boni, verùm etiam honeſtatis, itemq; ordinis, & ſpeciei ad honeſtatem pertinentis, certiſſimam magiſtram eſſe; quo ex principio rectè concluditur, nos in ratione boni & honeſti imitatores naturæ eſſe oportere, non autem re aut ſpecie convellere inſtituta illa naturæ, cujus auctor* Deus *eſt. Manet igitur quòd hæc tria principia unum principium quodammodo ſint: cùm æterna ratio una ſit, quæ & naturalem ingenerat, & divinam infundit legem.*

Natura eſt noſtra magiſtra, juxta S. Paulum Apoſtolum.

Prætereà cùm in ſcripturis duplex oſtendatur ratio naturæ, una integræ, *in quâ protoplaſti fuêre conditi;* altera depravatæ, *in quam iidem lapſi ſunt, & nos ſucceſſimus: non dubium eſt, quin alius modi fuerit in naturâ integrâ informatio naturalis, & communes notiones illius, atq; nunc in hâc corruptâ eſt. Verumtamen quia nihil jam ad rem præſentem attinet de primigeniæ illius naturæ atq; incorruptæ lege & informatione diſpicere, omiſſâ diſtinctione illâ, agedum communiter de iſto naturæ opere videamus.*

Natura eſt integra, vel corrupta.

Notionum ergò communium *(quas philoſophi veteres* κοινὰς ἐννοίας *ſive* προλήψεις *appellabant) duo ſunt genera.*

Principiorum naturę duo ſunt genera.

Unum, de fine ad quem agimur naturali lege; alterum, de iis quæ ad finem eundem pertinent. Finis autem rationis illius practicæ, in juſto & injuſto poſitæ, proprius, eſt Bonum (*ſicuti rationis theoreticæ, verum*) *ac proinde legis naturalis primum & ſummum præceptum eſt, bonum, velut finem naturæ, proſequendum & faciendum eſſe, averſandum malum.* Notiones verò ad finem illum pertinentes trium ſunt generum, *prout eſt triplex ordo inclinationum à naturâ in nobis diſpoſitus.* Harum enim aliæ univerſales ſunt, *quibus ſubſtantia qualibet fertur ad bonum ſecundùm naturam, ad ſui conſervationem adhibens quæ ſunt commoda, & depellens contraria conſervationi ipſius.* Aliæ communes animantium, *quas natura omnia animalia docuit, ut propagationi & conſervationi ſpeciei ſuæ ſpecies ſingulæ inſerviant, cujusmodi ſunt conjunctio maris & fœminæ, liberorum educatio, & ſimilia multa.* Aliæ deniq; particulares hominis, ſecundùm naturam rationis, quâ animantibus cæteris antecellit; quibus homo tùm ad ſcientiam cognitionémve Dei, & rerum omnium, tùm ad vitam inſtituendam naturâ duce inclinat, ut aſſequatur bonum. *His ergo inclinationibus ne cæcus quodammodo homo raperetur, notiones quoq; naturæ communes adjecit Deus, & in hominibus ſingulis impreſſit, quæ lex eſſent homini ad res illas naturaliter inclinanti: ut homo, tanquam ſubſtantia una individua, de ſuo eſſe (ut ita loquamur) diſpiceret; tanquam animal, de ſuâ ſpecie; tanquam homo, de ſuâ cognitione & vitâ cum ratione informandâ.*

Finis rationis practicæ proprius.

Notitiæ naturales ſunt

I. Univerſales omnium creaturarum.

II. Communes omnium animantium.

III. Particulares hominis.

Homo tribus modis conſideratur.

Harum

Harum verò notionum, quas natura humanæ communiter inditas affirmamus, duas omnino partes statuimus; quarum unam principiorum, *alteram* conclusionum *communium nomine designamus.*

Notitiarum naturalium duæ sunt partes, principia & conclusiones.

Principia ea dicimus, quæ per se nota sunt, & immota, & (*quemadmodum Scholastici vocant*) indemonstrabilia, *id est* (*ut meliùs Græci dixerunt*) ἀναπόδεικτα: *quemadmodum, exempli causâ, principium scientiæ est innatum menti, Deum esse: in vitâ,* τὸ εἶναι *nostrum, speciem nostram, justitiam conservandam.*

Conclusiones communes appellamus eas, quas ratio naturalis præeunte naturę luce conficit ex principiis: *ut, Deum colendum esse; nostræ vitæ, speciei, justitiæ adjumenta esse procuranda. Sic ad opus naturæ, homini sanctus ille mundi oculus prospexit lege naturali convenientissimè, cùm principia, media, & finem naturæ tantâ commoditate circumscripsit in singulorum mentibus, & à principiis (quæ inclinationes illas naturales generant) ad conclusiones ducens commodissimè justum finem proposuit, ad quem naturâ duce nos omnes ferri fuerat æquissimum.*

Harmonia admiranda inter principia, media, finem naturæ.

Hactenus de principiis naturalibus, sequuntur ea, quæ superveniunt naturalibus. Nam principiis naturalibus duas fieri accessiones oportuit, ut humano generi, tùm ad præsentem hanc vitam nostram, tùm ad futuram illam consuleretur. *Nam quia principia naturalia sunt rerum communium, singuli autem nostrûm res illas communes in particularibus & sin-*

Principia secundùm naturam adventitia sunt duûm generum.

gularibus occupamus, alteram principiorum naturalium appendicem necesse fuit adhiberi, secundùm quam particularia & singularia ad principia communia dirigantur. Quia verò nemo homo intra naturæ terminos constitutus supernaturalem vitam & gratiam naturalibus principiis cogniturus fuisset, superiora naturalibus principiis necesse fuit adhiberi. Utriusq; in causâ est nostra imperfectio. Nam cùm principia naturalia in nobis imperfecta sint, & nos etiam tantâ imperfectione & infirmitate laboremus, ut quò magis ad singularia venimus, eò amplius in turpes indignosq; defectus ab ipsis principiis naturalibus delabamur, ex necessitate videndum fuit, ut certæ veluti sepes, & cancelli circumponerentur nobis humano subsidio, ne à naturalibus principiis aberraremus temerè. Cùm autem supra naturam nos evehere gratiosè Deus institueret, præscripsit etiam principia supernaturalia.

Principium adventitiū vel adnascitur, vel infunditur.

Itaq; quod principium naturæ advenit, sive naturali principio, id aut adnascitur, aut infunditur. Adnasci autem nihil aliud est, quàm naturâ quasi protrudente accedere ad principia naturæ: infundi nihil aliud, quàm ex superno principio supra nos omnes & naturam nostram derivari; *id quod fit, vel in statu viæ, vel in statu patriæ, ut eleganter loquuntur Dd.* Ex *eo autem omnino sequitur, quemadmodum reipsâ* παραφυὰς adnascens surculus, *inferior est trunco, cui adnascitur, & ab eo pendet: ita principia illa naturæ adnascentia naturalibus principiis*

infe-

inferiora esse, & eidem ancillari: è diverso autem, superiora illa, quæ supernè adveniunt, esse naturalium veluti arbitros. Quapropter hæc divina, *illa* humana *principia appellamus. Divina autem hæc principia omninò ab æternis illis distinguenda sunt. Sunt quidem æterna principia (quæ anteà nobis definita sunt) divina, imò magis divina: sed hîc principia divina secundùm quid appellamus, cum circumscriptione aut determinatione quadam. Etenim per æterna illa principia intelligimus eam sapientiæ divinæ rationem, quæ homines instituit in perceptione ipsius, ut eâ perceptâ ad obsequium justum, faciendis justis, contrariisq; fugiendis, adducantur communis boni contemplatione, in quo etiam privatum & particulare situm. Quapropter hæc est æterna illa lex, regina, præses, princeps, & justorum injustorumq; regula, cui politicas animantes & sociales omnes opus sit conformari. Hæc enim regula per se regula est, non autem dono, communicatione, aut participatione aliena: hæc æterna atq; divina est, eaq; principium universale: & exemplar regularum omnium: hæc immutabilis, ac proinde (ut cum Scholasticis loquamur) nunquam ab aliâ ullâ regulatur. Regulam enim aliis omnibus adhibet constantissimam, ipsa una & eadem indesinenter permanens, non alia hîc, & alia alibi, nec aliâs aliter (ut Augustinus loquitur) sed æternitatem suam veritatemq; immutabilem in Deo super res omnes regulasq; asserens ab omni mutatione atq; interitu. Enimverò cur non habeatur æterna & immutabilis*

Principia divina non sunt confundenda cum æternis

Bonum est commune, vel particulare.

Principium æternum est ipsa Dei sapientia, adeoq; simpliciter divinum.

regula regularum omnium, cùm nihil aliud sit principium sive lex ista quàm ipsissima Dei sapientia, rationem justi & injusti in rebus creatis ad imaginem ipsius determinans? Ex *hâc igitur immotâ & constante regulâ, quæ essentialis est majestatis divinæ illius: per communicationem & participationem quãdam aliæ omnes regulæ, & ab hâc (ut ita dicamus) regulatæ in rebus creatis exciterunt, aliæ tacito quodam modo atq; instinctu informatæ, aliæ verò traditæ apertâ quâdam, sive Dei, sive eorum, penes quos fuit authoritas, testificatione: ac proinde hoc unum æternum dicitur principium, reliqua in tempore extitisse.*

Præterea sicut notionum naturalium duo genera posuimus, nimirum principia & conclusiones ex principiis per ratiocinationem assurgentes: ita eandem rationem à Dei gratiâ communicante notiones supernaturales observari nemo pius negaturus est. Sunt enim principia supernaturalia, supernaturali virtute inspirata & infusa à Domino, *& conclusiones ex principiis iisdem ostenduntur nobis, qui credimus supernaturali modo.* Nam *etsi principia naturalia & naturales conclusiones secundùm rationem humanam insunt hominibus: tamen alia principia supra naturam inspirari atq; infundi à Deo oportuit; ut finem illum, ad quem supra naturam ordinati sumus, & veritatem, quæ ad finem certò perductura est, possemus cognoscere.* Finis, *Deus est; juxta regulam, Summa causa efficiens & finalis est eadẽ. Deus ergò est ille finis* ἀκατάληπτ©; incomprehenibilis, *nisi prout sese à nobis comprehendendũ ipse præbuerit.* Veritas, *quæ ad finem illum nos perductura est,*

Notitiæ supernaturales sunt, vel principia, vel conclusionis.

Finis supernaturalis.

est, nemini per naturam, aut vi naturæ potuit innotescere: præsertim verò ex quo tenebris ignorantiæ, & abysso peccati natura nostra immersa est. Nam *si intellectus noster (ut prisci philosophi agnoverunt) ita se habet ad res naturæ manifestissimas, sicut oculus noctuæ ad lumen solis: ac proinde earum veritas per rationem investigata nonnisi à paucis, & per longum tempus, & permixtis erroribus quàm plurimis à nobis percipitur: quid obsecro, de adeptione supernaturalis illius finis, & de scientiâ veritatis illius dicturi sumus?* Hoc *verò non scientiæ naturalis, sed superioris scientiæ lumen est: quo lumine singulos nostrûm in hâc infirmâ naturâ oportet illustrari per divinam illam inspirationem & infusionem, quâ agitur, ut principia superioris illius luminis scientiæq; comprehendamus.*

Medium supernaturale.

Lumen summæ scientiæ est Gratia divina: ut inferioris, est Natura.

Horum autem principiorum conclusionumq; supra naturam, quæ Deus agit & excitat in nobis, modus est per gratiam Dei duplex institutus. Nam *& communiter exhibet documēta cœlestis gratiæ, & singulariter p spiritum informat suos in verâ legis divinæ conscientiâ.* Ac *proinde quemadmodum à naturâ ipsâ duplex sensus homini inditus est; communis, naturali lege, ut e.g.* Non occide: *& singularis, testimonio conscientiæ,* At occidisti *(hujus enim testimonium, ut* Paulus *loquitur* Rom. 2. v. 15. *accusat quemq;, aut excusat singulariter) sic etiam à Deo duplex testimonium necesse fuit adhiberi, quo nos informaret: unum, notionum communium in mente: alterum, notionum singularium in conscientiâ, ut legis divinæ usus efficeretur nobis ab ipso salutaris, plurimùm communi, interdùm etiam singulari testifi-*

Modus principiorum & conclusionum supernaturalium, est duplex.

Homini duplex à naturâ sensus est inditus.

Testimonium Dei in homine est duplex.

catione & revelatione illius, ordinariè, vel extra ordinem adhibitâ. Nam quemadmodum principium agens in nobis ad informationem & cognitionem rerum divinarum supernaturale est: sic etiam supernaturale principium, quo ducamur in obsequio præceptionum notionumq; illarum, agere in nobis necesse est: cujus principii agentis in nobis & ductus supernaturalis nos moventis ea est efficacitas; ut solâ virtute illius, non ullâ facultate naturæ nostræ ad finem illum supernaturalem transmittamur: non secus quàm sagitta, ad scopum propositum movetur à jaculatore atq; transmittitur. Stat itaq; illud certissimum, quòd hæc principia supernaturalia sint, & tales quoque conclusiones, ut quæ universam naturam transscendant: quas res ne integra quidem natura illa, in quâ primùm homo conditus est, ullâ vi suâ fuisset adeptura, quantò minùs misera hæc nostra, ex quo labe ignorantiæ & peccati prostrata fuit?

Integra natura non potuisset vi suâ assequi supernaturalia.

Principia humana.

Restat ut de humanis principiis videamus; quæ ita definimus: Principia humana sunt, quæ ferunt homines ratione procedentes ab illis principiis, tùm ad communes conclusiones veras, & honestas, justas, utiles, & necessarias; tùm ad particulares determinationes, conditioni personarum, quarum bono conduntur, rerum negotiorumq; de quibus conduntur & circumstantiarum, quæ eis accidunt, accommodas. *Itaq; & hæc principia sunt rationis ordinatio ad commune bonum, ab iis, qui curam communitatis habent, profecta. Hæc autem principia non sunt essentialis*

illa æterna Dei lex, neq; à naturâ sunt simpliciter, neque à Deo sunt, ut divina: sed ab hominibus sunt, ex quibus principia humana appellantur. Et condunt hæc homines à communi principio procedentes, quod Rationem appellamus: sed tamen hæc ita condunt homines, quibus obtigerunt heroica ingenia, ut principia humana quasi partus sint antecedentium, non autem cum illis authoritate & dignitate comparanda. Nam principiorum humanorum regula duplex est, una innata, altera inspirata, ut suprà diximus. Hæc autem tria principia ex æterno principio, veluti archetypo suo immutabili processerunt. Ex his ergo fontibus principia humana (aliàs θελικὰ*) procedunt: hæc incunabula illorum: à quibus si aberrant, indigna sunt principiorum nomine, etsi* ὁμωνύμως, æquivocè, *in vulgo ita appellantur. Ex his quoq; principiis humanis procedunt conclusiones communes, & determinationes conclusionibus accedentes. Hi sunt veluti duo rivi istius fontis. Sic ex hoc principio: nemo est lædendus: ducitur hæc conclusio, non est furandum, scortandum: neq; tantùm conclusio, sed etiam ex illâ communi conclusione eum, qui occiderit, mœchatus fuerit &c. puniendũ esse, existit determinatio pœnæ. e.g. atrocioris, levioris, laqueo, gladio, igne, lapidatione, mulctâ, & consimilibus.* Probè *igitur debemus notare discrimẽ inter* communes conclusiones, & determinationes, *quæ sunt conclusiones particulares, circumscriptæ scilicet quibusdam singularibus terminis, non auctoritate naturæ, vel Scripturæ, sed judicio potiùs sapientum, communes notiones, principia scilicet & conclusiones, particulariter*

Ratio est principium commune.

Heroïca ingenia à Deo excitantur.

Principiorum humanorum regula duplex.

Trias principiorum in tempore è Monade æternâ.

Conclusiones humanę, sunt communes, vel particulares, quę appellantur determinationes.

Quî determinationes humanæ se habeant ad principia.

rerum singularium modo accommodantium. Ex quo *fit, ut determinationes, seu conclusiones particulares istæ non ex lege naturali ullâ, sed ex humana vim suam obtineant.* Harum verò determinationum modus est positus in commoditate; cujus commoditatis objecta sunt tria, particularium istarum determinationum causam adferentia. Nam aut primaria objecta sunt, ut personæ; *quarum bono feruntur istæ particulares determinationes*: aut secundaria sunt quæ ad illa tanquam ad finem suum ordinantur, ut res, negotia, facta, de quibus feruntur conclusiones particulares: aut deniq; sunt accidentia, quibus utraq; illa promiscuè vestiri solent quodammodo atq; variari, ut sunt circumstantiæ; tùm quæ necessariò personas & res indesinenter comitantur, ut sunt locus & tempus; tùm quæ per vices & successione perpetuâ variantur, ut modus, causæ, instrumenta, & similia. *Nam cùm personarum, rerum, & circumstantiarum omnium conditio variet tùm in se ipsis, tùm etiam inter se, æquitas illud postulavit, ut de singulis rebus istis convenienter naturæ, & publico ordini caveretur.*


Una eademq; est veritas, indeterminata, & determinata.

Commoditatis objecta tria.

I. Personæ.

II. Res & actiones.

III. Circumstantiæ, eæq; vel Perpetuæ, vel Mutabiles.



Cap. 10. Sententia recentiorum quorundam de principiis.

Archelogia recentium authorum.

P*Ergamus colligere varias sententias de principiis. Hoc quidem in loco viginti authorum admodùm recentium sententias de principiis commemorabo.*

Prin-

Principium eſt, unde principiatum dependet. Principii Definitio:

Eſtq; vel imaginarium, vel reale. Diſtributio.

Principium imaginarium eſt, quod alicui non niſi ſecundùm noſtrum concipiendi modum competit: *qualia ſunt principia* δευτερονοηματικὰ, *i.e.* de notionibus ſecundis, *quales occurrunt in Grammatica, Rhetorica, Logica, Aſtronomia.* Principia δευτερονοηματικά.

Principium reale eſt, quod alicui reipsâ competit citra mentis conceptum: *qualia ſunt principia* πρωτονοηματικὰ, *ſeu* notiones primæ. Principia πρωτονοηματικά.

Eſtq; vel per ſe, vel per accidens.

Principium reale per ſe eſt, quod ſuâ propriâ vi & naturâ ad principiatum refertur.

Eſtq; aliud eſſendi, aliud cognoſcendi.

Principium eſſendi eſt, unde principiatum originem habet.

Principium cognoſcendi eſt, unde principiatum cognoſcitur.

Eſtq; vel incomplexum, vel complexum.

Incomplexum eſt terminus ſimplex extra diſpoſitionem conſideratus.

Complexum eſt integra propoſitio, ex quâ concluſio deducitur & probatur.

Eſtq; vel immediatum, vel mediatum.

Immediatum eſt, quod non habet aliud medium ſeu principium, per quod à priori demonſtrari poſſit.

Mediatum, quod contrario modo ſe habet.

Utrumque vel est commune, vel proprium.

Commune est, cujus usum multæ artes sibi vendicant.

Proprium est, cujus usus ad unam duntaxat pertinet disciplinam.

Utrumque est, vel naturale, vel supernaturale.

Naturale principium est, quod homini intra naturæ terminos constituto convenit.

Estq; innatum, aut secundùm naturam adventitium.

Innatum principium est, quod vi intellectus in se ipso agentis homo novit.

Estq; theoreticum, vel practicum, vel ποιητικόν.

Theoreticum est, quod spectat res, quatenus sciendæ sunt.

Practicum est, quod spectat res, quatenus agendæ.

Ποιητικὸν, quod spectat res, quatenus faciendæ.

Adventitium principium secundùm naturam est, quod homo experiundo sibi ipse acquirit: unde appellatur experientia.

Experientia est universalis, vel particularis.

Universalis est, quum de iis, quæ sensu percipiuntur, sani omnes eodem modo judicant.

Particularis est, quum pauci judicant.

Sequitur principium supernaturale, quod ultra naturæ terminos supervenit.

Sic de principio reali per se: sequitur principium


cipium reale per accidens, quod ad principiatum refertur ex respectu quodam extrinseco & accidentario.



Cap. II. Judicium authoris de commemoratis sententiis.

SIc collegimus varias sententias de principiis, quæ satisfacere possunt iis, qui contenti sunt perfunctoriâ rei alicujus cognitione. Non sanè iis, qui intimam rerum cognitionem venantur. Fateor, præclara sunt, quæ commemoravi ex aliis, mutatis mutandis, & ordine commodiori adhibito. Sed & hoc fateor, magnis illis viris non propositum fuisse, ut omnium disciplinarum principia perstringerent. Hoc enim si illis curæ fuisset, peculiarem de principiis disciplinarum tractatum scripsissent. Iccircò ego primus aggrediar, Duce Jehovâ, plenissimum evulgare hac de re tractatum. Nolo hîc attingere principia physica, nolo metaphysica percensere, nolo principia complexa tantùm commemorare. Omnium disciplinarum principia paucis tradere volo. Tu, studiose lector, fave meis conatibus, eisq; bene precare.

Judicium authoris de hucusq; traditis sententiis.



Cap. 12. De nostrâ methodo.


Disciplinæ tribus modis considerantur.

ARchelogia (*ut supra definivimus*) est prima præcognitorum philosophicorum pars, de principiis disciplinarum, scilicet universali, & communi. *Principia disciplinarum dicimus non simpliciter, sed cum restrictione per duo adverbia. Disciplinæ enim considerantur tribus modis: vel universaliter, vel communiter, vel singulariter. Universaliter, quatenus habent principia remota cōmunia. Communiter, quatenus habent principia propinqua communia. Singulariter, quatenus qualibet disciplina ꝓpria agnoscit principia. Sic v.g. Mathesis, Physica, Ethica & aliæ disciplinæ habent principia universalia, quæ sunt Sensus, Ratio, Scriptura, & similia. At Geographia & Astrologia habent principia communia, physica scilicet; ita Logica & Grammatica habent communia principia* ποιητικά, *præter illa universalia. Logica deniq; sua sibi habet principia: sic & Grammatica. Archelogiæ autem munus est, explicare principia disciplinarum universalia & communia. Singularia explicat quælibet disciplina in specie. Clariùs dicam. Archelogiam consideremus veluti alphabetum. Alphabetum hoc est vel commune omnibus disciplinis, vel proprium theoreticis, practicis, poëticis, & sic deinceps. Aliud enim est alphabetum theoreticum, aliud practicum, aliud poëticum. Ita ut omnino duæ futuræ sint partes hujus nostræ Archelogiæ, quam tali methodo conscribemus, ut ea neq; nimis supina, neq; etiam superstitiosa futura sit. Nam sicut* τὸ λίαν ἀκριβὲς ψεῦδος: *ita & τὸ*

Archelogia est communis, vel propria.

λίαν

λίαν μεθοδικὸν ἀμέθοδον. *Sic autem describemus singula, ut nihil prætermissuri simus eorum., quæ pertinere videbuntur ad hoc institutum. Desudamus enim in hâc Archelogiâ concinnandâ octennium, & quod excurrit.*



Cap. 13. De Deo, Opt. Max. primo disciplinarum principio Efficiente.

ARchelogia est generalis, vel specialis. *Sive singularis & ꝓpria. Singularis seu propria archelogia tradenda est ante qualibet disciplinã.* Universalis *autem, ut & communis in his præcognitis traditur. Neq; insolens videri debet distinctio inter universale & commune, quum magni nominis Philolosophi & Theologi sic distinguant. Unus instar omnium sit* Franciscus Junius de peccat. Adami, c.2. *ubi distinguit principium in universale, commune, & singulare. Si mavis, ita procede:* Archelogia est generalis, vel specialis. Specialis est vel particularis, vel propria. *Vide infrà cap.48. Generalem, & particularem præcognita philosophica sibi vendicant. Propriam illam sive singularem cuilibet disciplinæ esse intimam nôrunt sapientes.*

Generalis, est universalis, vel communis.

Distinctio inter universale & commune.

Speciale, particulare, & proprium differunt.

Hæc igitur sunt synonyma:

Archelogia

U*niversalis*——*Generalis*

Communis——*Particularis*

Singularis——*Propria.*

Duplex ergo methodus hoc in loco observari potest:

Prima ita habet:

Archelogia est
- *Generalis I.*
- *Specialis*
  - *Particularis II.*
  - *Propria III.*

Altera talis est:

Archelogia est
- *Generalis*
  - *Universalis I.*
  - *Communis II.*
- *Specialis III.*

Diversitas methodi pendet à diversâ vocabulorum acceptione apud varios authores. Nos priorem retinebimus methodum.

Archelogia generalis.

Archelogia generalis tradit principia omnibus disciplinis communia.

Nota est distributio, quâ principium dicitur esse commune, idq; vel omnibus, vel multis scientiis, & proprium uni. Communia omnibus disciplinis traduntur in archelogiâ generali. Communia multis traduntur in speciali. Propria in suâ sede.

Principium commune.

Principium commune omnibus disciplinis est vel essendi, vel cognoscendi. *Latiniùs cum aliis dices* principium rei, & cognitionis; *cum Græcis, ἀρχὴν γενέσεως, & γνώσεως. Hanc distributionem ab universo philosophorum subtiliorum choro receptam nonnulli impugnant his ratiunculis. I. Membra istius distributionis inter se non dissentiunt. Omne enim principium essendi est etiam principium cognoscendi; tametsi non omne principium co-*

um cognoscendi, sit principium essendi. 2. Quia non est adæquata suo diviso. Nam præter principium essendi & cognoscendi, datur principium fiendi, quod neque ad constitutionem, neq; ad cognitionem, sed ad productionem sui principiati requiritur. Et hoc indicant Dd. Scholastici, dum dicunt, principia productionis non esse semper principia rei productæ. *Aliter enim, inquiunt iidem, res se habet in fieri, aliter in esse. Et sic Græci philosophi distinguunt inter principia* ὀσίας, & γενέσεως. *Datur præterea principium operandi, sive simpliciter, sive cum determinatione, bene vel male: quod neque ad constitutionem, neque, ad cognitionem, neque ad productionem, sed ad operationem pertinet. His rationibus ut satisfiat, tenenda sunt isthæc theoremata. I. Principium essendi sumitur vel* latè, *vel* strictè. Latè, *pro quolibet principio tàm extrinseco, quàm intrinseco: unde principiatum pendet in esse suo, sive fiat, sive factum sit.* Strictè, *pro principio intrinseco, quod principiati constitutionem ingreditur, & in eo jam constituto permanet. In priore significatu principium essendi includit in se principium fiendi, & operandi.* Hoc *sensu quidam rectè dicunt, principium rei aliud esse effectionis, aliud constitutionis rei; seu quod idem est, aliud productionis, aliud rei productæ. Idem testatur axioma illud* πολυθρύλλητον: Unde res habet ut sit, inde habet ut operetur. *In posteriore verò significatione principium essendi angustiùs patet ac principium fiendi. Licet enim omne principium essendi sit etiam principium fiendi; tamen non omne principium*

Res consideratur in fieri, vel in esse.

Principia apud Græcos alia sunt ὀσίας, alia γενέσεως.

Principium essendi sumitur: I. Latè. II. Strictè.

Principium est, vel productionis, vel rei productæ.

Principium fiendi quî accipiatur.

fiendi, est etiam secundùm alteram significationem principium essendi. II. *Principium cognoscendi est cognitionis, vel distinctæ & perfectæ, vel confusæ, indistinctæ, & imperfectæ. Prius si est incomplexum, est simul principium essendi, id est, rei cognitæ, ut Ens, actus, potentia; Si verò complexum, minimè. Hoc namq; v.g. principium:* nihil potest esse causa & effectum sui ipsius: *est complexum, adeoq; cognoscendi, essendi non item. Hinc Aristoteles rectè dicit:* Scire est rem per causas cognoscere. *Causæ namq; non tantùm sunt principia essendi suorum causatorum, sed etiam distinctè cognoscendi ea. Atq; hæc dicitur* cognitio à priori. *Unde enim res habet ut sit, inde etiam habet ut cognoscatur, scilicet perfectè. Causata autem sunt principia cognoscendi suarum causarum, scilicet* à posteriori, *sed essendi mimimè. Sed præmissæ in Syllogismo sunt quidem principia cognoscendi conclusionem, principia essendi minimè. Conclusio enim est ipsa quæstio, quæ pro principiis essendi agnoscit subjectum & prædicatum. Posterius, sive sit incomplexum, sive complexum, nunquam est principium essendi, seu rei cognitæ. Sic effecta, ut diximus, sunt principia cognoscendi causas, scilicet confusè: sed nunquā possunt esse principia essendi causarum, quæ cognoscuntur. Neq; enim ideò effectum dici debet causa, quia facit ut sit causa. Causa quidem est causa, quia effectum habet: sed ista non est causalitas ipsa, quasi illa ab effecto pendeat.* III. *Principium essendi & cognoscendi semper inter se dissentiunt, quatenus unumquodq; secundùm propriam rationem formalem consideratur. Nullum enim principium essendi sub suâ formalitate, id est, sub eâ ratione,*

Cognitio est, vel distincta, vel indistincta.

Cognitio à priori quid sit?

Cognitio à posteriori.

ratione, quâ tale est, simul est principium cognoscendi, & vice versâ: tametsi unum & idem ens sub diversâ ratione simul possit esse principium essendi & cognoscendi respectu ejusdem principiati. Proinde rectè concludimus, divisionem ita ab aliis traditam, à nobis repetitam, esse exactam, & ad Lydium Logicæ lapidem congruere.

Principium disciplinarum essendi est, unde principiatum originem habet. Principium disciplinarum essendi.

Estq; vel extrinsecum, vel intrinsecum. Extrinsecum,

Extrinsecum est vel efficiens, vel finale.

Principium externum efficiens est vel independens, vel dependens.

Principium disciplinarum independens est Deus Optimus Maximus, omnis boni in naturâ & supra naturam fons. *Principium hoc non pervestigamus, sed adoramus.* Efficiens, Independens, est DEUS.

Orta enim est philosophia ex primâ sapientiâ infinitâ & perfectissimâ, veluti ex corpore solari radius. Sanè quod primum est, est perfectissimum. Quod perfectissimum est in quolibet genere, hoc est causa & mensura, reliquorum. Cùm ergo Dei sapientia infinita sit, perfectorum graduum & partium (faciunt enim philosobi duplicem perfectionem) utiq; omnis sapientia ex hâc tanquam causâ orietur. Hæc sapientia est lex illa æterna, regula per quam omnis sapientia regulatur, ipsa verò per nullam regulata. Regula namq; nostræ sapientiæ est triplex. 1.*independens & illimitata, ut sapientia illa divina archetypa.* 2.*dependens, & illimitata, ut sacra Scriptura.* 3.*dependens & limitata, ut Ratio. Ista divina sapientia dicitur à nobis archetypa: nostra ectypa, quia à Deo infor-* Regula sapientiæ nostræ est triplex. Sapientiæ divinæ & humanę discrimen.

matur. Et hæc divisio est analogica. Nam sapientia non est genus univocum, neq; genus æquivocum: sed genus analogum, quod vocant πρὸς ἓν, sive ἀφ' ἑνὸς, (quæ non est pura æquivocatio sed analogica, ut in Scholis appellatur) quia scilicet tribuitur divinæ sapientiæ secundùm supra, *ut loquuntur, in gradu intenso, in gradu excellentiæ: nostrati verò secundùm* sub, *in gradu remisso, in gradu temperamenti.*

Attributa divina differunt ab essentiâ ratione ratiocinante, & ratiocinatâ.

Archetypa illa est οὐσιώδης, ipsa Dei essentia (attributa enim divina ab essentiâ non differunt realiter, sed ratione, & eâ quidem ratiocinata si objecta spectemus, sed ratiocinante, si jam essentiam consideremus:) est ἄκτιστος, est πρωτότυπος: Sed ectypa, illa nostra, est συμβεβηκυῖα & κτιστὴ, id est, accidentaria & creata sive habitualis, *veluti expressa quædam ac adumbrata formalis & essentialis illius sapientiæ imago. Ideoque prisci patres illam sapientiam divinam increatam vocarunt exemplarem; ad cujus exemplar altera hæc conformata est pro creaturarum captu. Proinde non est communis generis cum hâc nostrâ sapientiâ, quæ est illius veluti ἀποῤῥοὴ, & sigillaris imago impressa ab essentiali illâ, cujus hæc sunt attributa. Est*

Sapientiæ divinæ natura explicata octo attributis: Est

Increata.

1. Increata. *Nam principium à nullo habet. Est enim ipsa principium principiorum.*

Formalis.

2 Formalis. *Est enim ipsissima divina essentia.*

Absoluta.

3 Absoluta & perfectissima: *quia nihil deficit, nihil redundat, nihil varium continet; sed omnis in sese defectus, profectus aut incrementi & mutationis est expers.*

Infinita.

4 Infinita. *Nam ad omnia pertendit, universè & singulariter: nec quicquam est, quod sit occultum ab ipsâ.* Hebr. 4.

5 Tota

5 Tota simul. *Nam neque per partes, neque successivè Deo inest, aut in sese variat: sed pro modo ipsius Dei est; cujus cùm essentia sit tota simul* ἀμέριστος καὶ ἀναλλοίωτος, *eâdem planè ratione expers est partium, & successionis, & motus omnis æterna illa sapientia.* Tota simul.

6 Incommunicabilis. *Nam Deitatis propria, ac proinde cum nullâ re creatâ communicari potest, aut cum ullâ ex facto communicata est. Nam profectò horum neutrum fieri potest unquam, ut aut Deus ipse alteri cedat hanc gloriam suam, aut alius eam assumat, habeatque sibi. Quid? Proprium desinit esse proprium, si ista sapientia, proprietas Dei, communicatur cum ullâ creaturâ. Atque ita violatur primum illud principium,* EST, NON EST. Incommunicabilis.

7 Est directa & circularis seu reflexa. Directa, *quâ alia cognoscit extra se, non per species, sed per essentiam.* Circularis, *seu reflexa, quâ cognoscit seipsam intimè.* Directa & reflexa.

8 Communicativa: *non quidem sui ipsius propriè, sed suæ duntaxat imaginis. Nam illius inaccessæ, infinitæ, &* ἀκαταλήπτου *sapientiæ (quam sustinere nulla creatura, nedum capere potest) illius, inquam, imago ad res creatas transmittitur, atque in eis imprimitur,* ἀποῤῥοὴ *derivatur, refulget* ἀπαύγασμα, *& quasi* ἀποσπασμάτιον *ad illustrationem ipsarum deciditur; verumtamen illo exemplari summo, & fonte, & sole, & trunco (ut ita dicamus) seu corpore integro permanente. De hâc ergo infinitâ & admirabili Dei sapientiâ quid dicemus? Cùm antè dixerimus uno verbo, hanc non pervestigari à nobis, sed potius adorari. Quicquid dicere de eâ possumus, præ eâ* Communicativa.

nihil est: quicquid illa est, infinitum est, quod dici non potest, in se admirabile, & suspiciendum à nobis religione summâ. Franc. Junius de Theologiâ cap. 4. *Hoc tantùm dicimus, istam sapientiam esse fontem omnis sapientiæ.* Daniel. 2. Proverb. 2. & 23. Jacob. 1. Sap. 7. *Hoc etiam agnoverunt ethnici.* Nullus, *ait* Cicero, est vir magnus sine afflatu quodam divino. *Solet enim Deus heroica quædam ingenia excitare, quæ radiis suæ sapientiæ illuminat. Hinc Deus illis dicitur* πανεπιστήμων, & πάνσοφος. *Vide* Petr. Gregor. Tholoz. in comment. art. mirab. l. 2. c. 1. Casman. de Philos. Christ. c. 6. Keckerm. præcog. philos. l. 1. c. 3. *Summa huc redit: Quemadmodum res, quæ in tenebris latent, oculis etiam propinquæ videri nequeunt, & tamen longè distantes, medio interveniente lumine, conspiciuntur, & distinguuntur: sic in objectis intelligibilibus, & in intellectu ipso accidit. Siquidem homo nil videre, intelligere, discernereve potest, ni interveniat lumen supercœleste, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* Joan. 1. *Dico videre. Nam animæ oculus est intellectus. Triplici enim homo illustratur lumine, supernaturali, naturali, & acquisititio. Secundum à primo, tertium ab utroque perficitur Hoc adeò verum est, ut etiam ethnici absque peculiari Spiritus sancti afflatu præclari non extiterint. Duplicia enim sunt Spiritus sancti dona; quædam propria electis, ut fides: quædam communia cum reprobis, quæ possunt etiam in eos cadere, qui alieni sunt à verâ fide in Christum Jesum. Quæ quum ita sint, concludamus cum* Nazianzeno:

Triplici lumine homo illustratur.

Duplicia sũt Spiritus sancti dona

Quid sit

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει Θεόν: *id est,* Deum


Deum facere α καὶ ω actionum suarum.

Deum fac principium & finem omnium actionum tuarum. *Deum autem facere principium & finem omnium suarum actiorum est, cùm frequenter atque ardenter precari, tùm vitam vivere sanctam. Precari oportet: quia* Deus propè est omnibus invocantibus ipsum, 2. Tim. 2. *Et* Jacobus ait cap.1. Si quis indiget sapientiâ & scientiâ, postulet à Domino. Ipse enim dat sapientiam sapientum, *ut scribitur* Dan.2. *Sed quum Deus peccatores non exaudiat, oportet vivere vitam piam.* Pietas *enim* est ad omnia utilis, ut quæ habeat promissionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. *Regula autem piæ vitæ traditur ab Apostolo,* Tit.2. v.12. *ut* temperanter, justè, piè vivamus. *Græca verba sunt* ἐμφαλικώτερα: σωφρόνως, δικαίως, εὐσεβῶς. *Hæc est ethica illa Christiana. Temperanter vivat homo erga seipsum: justè, erga proximum: piè, erga Deum. Idipsum ethnici viderunt. Hinc canit* Tibullus l.1.epist.

Ethica Christiana Paulina.

Casta placent superis, purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Cui σύμφωνα *sunt quæ tradit Plato in Phæd. ubi tandem ita concludit:* impuro quidem purum attingere nefas. *Sicque consulit* Arist.l. 7. polit. cap.ult. *Jubet & idipsum* Justinianus in prologo Pandectarum. §. illud verò satis: *addens optimam rationem:* quia, *inquit,* oportet primùm animas, deinde linguas fieri eruditas. *Quocirca veritatis inquisitori illud cumprimis curandum est, ut animam puram & mundam habeat: quia in animā malevolam non introibit sapientia, ut ait Sapiens.*



Cap. 14. De philoſophiâ protoplaſtorum.

Principium diſciplinarũ efficiens dependens eſt homo.

PRincipium diſciplinarum efficiens independens expoſitum eſt, videlicet Deus laudandus in ſecula: ſequitur dependens. Eſtq; vel primarium, vel ſecundarium.

Principium efficiens dependens primarium eſt imago Dei in homine.

Sicut enim Deus in omnibus, quæ humano generi communicat, utitur cauſis intermediis: ita quoq; iisdem uſus eſt in communicando philoſophiæ dono.

Imago Dei in homine conſideratur vel ante lapſum, vel poſt lapſum.

Homo à Theologis conſideratur, vel ut conſtitutus, vel ut deſtitutus, vel ut reſtitutus. Quatuor namq; ſunt illius ſtatus; videlicet 1. confectionis ſeu innocentiæ & integritatis. 2. defectionis ſeu miſeriæ. 3. refectionis ſeu gratiæ 4. perfectionis ſeu gloriæ. Itaq; imago Dei ſecundùm quatuor iſtos ſtatus conſiderari debet.

Imago Dei in homine ante lapſum.

Imago Dei in homine ante lapſum ita fuit cauſa efficiens philoſophiæ ſeu diſciplinarum, ut ſapientiam naturalẽ haberet, nec opus eſſet aliquã aliã de novo invenire aut conſtituere. *Gen. 1. & 2. Et quidem ut alia taceam, conſideretur ad miranda illa* ὀνοματοθεσία, *quæ authorem habuit Adamum.* Plato in Cratylo *rectè ſcribit, mortalium ſapientiſſimum fuiſſe, qui rebus nomina impoſuerit. Primus ille* ὀνοματουργὸς *ſive* ὀνοματοθέτης *fuit Adamus. Neq; enim tantùm* ὀνομαθεσία *arguit ipſius dominium in reliquas creaturas (eſt enim legitimi*

Adam fuit primus ὀνοματοθέτης.

tum domini suis servis nomina imponere) sed etiã singularem sapientiam. Habuit namq; rerum formas cognitas. Nullus enim dubito, quin singulis nominibus, quæ rebus imposuit, optima subesset ratio. Sed plerorumq; usus, unà cum aliis plurimis bonis obsolevit, ut ait Calvinus super Gen. 2. *Unicum hujus ὀνοματοθεσίας exemplum sumamus, quod est* Gen. 2. v. 23. *Nomen mulieri indidit* אשה *à suomet derivatum. Nec scio (ait* Petrus Martyr) *num aliud idioma habeat præter Hebraicum nomen mulieris à viro deductum. Ecce mysterium! Nam ut mulier à viro desumta est: ita nomen obtinuit à viri nomine derivatum.* Zanchius *vertit Latinè* vira; Junius *virago in in primâ editione Bibliorum, in recentissimâ vertit, vira. Et affert hanc rationem.* Hoc, *ait*, vocabulo utendum fuit, quia omnino huic loco significatione & formâ convenit, ut quã proximè conspicua esset quodammodo Hebræarum dictionum conjugatio, & causa nominis impositi planiùs intelligeretur. Nam ut à viro desumta est: ita nomen obtinuit viræ à viri nomine derivatum, & sexus totius in specie humanâ commune. *Et paulò pòst.* Hoc autem nomine *viræ* prisci Latini utebantur, *ut Festus author est*, & fœminas quas nunc appellamus, dicebant viras, id est, ἀνδρίδας, ut Symmachus interpretatur. Sic enim Romæ usus obtinebat, ut Querquetulanæ viræ ipso adhuc Varronis tempore dicerentur, quibus sacellum erat in Esquilinâ regione ad Querquetulanam portam. *Sic Junius. Ecce (unicum hoc exemplũ sit instar multorum) quomodo Adam singulas animantium formas nominibus appellaverit pro imperio suo &*

Hebræi ut vocent mulierem.

Vox hæc, vira, Latinis olim usitata

conditione ipsarum. Atq; hoc certissimum est, *ait Chrysostomus*, sapientiæ quæ homini inerat documentum, quòd non solùm suiipsius, sed etiam rerum creatarum cognitione fuit prædictus ad salutarem illam Dei notitiam accedente. *Huc refer, quæ* Elias Hutterus *in suis scriptis de impositione Adamica commemorat. Cæterùm sapientia Adamo ita fuit naturalis, ut nihilominus eam oportuerit gratiâ, id est, sapientiâ supernaturali perfici. Nam cùm natura hominis ita comparata sit, ut principia quidem in se habeat, progressum verò ratiocinatione & studio assequatur, donec ad justam scientiam pervenerit; nemini dubium esse potest, quin communis etiam in Adamo fuerit ratio naturæ, & in posteris ipsius futura fuisset, si in illa integritate primigeniâ sibi constitissent. Habuit ergo Adam principia incorrupta, prout naturæ sunt: tùm ex horum principiorum cum rebus & signis comparatione potuit successivè ratiocinationis opere componere, dividere, concludere & determinare, etiam secundùm naturam, quicquid facultate illius in rebus divinis assequutura natura fuit; deniq; scientiam aliquam rerum divinarum comparare secundùm integræ naturæ modum. Sed supra naturam non potuit transcendere: quia suus fuit & singularis modus facultatibus singulis ipsius; extra quem modum fuerat quidem assurrecturus Adam, sed supernaturalis gratiæ beneficio, non autem virtute naturæ suæ. Nam erant integra & incorrupta in eo omnia, sed contenta naturæ finibus, non supra naturam evagantia. Erant igitur in ipso principia* communia. *Si enim singularia fuissent, non jam fuissent principia, sed conclusiones, & de-*

Adam non fuit conditus cum dono supernaturali: quia supernaturalia infundi oportebat.

Ratio principiorum in Adamo.

Principia Adamica erant I. Communia.

& determinationes rationis ad veram justamq; scientiam pertinentes. Erant eadem in ipso obscura. *Si enim fuissent clara & evidentia planè, non jam principia fuissent solùm, sed media quoq; infuissent ei: quæ media propriè non ad intellectum, veluti principiorum sedem perpetuam, sed ad rationem consensu omnium pertinent. Per rationem hîc intelligimus judicium dianoëticum syllogisticum. Erant denique eadem* imperfecta, *non imperfectione vitiosâ, quæ dicitur privationis, (quam sibi per lapsum contraxit) aut imperfectione naturæ, quæ dicitur negationis (nam imperfectionē naturæ ex creatione obtinebat) sed imperfectione secundùm quid, ut vocant, id est, comparatè ad illam infinitam perfectionem Dei, rerumq; divinarum; ad quam perfectionem nulla res creata potest vi naturæ suæ attingere, quam nulla per se comprehendere. Hæc autem principia & quasi semina in arvo intellectus humani deposita, coli & augeri oportuit similiter, naturæ operâ principiis accedente. Naturæ verò opera est ratio in homine ad imaginem Dei condito, cujus rationis culturâ provehi principia illa oportuit, à communitate ipsorum ad opera singularia, ab obscuritate in lucem, ab imperfectione in aliquam perfectionem secundùm naturalis facultatis modum; ut conficeretur ex principiorum semine, & rationis culturâ in mente hominis scientia. Quid ergò? Scientiáne potuit rerum divinarū in homine integro pfici his naturæ velut instrumentis? Minimè verò. Nam ratio ipsa non potuit non laborare ex obscuritate & imperfectione, cùm materiam non aliunde, quàm ex principiis ad gignendam scientiam habuerit: quandoquidem in principiis, ut*

II. Obscura.


III. Imperfecta. Imperfectio triplex: I. Privativa: II. Negativa: III. Comparata.

Modus excolendi principia naturalia.

Principia ſunt omnia virtualiter.

philoſophi docent, omnia inſunt virtute communiter, quæ ratione & ſcientiâ hominum comprehenduntur ſingulariter. Ex quo id continuò ſequitur, non potuiſſe, ne in naturâ quidē hominis integrâ, rationem ad amplius humanæ ſcientiæ faſtigiū aſſurgere, quàm ſuperſtruere poſſet principiis, & ex principiis ipſius. *Nihil enim agit ultra ſpeciem ſuam, nihil agit ſupra vires ſuas. His poſitis, rectè concludimus, etiam in ipsâ hominis naturâ integrâ non potuiſſe ſapientiam ejus naturalem perfectam eſſe; ſed eam gratiâ ſupernaturali Dei fuiſſe perficiendam.* Franiſc. Jun. de Theol. cap. 10. & Trelcat. l. 3. Inſt. Theol. c. 1. *ubi disputat contra Bellarminum, qui aſſerit, hominem conditum eſſe cum ſupernaturali dono: quum tamen ſit oppoſitum in appoſito, ſive contradictio in adjecto, ſi quis dicat naturale eſſe ſupernaturale, naturam eſſe gratiam, principium naturæ eſſe principium gratiæ.*

Bellarmini error notatus.



Cap. 15. De variis philoſophorum Sectis.

Variæ philoſophorū ſectæ.

POſt lapſum amiſſâ perfectione intellectus & voluntatis, philoſophia per partes & gradus paulatim fuit invenienda & conſtituenda.

Principium efficiens dependens diſciplinarum poſt lapſum.

Videamus igitur, quodnam ſit diſciplinarum principium efficiens dependens poſt lapſum. Eſt autem imago Dei, quatenus reliqua manſit, accedente peculiari afflatu ſpiritus ſancti.

Inventa enim fuit & conſtituta philoſophia partim reliquiis imaginis divinæ poſt lapſum, remanentibus in homine, partim peculiari afflatu Spiritus ſancti. Keckerm. l. 1. præcog. philoſ. c. 3. *Hic occurritur*

tur nobis à quibusdam: Naturalia non mutantur, sive non amittuntur. Philosophia fuit homini naturalis. Ergo non potuit amitti. His sic contraveniendũ putamus. Naturale dicitur æquivocè; vel causaliter, *quod à naturâ est; vel* subjectivè, *quod in natura est; vel* propagatione, *quod cum naturâ cõmunicatur; vel deniq;* formaliter, *per quod res est. Philosophia dicitur Adamo fuisse naturalis, tùm quia in naturâ, & cum naturâ communicavit Deus, tùm quia naturali propagine communicanda fuisset posteris, si permansisset Adam: non autem, quòd per philosophiam fuerit talis. Breviter: Naturale interdum accipitur* pro essentiali, *quod fluit ex principiis naturæ, ut risus: interdum* pro eo, quod nobiscum nascitur, *sive fluat ex animâ, sive aliunde nobis insitum sit. Et eâ significatione philosophia quoq;, quia simul & eodẽ momento cum homine oriebatur, illi naturalis fuisse dicitur. Major aũt in proposito syllogismo de naturali priori modo accepto loquitur. Cæterùm non est hîc consilii nostri, ut de corruptione naturæ nostræ agamus singulariter, aut de ortu & modo corruptionis illius. Id tantùm in præsentiâ agemus, ut ostendamus inventæ & constitutæ philosophiæ causam esse, imaginem Dei, in homine post lapsũ reliquam, & afflatum Spiritus S.*

Naturale aliquid dicitur quatuor modis, Qui revocari possunt

Ad duos.

Imago Dei in homine post lapsum est una eademq;, τῇ οὐσίᾳ, at non gradu. *Variat enim inter omnes, non quoad animam, ejusque* facultates, *intellectum & voluntatem; sed quoad utriusque ἐνέργειαν καὶ ἐνάργειαν, quia major illius est splendor in uno, quàm in alio. In causâ scilicet est peculiaris ille Spiritus sancti afflatus, qui major & excellentior fuit in primis generis humani parentibus,*

Quare in priscis major fuerit ingenii vigor, quàm hodiè est in nobis.

etiam post lapsum, quàm in illorum posteritate, tùm propter situm regionis, in quâ vixerunt, tùm propter corporis constitutionem, tùm deniq; vitæ modum, & longævitatem. Quia autem primi isti parentes fuerunt Hebræi, ideò inventio philosophiæ Hebrææ genti, atq; huic proximæ Chaldææ, & Assyriæ adscribenda est. Ab Hebræis ad Ægyptios, ab his demum ad Græcos fuit propagata. Græci ergo etsi in constituendo philosophiæ modo reliquis omnibus gentibus occidentalibus & septentrionalibus meritißimè præferantur; tamẽ inventæ philosophiæ laudem Hebræis, Chaldæis & Ægyptiis nec debent nec poßunt detrahere. Laërtius ab initio statim de vitis Philosophorum solos Græcos laudat, tanquam sapientiæ omnis inventores; quod idem plurimi alii faciunt scriptores Græci & Latini. Sed certum est, floruisse sapientiæ studium apud Orientales gentes diu antequam ad Græcos propagaretur; verisimile etiam est, Jacobum cum suis filiis in Ægyptum eam detulisse; in Ægyptum autem posteà navigarunt sapientiæ causâ Anaxagoras, Pythagoras & Plato, qui in collegiis Sacerdotum philosophiam suã didicerunt. Quare & Plato in Timæo Græcos comparatos cum Barbaris, id est, Orientalioribus gentibus, vocat pueros. Et in Epinomide ait, Syrios accuratißimè primò observasse stellarum motum. Quin & ipse Aristoteles 1. de cœlo, barbaros esse, inquit, Græcis præferendos, procul dubio propter hanc ipsam causam, quòd Græci ab Orientalibus gentibus habeant res ipsas & materiam philosophiæ, etiamsi Græci posteà addiderint formam sive methodum. Keckerm. præcog. philos. l. 1. c. 3. Huc pertinent ea, quæ disputantur à Guidone Fabricio JC. in præfat.

Inventores & parentes philosophiæ Hebræi Chaldæi & Assyrii Ægyptii Græci.

Græci non fuerunt primi philosophiæ cultores.

præfat. Chald. Gram. *adjunctæ regio operi. Notetur hoc unum*: Artes propagatæ ſunt per colonias, & ſecundùm monarchias. *Id quod ſic declaro. Gens antiquiſsima omnium eſt Hebræa. Hæc ergo omnium prima, ut invênit, ita excoluit diſciplinas. Abraham indubiè quamplurima cum Chaldæis, Jacob cum Ægyptiis communicavit. Aſſyriorum Monarchia eſt prima. Itaq; Chaldæi ſuo regimine invaleſcente liberalium artium tractatione legumq́; ac jurium promulgatione, linguæ quinetiam ſuæ propagatione inclareſcere ſategerunt. Sic enim naturâ comparatum eſt, ut is, penes quem eſt rerum ſumma, ac maxima orbis terrarum adminiſtratio, cum legibus & edictis ſuam quoq; linguam, & diſciplinas quas utiles judicat, populis ſibi ſubditis tribuat, injungat, adeoq; pomœria ſua longè lateq́; proferat. Ita tempore Alexandri, Græci, poëtæ nimirum & philoſophi ſapientiæ ſtudium excoluerunt. Tempore Auguſti Cæſaris Latini ſibi hoc veluti peculiū vendicarunt. Quamvis autem hodie tanta librorum Hebraicorum & Chaldaïcorum copia non extet, quanta in Græco & Latino ſermone: hinc tamen non efficitur, priſcos illos Hebræos & Chaldæos fuiſſe* ἀφιλοσόφȣς. *Perierunt, id quod ſummoperè deflendum eſt, perierunt, inquam, nobis injuriâ temporum maxima pars veterum monimentorum, quibus priſcorum philoſophia conſignata erat. Adde quòd priſci philoſophi ſoliti ſint quamplurima, ne dicam omnia, per traditionem ſive vivæ vocis inſtitutionem ad poſteritatem transmittere. Attamen vel ex pauciſsimis illis priſcæ philoſophiæ theſauris & reliquiis, quæ etiamnum extant, de amplitudine illius nullo modo dubitare*

Artes propagatæ ſunt per colonias, itemq; juxta monarchias.

Diſciplinæ quî ſint propagatæ.

Monumenta veterum Hebræorū perierunt.

possumus, quum mult a sint ejus vestigia partim in Bibliis, partim apud Hebræos Doctores, partim deniq; apud ipsosmet Græcos & Latinos.

In Bibliis hæc philosophiæ priscæ extant veluti rudera. Ὀνοματοθεσία *Adamica describitur* Gen. 2. *Et* Josephus *autor est, visas fuisse tabulas, in quibus Adamus & ejus filii totam Astronomiam perscripserint*: Physica sacra *à Mose describitur* Gen. 1. Geographica, hydrographica & topographica *quædam habentur* Genes. 2. à ℣. 8. ad 16. *Verè etiam* Possevinus l. 2. Biblioth. *aliquot capitib. asserit, Mosen fuisse primum scriptorem historiæ divinæ, naturalis, humanæ, item poëtices, cosmographiæ, & politices. Confer* Polydorũ Virgilium de inventorib. rerum. Architectonica Noachi est Genes. 6. v. 14. 15. 16. Chorographia ejusdem est Gen. 9. v. 18. 19. Physicũ quoddam experimentum Jacobi est Gen. 30. v. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Quamplurima Physiologiæ capita sunt in libro Jobi, videl. c. 28. 37. 38. 39. 40. 41. Poëtica Mosis extat Exod. 15. ut annotat Rodolphus Gualtherus in suo de versibus conscribendis libello. Chronologia Danielis est cap. 2. 7. 8. 9. Pneumatica seu Angelographia Ezechielis est cap. 1. Physica Hoseæ est c. 2. v. 21. 22. *ubi hos statuit gradus. 1. Deus. 2. Cœli. 3. Terra. 4. Frumentum, mustum, oleum. 5. Homo.* Physica Davidis est psal. 19. & 104. *Quid dicam de Solomone? De illius singulari sapientiâ legere est* 1. Reg. 4. v. 29. 30. 31. 32. 33. 34. *Monumenta nobis reliquit* Ethica; Proverbia nempe, Ecclesiasten *& purè Theologicum, nempe* Canticum

Philosophiæ Christianæ vestigia in Bibliis.

Can-

Canticorum, *quod agit de conjugio Christi cum Ecclesiâ. Et quum Proverbia ejus contineant Ethica, OEconomica, Politica & Theologica, placet sententias ibi occurrentes referre ad suos locos communes. Sequar autem* Ludovicum Lavaterum, & Thomam Becanum Anglum, *qui primam hâc in parte glaciem fregerunt. Hic labor, spero, lectori Christianæ philosophiæ studioso non displicebit. Ostendam enim fundamenta practicæ philosophiæ in Proverbiis Solomonis esse jacta, & prima principia practica, tanquam semina sparsa.*



Proverbia Solomonis redacta in locos communes.

LOCI VEL TITULI PROVERBIORUM SOLOMONIS.

I.

Loci Theologici.

THEOLOGICI.

1 *Scriptura, Sapientia, Lex.* 1
2 *Deus.* 2
3 *Creatio.* 3
4 *Providentia Dei.* 4
5 *Prædestinatio.* 5
6 *Deus καρδιογνώϛης.* 6
7 *Ecclesia.* 7
8 *Doctores Ecclesiæ.* 8
9 *Seductores.* 9
10 *Falsi doctores.* 10
11 *Homo peccator.* 11
12 *Confeßio peccati.* 12
13 *Homines rerum divinarum ignari.* 13
14 *Pietas, Timor Dei.* 14
15 *Spes.* 15
16 *Sacrificium.* 16
17 *Oratio.* 17
18 *Vota.* 18
19 *Piorum & impiorum mores & exitus.* 19
20 *Illusores.* 20
21 *Hypocritæ.* 21
22 *Retributio in hâc terrâ.* 22
23 *Cogitationes.* 23

II.

Loci politici.

POLITICI.

1 *Princeps vel magistratus.* 24

2 Ira

2 Ira principis. 25
3 Supplicia. 26
4 Conservatio Imperiorum. 27
5 Subditi regis. 28
6 Quomodo agendum in judicio. 29
7 Leges. 30
8 προσωποληψία. 31
9 Consilium, Bellum. 32
10 Corruptela munerum. 33
11 Veri & falsi testes. 34
12 Legationes. 35
13 Pondera & mensura. 36
14 Contractus. 37
15 Fidejussiones. 38
16 Seditio. 39

III.

OEconomici.

Loci œconomici.

1 Uxor bona. 40
2 Uxor mala. 41
3 Amor conjugalis. 42
4 Filii boni & mali. 43
5 Educatio & castigatio liberorum. 44
6 Obedientia parentibus præstanda. 45
7 Indoles puerorum. 46
8 Servi. 47
9 Labor domesticus. 48
10 Cura pecoris. 49
11 Decoctores. 50
12 Migrationes crebræ. 51
13 Conservatio domus. 52

IIII.

Loci Ethici.

ETHICI.

1 Sapientia, prudentia, calliditas, circumspectio. 53
2 Consilium. 54
3 Stultitia. 55
4 Justitia. 56
5 Fortitudo & constantia. 57
6 Temperantia, ebrietas, crapula. 58
7 Scortatio. 59
8 Adulterium. 60
9 Ira. 61
10 Amor & invidia. 62
11 Gaudium de alienis malis. 63
12 Vindicta. 64
13 Cædes injustæ. 65
14 Concordia. 66
15 Rixæ & contentiones. 67
16 Detractio. 68
17 Adulatio. 69
18 Mansuetudo. 70
19 Veritas & mendacium. 71
20 Promissio vana. 72
21 Multiloquium. 73
22 Præcipitantia. 74
23 Secreta reticenda. 75
24 Utilitates linguæ bonæ. 76
25 Incommoda linguæ malæ. 77
26 Eloquentia. 78
27 Linguæ bonæ & malæ præmia & pœnæ. 79
28 Labor & pigritia. 80

29 Mise-

29 *Misericordia & liberalitas.* 81
30 *Avaritia.* 82
31 *Superbia & Humilitas.* 83
32 *Contemptus.* 84
33 *Securitas.* 85
34 *Correctio.* 86
35 *Moderatio.* 87
36 *Custodia membrorum.* 88
37 *Amicitia.* 89

V.

LOCI PROMISCUI VEL miscellanei.

1 *Conjunctio vel consuetudo cum bonis & malis.* 90
2 *Divitiæ justæ & injustæ.* 91
3 *Paupertas.* 92
4 *Opes mediocres.* 93
5 *Comparatio divitum & pauperum.* 94
6 *Pupilli & viduæ.* 95
7 *Nobilitas.* 96
8 *Forma & favor.* 97
9 *Laus.* 98
10 *Senectus & juventus.* 99
11 *Affectus, Timor.* 100
12 *Mœror.* 101
13 *Incongruentiæ.* 102
14 *Nuncium.* 103

Jam ut videas quo quilibet locus capite tractetur, apponam indicem sat locupletem.

LOCI THEOLOGICI.

Loci Theologici in Proverbiis Solomonis.

I. SCRIPTURA, SAPIENTIA, LEX.

c.1. v.1. Parabolæ Selomoh filii David, regis Iſrael.

Utilitas Scripturæ.

v.2.3.4.5.6. c.2. v.7.8. c.30. v.5. c.4. v.8.9.10. 11.12.13. c.6. v.22. c.9. v.11. c.7. v.5. c.3. v.13.

Scripturæ vel ſapientiæ præſtantia & dignitas.

v.14.15.16.7.18. v.6.7.8. 6.10.11. c.10. v.11. c.10. v.29. c.13. v.14. c.19. v.16.

Exhortatio ad ſtudium Legis vel ſacræ Scripturæ.

c.3. v.1.2. c.22. v.17.18.19.20.21.

Utilitas ſcripturæ.

c.3. v.21.22.23.24.25.26. c.4. v.5.6.7.18.19.20. c.7. v.1.2.3.4.5. c.8. v.32.33.34.35.36. c.10. v.8. c.23. v.2. c.24. v.13.14. c.19. v.16.

Quomodo paranda ſacræ ſcripturæ intelligentia?

c.2. v.1.2.3.4.5.6. 9.10.11. c.30. v.6.

II. 2 DEUS PATER ET FILIUS.

c.30. v.4.

Chriſtus homines ad ſe vocat.

v.20.21.22.23.24.25.

Pœna illorum qui vocantem non ſequuntur.

v.26.27.28.

Contemptus verbi Dei.

v.29.30.31.32.33. c.8. v.1.2.3.4.5. c.8. v.12.13. 14.

Opera

Opera Filii Dei.

v.15.16.17.18.19.20.21.

Filius Dei fuit ab æterno.

v.22.23.24.25.26.

3 CREATIO. III.

v.27.28.29.30.31. c.20.v.12. c.3.v.19.20. c.26. v.10. c.30.v.4.

4 PROVIDENTIA DEI. IV.

c.16.v.1.9. c.22.v.12. c.20.v.24. c.16.v.7. c.21. v.1. c.16.v.33. c.29.v.26. c.19.v.21. c.21.v.30.31. c.18.v.10. c.16.v.3. c.3.v.6.

5 PRÆDESTINATIO. V.

c.16.v.4.

6 DEUS καρδιογνώσης. VI.

c.15. v.3. c.20. v.27. c.5. v.21. c.16.v.2. c.21. v.2. c.25.v.3. c.15.v.11. c.17.v.3.

7 ECCLESIA. VII.

c.9.v.1.2.

8 DOCTORES ECCLESIÆ. VIII.

3.4.5.6. c.11.v.30.

9 SEDUCTORES. IX.

c.9.v.13.14.15.16.17.18.

10 FALSI DOCTORES. X.

c.2.v.12.13.14.15. c.19.v.27. c.28.v.10.

11 OMNES HOMINES SUNT peccatores. XI.

c.20.v.9. c.24.v.16.

12 CONFESSIO PECCATORUM. XII.

c.28.v.13.

13 HOMINES RERUM DIVINARUM sunt ignari. XIII.

c.30.v.2.3.

XIV. 14 PIETAS SIVE TIMOR Dei, fides.

C.1. v.7. C.9. v.10. C.15. v.24. C.3. v.5.7. C.24. v.21. C.23. v.17. C.30. v.26. C.16. v.6. C.14. v.26. C.22. v.4. C.10. v.27. C.22. v.19. C.3. v.8. C.14. v.27. C.19. v.23. C.28. v.25.14. C.16. v.20.

XV. 15 SPES.

C.10. v.28. C.16. v.20. C.13. v.12. C.14. v.32. C.25. v.19. C.11. v.7.

XVI. 16 SACRIFICIUM.

C.15. v.8. C.21. v.27.3.

XVII. 17 ORATIO.

C.15. v.8. C.1. v.28. 29. C.28. v.9.

XVIII. 18 VOTA.

C.20. v.25.

XIX. 19 PIORUM ET IMPIORUM mores & exitus.

C.14. v.2. C.11. v.23. C.16. v.17. C.21. v.15. C.4. v.16.17. C.10. v.16. C.28. v.18. C.11. v.3. C.10. v.7. C.11. v.8. C.13. v.25. C.10. v.30.9. C.10. v.6. C.19. v.28. C.12. v.2. C.20. v.7. C.21. v.18. C.11. v.6. C.12. v.28. C.11. v.5. C.12. v.13. C.25. v.26. C.12. v.21. C.14. v.19. C.2. v.21. C.13. v.6. C.6. v.12.13.14. C.6. v.13. C.12. v.12. C.16. v.30.29. C.21. v.10. C.4. v.14. C.16. v.27. C.8. v.5. C.21. v.29. C.10. v.23. C.24. v.2. C.28. v.4. C.17. v.4. C.26. v.11. C.13. v.19. C.11. v.18.19.21. C.6. v.18. C.14. v.14. C.13. v.2. C.10. v.25.

Impiorum interitus.

C.1. v.27. C.2. v.22. C.18. v.3. C.29. v.6. C.11. v.12. C.21. v.12. C.5. v.22.23. C.12. v.3. C.22. v.5.33 C.14. v.32.11. C.2. v.7. C.22. v.12.1. C.13. v.9. C.29. v.16. C.51. v.9. C.23. v.20. C.26. v.27. 20. ILLU-

20 Illusores. XX.

c.15. v.12. c.14. v.6. c.13. v.1. c.9. v.12. c.29. v.8.3. c.19. v.29.

21 Hypocritæ. XXI.

c.30. v.12. c.11. v.9. c.19. v.28.

22 Retributio in hâc terrâ. XXII.

c.11. v.31. c.15. v.11.

23 Cogitationes. XXIII.

c.12. v.5. c.12. v.2. c.24. v.8.9. c.14. v.22. c.5. v.2. c.15. v.26. c.6. v.18.

LOCI POLITICI.

Loci politici in Proverbiis Solomonis.

1 Principes vel magistratus. 24 I.

c.31. v.1.2.3.4.5.6.7.8.9. c.29. v.7. c.16. v.10.13. c.17. v.7.1.2. v.25. v.3. c.8. v.15. c.24. v.11.12. c.22. v.22.23. c.17. v.15. c.16. v.13. c.24. v.26. c.30. v.21.

Servorum dominatus.

22. c.19. v.15.

2 Ira principis. 25 II.

c.28. v.15. c.19. v.12. c.20. v.2. c.16. v.14.15. c.20. v.8.

3 Supplicia sumta de facinorosis. 26 III.

26. c.17. v.15. c.21. v.11. c.24. v.24.25.

4 Conservatio regnorum. 27. IV.

c.14. v.34. c.28. v.2. c.29. v.4. c.29. v.14. c.16. v.12. c.20. v.28. c.28. v.16. c.29. v.18. c.25. v.4. 5. c.29. v.8. c.11. v.11. c.28. v.28.

Fœdera.

c.11. v.21. & 16. v.5. c.29. v.2. c.11. v.10. c.28. v.12.

V. 5 SUBDITI REGIS 28.

c.14. v.28. c.29. v.12.

VI. 6 QUOMODO AGENDUM in judicio. 29.

c.25. v.9.10.

VII. 7 LEGES. 30.

c.22. v.28. & 23. v. 10. c.13. v.14.

VIII. 8 RESPECTUS PERSONARUM. 31.

c.24. v.23.2. c.28. v.21. c.18. v.5.

IX. 9 CONSILIUM, BELLUM. 32.

c.24. v.5. c.24. v.6. c.21. v.31. c.20. v.18. c.21. v.22. c.11. v.14.

X. 10 CORRUPTELA MUNERUM. 33.

c.17. v.8.23. c.28. v.21. c.15. v.27. c.18. v.16. c.29. v.4. c.21. v.14.

XI. 11 VERI ET FALSI TESTES. 34.

c.24. v.28.29. c.12. v.17. c.6. v.19. c.19. v.28. c.21. v.28. c.25. v.18. c.19. v.5.9. c.14. v.5.25.

XII. 12 LEGATIONES. 35.

c.25. v.13. c.3. v.17. c.26. v.6. c.10. v.26.

XIII. 13 PONDERA ET MENSURÆ. 36.

c.11. v.1. c.16. v.11. c.20. v.10.23.

XIV. 14 CONTRACTUS. 37.

14. c.31. v.20.

XV. 15 SPONSIONES ET FIDEJUSſiones. 38.

c.6. v.1.2.3.4.5. c.20. v.66. c.27. v.13. c.17. v.18. c.11. v.15. c.22. v.26.27.

XVI. 16 SEDITIO. 39.

c.24. v.21.22. c.17. v.26. c.31. v.3.

LOCI

LOCI OECONOMICI. Loci œconomici in Proverbiis Solomonis.

1 Uxor bona. 40. I.

c.18. v.22. c.14. v.1. c.11. v.16. c.19. v.14. c.12. v.4.

Mulieris probæ encomium.

c.31. v.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23. 24.25.26.27.28.29.30.31.

2 Uxor mala. 41. II.

c.21. v.9.& 21. v. 24. c.21. v.19. c.19. v.13.& 27. v.15.16. c.30. v.23. c.11. v.12.

3 Amor mutuus conjugum. 42. III.

c.5. v.15.16.17.18.19.

4 Filius bonus et malus. 43. IV.

c.10. v.1. c.23. v.15.16. c.15. v.20. c.23. v.24.25. c.17. v.6. c.19. v.13.26.52.21. c.20. v.20. c.30. v.17. 11. c.28. v.24. c.9. v.3. c.28. v.7.

5 Educatio et castigatio liberorum. 44. V.

c.22. v.6. c.19. v.18.19. c.29. v.15.17. c.22. v.15. c.23. v.13.14. c.15. v.5. c.13. v.23.

6 Obedientia parentibus præstanda. 45. VI.

c.6. v.20.21.22.23. c.1. v.8.9. c.4. v.1.2.3.4. c.23. v.22. c.27. v.11. c.13. v.1.

7 Indoles. 46. VII.

c.20. v.11.

8 Servi. 47. VIII.

c.17. v.2. c.14. v.35. c.29. v.12. c.30. v.23. c.19. v.10. c.11. v.29. c.27. v.18.

9 Labor domesticus. 48. IX.

c.24. v.27.

X. 10 PECORA CURANDA, ET comparanda necessaria. 49

c.27.v.23.24.25.26.27. c.12.v.10. c.15.v.6.

XI. 11 DECOCTORES. 50

c.21.v.20. c.29.v.3.

XII. 12 MIGRATIONES crebræ. 51

c.27.v.8.

XIII. 13 CONSERVATIO ET EVERSIO domus. 52

c.12. v.12. c.22. v.33. c.2. v.7. c.24. v.3. c.15. v.27. c.19. v.29. c.11. v.29.

LOCI ETHICI.

Loci Ethici in Proverbiis Solomonis.

I. 1 SAPIENTIA, PRUDENTIA, calliditas. 53

c.17. v.24. c.14. v.33. c.53.2. v.6. c.22. v.12. c.13. v.20. c.17. v.16. c.23. v.23. c.18. v.15. c.14. v.6. c.20. v.5. c.18. v.4. c.28. v.5.

Credulitas.

c.14. v.15.8. c.13. v.16. c.22. v.3. & 27. v.12. c.12. v. 16.23. c.24. v.3. c.14. v.16. c.10. v.14. c.24. v.32. c.15. v.14. c.16. v.16. c.13. v.15. c.19. v.8. c.16. v.22. c.14. v.18. c.15. v.24. c.16. v.20. c.28. v.26.

II. 2 CONSILIUM. 54

c.8. v.14. c.13. v.10. c.20. v.5. c.15. v.22. & 24. v.6. & 20. v.18. c.12. v.5.15. c.12. v.20. c.27. v.9. c.26. v.27. c.11. v.14.

3 STUL-

3 Stultitia. 55 III.

c.19.v.3. c.23.v.9. c.14.v.9. c.24.v.7. c.18.v.2. c.27.v.23. c.17.v.12. c.17.v.7. c.15.v.21. c.3. v.35. c.21.v.26. c.26.v.4.5.

4 Justitia. 56 IV.

c.14.v.34. c.10.v.2.& 11.v.4.

5 Fortitudo et constantia. 57 V.

c.24.v.10. c.25.v.28.

Frenare affectus.

c.16.v.32. c.30.v.29.30.31.

6 Temperantia, ebrietas, crapula. 58 VI.

c.23.v.29.30.31.32.33.34.35. c.21.v.17. c.23.v.19. 20.21. c.20.v.1. c.28.v.7. c.31.v.4.

7 Scortatio. 59 VII.

26.27.28. c.31.v.31. c.22.v.14. c.29.v.3.

8 Adulterium. 60 VIII.

c.2.v.16.17.18.19. c.5.v.1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.

Repudiatio correctionis.

12.13.14.20.21.24.25.26.27.28.29.30.31.32.33. 34.35. c.7.v.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20. 21.22.23.24.25.26.27. c.30.v.20.

9 Ira. 61

c.15.v.18. c.14.v.17.v.21.v.24. c.19.11. IX.

Patientia.

c.12.v.6. c.14.v.29. c.22.v.24. c.16.v.32.15. v.1. c.27.v.3.

10 Amor, odium, invidia. 62 X.

c.25.v.21.22. c.26.v.26. c.26.v.24. c.27.v.4. c.23.v.6.7.8. c.14.v.30.

XI. 11 GAUDIUM DE ALIENIS malis. 63.

c.24. v.17.18. c.17. v.5.

XII. 12 VINDICTA PRIVATA. 64.

13. c.20. v.22. c.24. v.29.

XIII. 13 CÆDES INJUSTÆ. 65.

c.29. v.10. c.12. v.6.11.17. c.6. v.15.

XIV. 14 CONCORDIA. 66.

c.16. v.7. c.30. v.27.

XV. 15 RIXÆ ET CONTENTIONES. 67.

c.3. v.30. c.20. v.3. c.25. v.8.

Linguæ vitia & virtutes.

c.13. v.6. c.28. v.25. c.29. v.22. c.26. v.23. c.27. v.17. c.16. v.28. c.18. v.1. c.10. v.12. c.26. v.21. c.18. v.19. c.13. v.10. c.17. v.14. c.26. v.17. c.22. v.10. & 26. v.20. c.30. v.33. c.17. v.19. c.29. v.9. c.18. v.18.

XVI. 16 DETRACTIO. 68.

c.10. v.18. c.18. v.8. & 26. v.22. c.20. v.19. c.16. v.18. c.11. v.13. c.6. v.19.

Maledictio.

c.26. v.2. c.30. v.10. c.22. v.10. c.26. v.20. c.25. v.23.

XVII. 17 ADULATIO ET BLANDILOQUENTIA. 69.

c.26. v.25. c.27. v.6. c.28. v.23. c.29. v.5. c.26. v.28.

XVIII. 18 MANSUETUDO. 70.

c.25. v.15. c.15. v.1.

19 Veri-

19 Veritas et mendacium. 71. XIX.
c.12. v.19. c.26. v.28. c.22. v.22. c.6. v.17. c.13. v.5. c.30. v.8. c.3. v.3. c.20. v.6. c.16. v.6.

20 Promissio vana. 72. XX.
c.25. v.14.

21 Multiloquium. 73. XXI.
c.10. v.19. c.12. v.26.

22 Præcipitantia. 74. XXII.
c.29. v.20. c.18. v.13. c.15. v.28. c.19. v.2.

23 Secreta reticenda. 75. XXIII.
c.25. v.9. c.11. v.13. & 20. v.15.

24 Utilitas linguæ bonæ. 76. XXIV.
c.15. v.4. c.15. v.7. c.10. v.11.21. c.27. v.9. c.10. v.20. c.20. v.15. c.25. v.11. c.10. v.32. c.15. v.23.

25 Linguæ malæ incommoda. 77. XXV.
c.4. v.24. c.12. v.18. c.17. v.28. c.30. v.14. c.29. v.11. c.14. v.3. c.25. v.18.

26 Eloquentia. 78. XXVI.
c.16. v.23.24. c.22. v.11. c.15. v.2. c.16. v.21.

27 Linguæ bonæ et malæ præmia & pœnæ. 79. XXVII.
c.13. v.2. c.18. v.20. c.12. v.14. c.18. v.21. c.13. v.3. c.10. v.8. c.18. v.7. c.10. v.13. c.22. v.23. c.17. v.10. c.10. v.14. c.12. v.13.

28 Labor et pigritia. 80. XXVIII.
c.6. v.6.7.8.9.10.11. c.19. v.13. c.16. v.26. c.8. v.9. c.24. v.30.31.32.33.34. c.20. v.13. c.15. v.19. c.22. v.13. c.26. v.13.14.15.16. c.19. v.24. c.20. v.4.

c.21. v.24. c.13. v.4. c.31. v.13. c.10. v.5. c.12. v.11. c.14. v.23. c.28. v.19. c.30. v.24. 25. c.22. v.29. c.14. v.4.

XXIX. 29 MISERICORDIA ET LIBERALITAS. 81

c.3. v.3. 4. 9. 10. 27. 28. c.11. v.17. c.21. v.13. c.11. v.24. 25. 27. c.16. v.6. c.14. v.21. c.28. v.27. c.19. v.17. c.5. v.15. c.21. v.21. c.20. v.6. c.22. v.9. c.20. v.28. c.31. v.20.

XXX. 30 AVARITIA. 82

c.27. v.20. c.1. v.19. c.15. v.27. c.11. v.26. c.28. v.16. c.21. v.26. c.30. v.15. 16. c.23. v.6. c.24. v.15. 16. c.29. v.24.

Furtum.

c.24. v.2. c.6. v.30. c.28. v.24.

XXXI. 31 HUMILITAS ET SUPERBIA. 83

c.25. v.6. c.6. v.7. c.30. v.13. c.29. v.23. c.11. v.2. c.6. v.17. c.18. v.12. c.16. v.18. c.30. v.32. c.21. v.4. c.13. v.10. c.15. v.25. c.3. v.5. c.3. v.7. c.14. v.12. c.6. v.25. c.21. v. 2. & 16. v.2. c.12. v.15. c.16. v.5. c.22. v.4. c.16. v.12. c.15. v.34. c.16. v.19. 34. c.13. v.10. c.10. v.10. c.17. v.19. c.28. v.26.

XXXII. 32 CONTEMPTUS. 84

c.13. v.13.

XXXIII. 33 SECURITAS. 85

c.17. v.1.

XXXIIII. 34 CORRECTIO. 86

c.17. v.10. c.3. v.11. 12. c.19. v.20. c.25. v.12. c.27. v.5. 6. c.4. v.13. c.10. v.17.

Repudiatio castigationis.

c.12. v.1. c.15. v.32. c.5. v.12. c.15. v.10. c.29. v.15.

v.15.19. c.26. v.3. c.22. v.15. c.10. v.25. c.15. v.33. c.13. v.18. c.28. v.23. c.29. v.1. c.9. v.7.8.9. c.4. v.13. c.18. v.17. c.10. v.13. c.20. v.30. c.17. v.11.

35 Moderatio. 87 XXXV.

c.25. v.16. c.4. v.27. c.30. v.36. c.25. v.27. c.27. v.7.

36 Custodienda sunt membra nostra. 88 XXXVI.

c.42. v.1.25.26.

37 Amicitia. 89 XXXVII.

c.11. v.12. c.17. v.17. c.19. v.6. c.3. v.29. c.18. v.24. c.23. v.1. c.27. v.10. c.21. v.10. c.19. v.4. & 14. v.20. c.17. v.9. c.25. v.17.

LOCI MISCELLANEI.

Loci miscellanei in Proverbiis Solomonis.

1 Conjunctio cum bonis & malis. I.

c.1. v.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19. c.29. v.27. c.28. v.19. c.23. v.17.18. c.14. v.7. c.4. v.24.13.14. 15. c.24. v.1.

Felicitas impiorum.

2.19.20. c.3. v.31.32. c.12. v.11. c.22. v.24.25. c.13. v.20.

2 Divitiæ justæ et injustæ. 61 II.

c.10. v.22. c.14. v.24. c.21. v.5. c.13. v.22. c.22. v.7. c.19. v.4. c.13. v.8. c.18. v.11. c.10. v.15. c.27. v.4. c.11. v.16. c.27. v. 24. c.23. v.4.5. c.28. v.20. c.28. v.22. c.20. v.21. c.21. v.6. c.10. v.2. c.22. v.16. c.21. v.7.

Rapina, dolus.

c.11.v.4. c.13. v.11. c.12. v. 27. c.10. v.4. c.12. v.24. c.28.v.8.

Usura & fœnus.

c.26. v.18.19. c.17. v.20.

III. 3 PAUPERTAS. 92.

c.28. v.3.19. c.30. v.7.8.9. c.24. v.30. c.23. v.21. c.10. v.3. c.21. v.17. c.6. v.11. c.22. v.2. c.29. v.13. c.14. v.20. c.31. v.4.

Bona conſcientia.

c.15. v.15. c.22. v.22. c.19. v.15. c.28. v.11. c.20. v.13. c.13. v.7.

IV. 4 OPES MEDIOCRES juſtè collectæ. 93.

c.15. v.16. c.17. v.1. c.15. v.17. c.16. v.8.

V. 5. COMPARTIO DIVITUM ET pauperum. 94.

c.19. v.22. c.12. v.26. c.28. v.6. c.19. v.1.7. c.18. v.23. c.17. v.5. c.11. v.18. c.14. v.31.

VI. 6 PUPILLI, VIDUÆ. 95.

c.31. v.9. c.23. v.10.11. c.15. v.25.

VII. 7 NOBILILITAS. 96.

c.12. v.9.

VIII. 8 FORMA ET FAVOR. 97.

c.31. v.30. c.21. v.22. c.22. v.1. c.10. v.7. c.22. v.1.

IX. 9 LAUS. 98.

c.27. v.14. c.28. v.4. c.27. v.2. c.22. v.8. c.27. v.21.

10 SENE-

10 Senectus, juventus. 99. X.

c.16. v.31. c.20. v.29.

11 Affectus, timor. 100. XI.

c.3. v.24. c.10. v.24. c.28. v.1.

Conscientia mala.

c.29. v.25.

12 Tristitia. 101. XII.

c.12. v.25. c.14. v.13. c.17. v.22. c.14. v.10. c.18. v.14. c.15. v.13. c.15. v.15.

13 Non congruentia. 102. XIII.

c.25. v.20. c.26. v.9. c.19. v.10. c.26. v.7.8.1. c.17. v.7.

14 Nuncium. 103. XIV.

c.15. v.30. c.25. v.25.

Tales sunt tituli Proverbiorum Salomonis. Physica illius opera ad nos non sunt transmissa.

Novum Testamentum quod attinet, ibi continentur multa historica, ethica, œconomica, quinimò quædam physica, & alia similia, quæ faciunt ad liberalem eruditionem. *Quamvis enim hic non sit scopus S.S. literarum, ut inde discamus philosophari: nihilominus tamen ex hactenus commemoratis evincitur, sanctos Dei viros non fuisse alienos & remotos à studio liberalioris doctrinæ. Id quod erat probandum.* Philosophiæ Christianæ vestigia in N.T.

Sequitur, ut ostendam, quæ reliqua hodie sint priscorum Hebræorum monumenta apud modernos doctores Hebræos. Moderni autem Hebræorum Doctores sunt vel Targumici, vel Talmudistæ, vel Cabbalistæ, vel Medici. Philosophiæ ratio apud hodiernos Judæos. Quatuor classes hodiernorum Dd. Judæorum.

I. Targumistæ.

Targumici ſunt, qui explicant ſacras literas adhibito Targum Hieroſolymitano, itemq; Babylonico. *Hi multa habent, quæ faciunt ad explicationem rerum naturalium, quæ occurrunt in V.T. ut ſunt ovis, ſerpens, aquila. Vide* Benedict. Ariam Montanum in appendicib. operis regii.

II. Talmudiſtæ.

Talmudiſtæ ſunt Rabbini, qui Talmud explicant; *ubi continentur multa ritualia, multa etiam phyſica. Illa partim vera, partim falſa, partim ridicula ſunt. Hæc maximam partem vera.*

III. Cabbaliſtæ.

Cabbaliſtæ ſunt, qui altiùs aſſurgunt quàm Talmudiſtæ. *Eſt autem duplex Cabbala. Una de* Bereſchith, *Coſmologia quædam ſeu Phyſiologia. Altera de* Mercana, *ut vocant, plena ſuperſtitionum, de nominibus Dei & Angelorum. Prior illa eſt ſatis proba, in quâ ſunt quinquaginta portæ lucis, ſive intelligentiæ, quas iterum examinant per arborem decem* סורירפת, numerationum, *& triginta duas ſemitas ſapientiæ, itemque per tres* מידות, proprietates. *Vide* Reuchlini libros de Cabbalâ, Petrum Gregoriũ Tholoz. in comment. in prologem. art. mirab. cap. 7. Paulum Principem de la ſcala & Hun in libris miſcellaneorũ, itemq; de cauſis & ſucceſſibus rerũ. *Prætereo Logicam, Mathematicam, Metaphyſicam, & ſimilia Hebræorum monumenta, quorum terminos collegit* Genebrardus *in iſagoga ad legenda & intelligenda Hebræorum, & reliquorum orientalium ſine punctis ſcripta.*

Medici *deniq; apud Hebræos ſunt quamplurimi, qui habent non pœnitenda remedia.*

Ecce quàm divites sunt philosophi Hebræi moderni, qui indubiè quædam à priscis illis Hebræis habent quamvis non ita pura.

Testor præterea Græcos & Latinos, qui ipsi perhibent, se ab Orientalibus quamplurima precariò quasi accepisse. Eccui enim dubium est, quin Macedonum ille rex, & eversor Asiæ, Alexander, Chaldæorum, Medorum & Persarum monumenta conquisierit, quæ ejus præceptor Aristoteles (qui primus Athenis privatam Bibliothecam ex omni genere librorum instruxisse fertur) suppreßis authorum nominibus, quasi mercem interpolatam in proprios usus convertit? Aristoteles unde tot rerum scientiam hauserit? *Unde enim uni homini tanta rerum omnium cognitio, nisi ex veterum Judæorum & Chaldæorum, & similium monumentis, quæ Metaphysicam, Mathematicam, Physicam, Politicam, Logicam denique continebant, atque conservabant? Cui quidem non mea tantùm, sed & aliquammultorum sententiæ plenißimam adstruit fidem Clearchus, Aristotelicæ sectæ non ignobilis alumnus.* Clearchus pro Judæis loquitur. *In libro siquidem de somno memoriæ prodidit; quòd quum Aristoteles disceptaret cum Hyperochide, dixerit:* Judæus erat, qui ab altioribus Asiæ locis, ad maritimas Asiæ civitates descendens, & linguâ & animo Græcus fuit. Quumq; accidisset, ut eo tempore nos quoq; in maritimis Asiæ locis versaremur, philosophiæ amore ad nos sponte venit, qui multò plura nobis attulit, quàm acceperit. *Hæc pro Judæis Clearchus. Pro Chaldæis verò Plato, quāvis Græcus, tamē erga eos, per quos profecerat, magis gratus, quàm Aristoteles, scriptis mandare in* Alcibiade *non* Plato pro Chaldæis loquitur.

erubuit, magiam Zoroastris nihil aliud esse, quàm divini cultus scientiam, quâ filios Persarum reges erudiebant, ut ad exemplar mundanæ Reip. *suam ipsi regere remp. addiscerent. Idem in* Epimonide *Syris & Ægyptiis propter æstivi temporis in utraq; regione serenitatem, ubi stellæ omnes clarè cernuntur, semper Astrologiæ tribuit inventionem, Syrumq; quempiam authorem nominum fuisse perhibet. Ægyptios quoq; præclaros fuisse philosophos, author est sanctus Stephanus Act. 7. v. 22. ubi ait,* Mosen institutum fuisse omni sapientiâ Ægyptiorum. *Idipsum testatur* Arist. 1. Metaph. *Manet igitur, Græcos illos, putà Pythagoram, Democritum, Apollonium, Tyanæum, Indorum quoq; Gymnosophistas & Brachmanes olim se contulisse ad Sapientes Orientales, Hebræos scilicet, Chaldæos & Ægyptios. Præterea Chaldæi & Hebræi etiam oraculo Delphico habiti sunt sapientissimi.*

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, οἱ δ᾽ ἄρ᾽ ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Chaldæi sapiunt soli, tùm numen Hebræi
Ingenitum, regemq; pio venerantur honore.

Peucerus *tamen* de divinat. generibus *putat has fuisse diabolicas ironias. Quicquid hujus sit, relinquitur, illos fuisse addictos philosophiæ: quamvis tractu temporis in ementitam sapientiam degenerarint. Etsi autem optandum foret, Hebræorum philosophiam ad nos delatam esse; habemus tamen nihilominus illorum philosophiæ rudera, ut ita dicam, per manus nobis tradita. Ab Hebræis enim philosophia ad filios Hebræorum, Chaldæos, ab his ad vicinos Assyrios, & Ægyptios: inde ad Græcos pervênit, à Græcis*

Rudera philosophiæ Hebræorum etiam hodie extant.

Græcis ad Latinos & ad nos demum. Neq; enim putandum est, aliam fuisse veritatem apud orientales priscos, quàm hodie est. Nam verum vero consonat, ut habet dictum primi philosophi. Verùm enimverò tam altas radices in cordibus Græcorum egerat ambitio, ut primorum monumenta postremi semper conati sint intervertere, atq; prorsus delere, quò faciliùs proprii nominis famam fumúmve, deleta priorū memoriâ, ad posteritatē propagarent. Non secus atq; in imitatione novi alicujus principis fieri cernimus, undiq; scilicet alterius mortui principis numismata colligi atq; corradi, ut illis demum in fornace simul conflatis, postmodum singulatim inaugurati principis nomine obsignentur, expressamq; ipsius imaginem referant, & symbolum. Hoc modo factum est, ut quæcunq; ambitiosi Græci de rebus divinis & humanis, cœlestibus & terrenis, à veteribus Judæis & Chaldæis didicerant, partim in fabulas & prodigiosa quædam commenta subdolo ingenio commutarint, ne ab aliis vicinis populis ingratitudinis & turpissimi furti crimine convicti, quasi graculi quidam cæterarum avium plumis exuti exsibilarentur & exploderentur, partim aliâ methodo proposuerunt, suppressis nominibus. Unde apparet, verissimum esse illud, quod Clemens Alexandrinus in Stromatis, Eusebius in libris de præparatione Evangelicâ, Atticus Platonicus, Aristobulus, multiq; authores gravissimi *probant: Gentiles videlicet, ut Ægyptios, Persas, Indos, Arabas, ab Hebræis & Chaldæis, Græcos ab illis omnibus, veteresq; tam Gallos quàm Hetruscos populos à Græcis, si quæ habuerunt, vel de rerum naturalium causis egregia dogmata, vel de religione mysteria, usurpasse.*

Græcorum ingeniosa superbia.

Atq; hi sunt authores & cultores philosophiæ Orientales, iique cùm sacri, Hebræi scilicet, tùm profani, Chaldæi, Magi Persarum, Gymnosophistæ & Brachmanes Indorum, de quibus Strabo lib.15. & Bardesanes Babylonius; *Sacerdotes denique Ægyptiorum:* sequuntur Occidentales, iique tùm Græci, tùm Latini. *Nihil enim hîc attinet dicere de philosophis Galliæ, qui Druides appellantur.*

Græcorũ philosophorũ catalogus κεφαλαιώδης.

Græci philosophiæ inventores & cultores fuerunt veteres tùm poëtæ, tùm philosophi. Poëtæ fuerunt Linus, Orpheus, Musæus, Homerus, Hesiodus, *&c. qui odas & hymnos cecinerunt, cùm dulces, tùm sapienter conscriptos. Hi involucris fabularum quamplurima texerunt scitu digna. Proinde illorum fabulæ enarrandæ sunt physicè, ethicè, politicè; ut ostendit* Natalis Comes *in suâ Mythologiâ. Priscos illos poëtas indubiè imitati sunt Talmudistæ, qui multa habent fabulosa, si* ῥητὸν *spectes; at si* διάνοιαν *&* ἐπιμύθιον, *innumera ista pallio poëtico tecta sunt arcana de rerum naturis. Eam ob causam poëmata olim magno erant in honore. Et* Plato in Lyside *scribit, poëtas fuisse veteribus instar patrum & ducum sapientiæ. Unde à quibusdam salutantur ethnicorum hierophantæ.*

Fabulæ poëtarum quî enarrandæ?

Septem Græciæ sapientes.

Post veteres illos poëtas effloruerunt septem sapientes, eorumq; discipuli, à quibus ortæ duæ sectæ & scholæ, Italica, à Pythagorâ, primo nominis philosophici inventore constituta, & Mathematicis maximè dedita: & Ionica à Thalete Milesio, Sapientum

uno

uno incepta, Physicis Astronomicisq; inprimis gaudens, quæ deinde per & post Socrâtem, in utramque partem disputantem, physicaq; studia in Ethica permutantem, in duas hasce præcipuas sectas(Cynicâ & Epicuréâ subitò sublatis) Academicam Platonis, & Stoicam Zenonis est divisa: ex quibus Academica Peripateticam ab Aristotele Platonis discipulo ortam genuit: Stoïca verò jamdiu ferè evanuit.

Latini philosophi præteritis poëtis fuerunt partim Academici, partim Stoïci. **Latini philosophiæ sectarii.**

In Academicis præcipuus fuit Cicero. Stoici Cato & Seneca, aliiq;, *de quibus agimus in nostrâ philosophiâ veterùm & recentiorum; ubi modum docendi, qui inde ab Adamo, ad hæc nostra tempora apud singulas obtinuit sectas, percensemus.* **Tractatus authoris de philosophiâ veterum & recentiorũ.**

Sequuntur sectæ philosophorum recentiores. Philosophi recentiores sunt Christiani illi, qui post Christum floruerunt. **Philosophi recentiores sunt**

Suntq;, vel minùs, vel magis recentes.

Minùs recentes sunt Patres Ecclesiastici, & Doctores Scholastici.

I. Patres Ecclesiastici.

Patres Ecclesiastici sunt vel Græci, vel Latini, qui Christianam philosophiam adversus Gentiles asseruerunt, ejusq; usum in Ecclesiâ monstrârunt. Tales sunt cumprimis, Damascenus, Chrysostomus, Augustinus, Justinus Martyr & philosophus, Irenæus, Lactantiuus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus.

Horum duas classes constituimus. Prima est eorum, qui inde à temporibus Apostolorum ad concilium usq; Nicenum floruerunt: secunda eorum, qui inde à concilio Niceno usq; ad Scholasticos. Vide medullam Patrum Dn. Abrahami Sculteti.

II. Doctores Scholastici, quorum tres sunt ætates.

Scholastici Doctores sunt, qui in Scholis philosophiam docuerunt.


Tres sunt illorum ætates. Prima seu vetus *ætas duravit ab anno Christi 1020. usq; ad 1220.* Media Scholastica *cœpit ab Alberto Magno, anno Domini 1220. & duravit usq; ad Durandum de sancto Porciano, qui vixit anno Domini 1330.* Nova seu ultima Scholastica *cœpit post Durandum, anno Domini 1330, & propagata est usq; ad annum 1514. Vide* Lambertum Danæum super lib. 1. magistri sentent.

III. Tres sectæ hodie vigentes.

Philosophi magis recentes sunt vel Aristotelis sectatores, vel Lulli, vel Rami. *Hæ enim tres sectæ hodie in Scholis vigent.*

Atq; hæc dicta sunto de philosophiæ inventoribus & propagatoribus, de quorum lectione infrà in Methodicâ, seu Canonicâ nostrâ regulas videre licet. Quæ hactenus dicta sunt, quodam ἀποσχηματισμῷ *conabor adumbrare.*

Philo-


Philosophi
Prisci
Orientales
Sacri
Adam
Noah
Abraham
Moses
David
Salomon.
Profani
Chaldæi
Magi Persarum,
Indorum
Brachmanes.
Gymnosophistæ.
Ægyptiorum Sacerdotes.
Occidentales
Druides Gallorum.
Græcorum
Poëtæ.
Septem sapientes quibus ortæ duæ sectæ & Scholæ
Italica Pythagoræ.
Ionica Thaletis Milesii, quæ genuit
Cynicam
Epicuream
Stoicam
Academicam, cui successit Peripatetica.
Latinorum
Poëtæ
Philosophi
Stoici
Academici, seu Platonici.
Recentiores
Minus
Patres Ecclesiastici, quorum duæ sunt classes.
Dd. Scholastici, quorum tres sunt ætates.
Magis
Peripatetici
Lullistæ
Ramei.



Cap. 16. De causâ philosophiæ impulsivâ.

SIc de causâ efficiente dependente primaria: ſequitur artium philoſophicarum cauſa dependens ſecundaria, quæ eſt vel impulſiva, vel inſtrumentalis.

Cauſa impulſiva interna philoſophiæ.

Cauſa impulſiva ſeu motiva eſt vel Interna, vel Externa. Illa Græcis προηγουμένη, hæc προκαταρκτικὴ dicitur.

Cauſa impulſiva interna eſt duplex; Defectus humanæ naturæ, ſeu ſenſus humanæ imbecillitatis, ſeu perditæ primogeniæ omnium facultatum perfectionis, & Inſitum hominibus naturale ſciendi & cognoſcendi deſiderium.

Duæ hæ ſunt cauſæ, quæ olim internè commoverunt homines & bona ingenia ad philoſophiam inveniendam, & hodie commovent non distortas naturas ad eandem diſcendam. Huc pertinet quod philoſophus dicit 7. Polit. πᾶσα τέχνη καὶ παιδεία τὸ παραλειπόμενον *(ita enim legendum puto)* βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν: omnis ars & diſciplina implere vult id quod deeſt naturæ. *Atque hoc eſt primum illud incitamentum. Alterum eſt naturale illud ſciendi deſiderium, de quo idem philoſophus* 1. Metaph. πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: omnes homines ſcire per naturam deſiderant. *Quod eſt tanquam honorarium totius philoſophiæ exordium d.l. Eâdem de re copiosè tractat* Cicero l. 2. & 5. de Finibus. *Appetit*

petit autem homo ſcientiam duplici appetitu, innato & elicito. Fonſeca in. 1. Metaph. cap. 1. q. 1. Appetitus innatus eſt inclinatio ab auctore naturæ indita, quâ unaquæque res absque ullâ præviâ cognitione ſuâ in bonum propenſa eſt. Appetitus elicitus eſt actus appetendi, quo res cognitionis particeps, præviâ aliquâ cognitione ſuâ fertur in bonum, ſive tale ſit καθ' ἀλήθειαν, ſive κατὰ δόξαν. *Utroque modo homo appetit ſcientiam.* Innato quidem: *quia intellectus noſter eſt naturaliter imperfectus, & ex ſe eſt veluti tabula, in quâ nihil eſt depictum (exceptis principiis) & perinde ſe habet ad notitias rerum, ut materia ad formas.* Ariſt. l. 3. de anima cap. 4. tex. 14. *Id autem quod naturaliter imperfectum eſt, naturaliter appetit perfectionem. Quum igitur ſcientia perficiat intellectum, utique intellectus appetit ſcientiam innato appetitu.* Elicito verò: *quia quò magis homo cognovit, eo magis cognoſcere cupit. Id intelligendum eſt ſublatis impedimentis, quæ ſunt vel res externæ, vel languor & moleſtia corporis, vel pravi animi affectus. Ita in monachis, quos vocant* fratres ignorantiæ, *eſt pravus animi affectus. Illi nihil ſcire volunt præter Chriſtum, Mariam & Franciſcum: quæ ignorantia eſt affectata, & pravæ diſpoſitionis. Ignorantiam enim duplicem facit philoſ. 1. poſt. c. 12. Aliam* puræ negationis, *qualis eſt in pueris & idiotis: aliam* pravæ diſpoſitionis, *qualis eſt in Sophiſtis, qui ſimulant ſe ſcire, quum nil ſciant omnino. Præterea quòd non omnes homines ipſo facto (ut loquuntur) appetunt ſcientiã, non de fine, ſed de mediis*

Appetitus eſt Innatus vel Eliticus.

Bonum duplex.

Impedimenta cognitionis.

Ignorantia duplex.

diis intelligendum. Omnes appetunt finem, ceu bonum: at non omnes appetunt pariter media, quæ ad finẽ. Et ut maximè concedatur in hoc vel illo non esse discendi cupiditatem; quid inde? Nam pauca individua, eaq́ cyclopica, non præjudicant toti speciei. Fonseca d.l.& Keck præcog.philos.l.1.c.3.

Causa impulsiva externa philosophiæ. Admirationis vis. Admiratio fit variis de causis.

Causa impulsiva externa est rerum in mundo admirabilium pulchritudo. *Rectè dicit philosophus*: Admiratio est philosophiæ veluti anima. *Admirationem illam parit ignoratio causarum, vel certè ignoratio cohæsionis causarum cum effectu.* Scal. exerc.1.s.1. *Nam interdũ admiramur effectũ, quia ignoramus causam: ut, quare galli obtutum exhorrescat leo: suis stridorem elephas, ut ajunt: magnes trahat ferrum: brassica adversetur viti: magnes moveatur ad polum Arcticum. Interdum admiramur, quia causa quidem non latet nos, sed causæ cohæsio cum effectu: veluti cùm motu liquescit plumbum: liquefactionis causam, motum esse manifestum est. Non enim liquescit, nisi moveatur. An verò ea causa sit immediata: h.e. an protinus per se cohæreat cum effectu, nondum compertum habemus. Iccircò porrò quærimus; sítne attritio aëris, quæ illo in motu fit: an ne ea quidem proxima, sed attenuatio: quâ transferatur aëris natura ad naturam ignis. Causâ verâ cognitâ mens nostra acquiescit, nec amplius miratur effectum. Sedari autem non potest, quamdiu causam ignorat, & iccirco cupit istam tristitiam excutere, quæ ex ignoratione causarum oritur, & admirationis affectum includit. Qui enim admiratur, ait* Aristoteles 1.Metaph.c.2.*ignorasse existimandus est. Quapropter cùm excellentia ingenia*

genia suspendi nolint, & ignorantiam atq; tristitiam ferre nequeant ex causarum ignoratione ortam, necessariò commoventur ad investigandas causas rerum, atq; adeò ad constituendam aut discendam philosophiam, quæ causarum magistra est. Id quod Aristoteles sapienter docuit d. l. Διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν, καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν: *i.e. ut vertit* Petrus Fonseca (*cujus versio tàm clara est, ut possit esse vice commentarii*) Etenim propter admirationem & nunc & olim cœperunt homines philosophari. *Et paulò pòst:* ὁ ἀπορῶν καὶ θαυμάζων, οἴεται ἀγνοεῖν: qui dubitat & admiratur, planè se ignorare existimat. *Et paulò pòst:* διὰ τὸ φεύγειν τὴν ἄγνοιαν ἐφιλοσόφησαν: ut ignoratione fugerent, philosophati sunt. *Et Pythagoras interrogatus, quis esset philosophiæ finis, respondit:* Nihil admirari: *quasi diceret, in eo potissimùm philosophum differre à plebe, quòd hæc perpetuò suspendatur admiratione effectuũ in natura, quorum causas ignorat; ille verò eosdem effectus intueatur & consideret cum quâdam lætitiâ & voluptate; utpote qui causas habeat perspectas. Hanc Pythagoræ sapientissimam sententiam Horatius expressit, ita canens:*


Fonseca optimè vertit Aristotelis Metaphysicam.

Cur homines philosophari cœperint.

Nil admirari propè res est una Numici,
Solaq; quæ possit facere & servare beatum.

Et Socrates apud Platonem collaudat Theætetum: in Theæteto, seu de scientiâ. Theodætus, *inquit Socrates,* ô amice, non malè de tuo ingenio conjectasse videtur. Maximè enim philosophis hoc usu venit, ut admirentur. Et qui Irim, Thaumantis, quasi admirationis filiam

esse tradidit, non absurdè originem ejus explicavit. *Et eodem in loco:* Tum demum, *inquit,* philosophia perfecta erit, cùm omni admiratione depositâ perfectam causarum notitiam complectetur. *Itaq; causa, ob quam philosophari cœperunt, ipsumq; philosophiæ studium ad altißimarum usq; causarum inquisitionem persecuti sunt, fuit admiratio, quæ nata est ex ignoratione earum causarum, quarum effecta nota erant. Cùm enim principiò minùs difficilia quædam mirarentur homines, eorumq; causis inventis, difficilioribus quæstionibus explicandis operam darent, eò tandem progreßi sunt, ut summas rerum causas inquirerent, à quibus totum universum pendet.* Fonseca in 1. Metaph. cap. 2. q. 5. Keckerm. l. 1. præcog. philos. cap. 4.



Cap. 17. De principio philosophiæ instrumentali.

Causa instrumentalis philosophiæ.

SIc de causis impulsivis philosophiæ; instrumentalis causa est primò vel interna, vel externa.

Interna instrumenta philosophiæ sunt principia, tùm naturalia, tùm habitualia.

Principia naturalia sunt vel prima, vel à primis orta.

Naturalia prima sunt sensus: *in quibus excellunt visus & auditus.*

A primis orta sunt Observatio, Experientia, & Inductio.

Observatio est eorum quæ sensu percepta sunt, notatio: *Græcè ἱστορία.* Arist. 2. post. cap. ult.

Ex-

Experientia est plurium observationum collectio, & ad certum usum applicatio. Arist. d.l.& 1. Metaph.c.1.

Inductio est mentis actio, quâ ex plurium *observationum & experientiarum collectione universalis conclusio in intellectu efformatur, & veluti regula quadam extruitur.* Arist.2. post. cap.ult. & 1. Metaph.c.1. Keckerm.præcog.philos.l.1.c.3.

Sed de his instrumentis naturalibus infrà agemus copiosiùs. Hîc consideramus ceu principia essendi: infrà considerabimus ut principia cognoscendi. Hæc enim est principalis nostra, ut loquuntur, intentio, principia cognoscendi fusiùs persequi.

Instrumenta habitualia sunt: Attentio, Lectio, Selectio, Exercitatio. Petrus Titus, *carum mihi nomen*, in libro Naturæ pag.11.


Externa instrumenta sunt tùm personalia, tùm realia.

Personalia sunt Magistri, iiq; vivi, præceptores dicti, vel muti, dicti auctores, iiq; tùm veteres rerum inventores, tùm recentes inventorum completores, & ad genium nostrum accommodatores. Titus d.l. *De iis infrà agemus in Canonicâ.*

Realia sunt, tùm Artes instrumentariæ, Logica, Rhetorica, Grammatica, (*de quibus infrà in Technologià*) tùm Bona utilia, seu corporis & fortunæ, omnium rerum accipiendarum nervi, tùm circumstantiæ loci & temporis.

Loca hæc talia vel Domestica, vel Extera, unde peregrinatio.

esse tradidit, non absurdè originem ejus explicavit. *Et eodem in loco:* Tum demum, *inquit*, philosophia perfecta erit, cùm omni admiratione depositâ perfectam causarum notitiam complectetur. *Itaq; causa, ob quam philosophari cœperunt, ipsumq; philosophiæ studium ad altißimarum usq; causarum inquisitionem persecuti sunt, fuit admiratio, quæ nata est ex ignoratione earum causarum, quarum effecta nota erant. Cùm enim principiò minùs difficilia quædam mirarentur homines, eorumq; causis inventis, difficilioribus quæstionibus explicandis operam darent, eò tandem progreßi sunt, ut summas rerum causas inquirerent, à quibus totum universum pendet.* Fonseca in 1. Metaph. cap. 2. q. 5. Keckerm. l. 1. præcog. philos. cap. 4.



Cap. 17. De principio philosophiæ instrumentali.

Causa instrumentalis philosophiæ.

SIc de causis impulsivis philosophiæ; instrumentalis causa est primò vel interna, vel externa.

Interna instrumenta philosophiæ sunt principia, tùm naturalia, tùm habitualia.

Principia naturalia sunt vel prima, vel à primis orta.

Naturalia prima sunt sensus: *in quibus excellunt visus & auditus.*

A primis orta sunt Observatio, Experientia, & Inductio.

Observatio est eorum quæ sensu percepta sunt, notatio: *Græcè* ἱστορία. Arist. 2. post. cap. ult.

Ex-

Experientia eſt plurium obſervationum collectio, & ad certum uſum applicatio. Ariſt. d.l.& 1. Metaph.c.1.

Inductio eſt mentis actio, quâ ex plurium *obſervationum & experientiarum collectione univerſalis concluſio in intellectu efformatur, & veluti regula quadam extruitur.* Ariſt. 2. poſt. cap.ult. & 1. Metaph.c.1. Keckerm.præcog.philoſ.l.1.c.3.

Sed de his inſtrumentis naturalibus infrà agemus copioſiùs. Hîc conſideramus ceu principia eſſendi: infrà conſiderabimus ut principia cognoſcendi. Hæc enim eſt principalis noſtra, ut loquuntur, intentio, principia cognoſcendi fuſiùs perſequi.

Inſtrumenta habitualia ſunt: Attentio, Lectio, Selectio, Exercitatio. Petrus Titus, *carum mihi nomen*, in libro Naturæ pag.11.


Externa inſtrumenta ſunt tùm perſonalia, tùm realia.

Perſonalia ſunt Magiſtri, iiq; vivi, præceptores dicti, vel muti, dicti auctores, iiq; tùm veteres rerum inventores, tùm recentes inventorum completores, & ad genium noſtrum accommodatores. Titus d.l. *De iis infrà agemus in Canonicâ.*

Realia ſunt, tùm Artes inſtrumentariæ, Logica, Rhetorica, Grammatica, (*de quibus infrà in Technologià*) tùm Bona utilia, ſeu corporis & fortunæ, omnium rerum accipiendarum nervi, tùm circumſtantiæ loci & temporis.

Loca hæc talia vel Domeſtica, vel Extera, unde peregrinatio.

Tempus vel matutinum, vel pomeridianum, vel vespertinum. *De quibus infra in Canonicâ.*



Cap. 18. De principio disciplinarum philosophicarum finali.

EXplicatum est principium disciplinarum efficiens: sequitur earundem principium finale, *seu* finis.

Finis philosophiæ est, cujus gratiâ illa inventa est.

Estq; vel generalis, vel specialis.

Generalis est vel architectonicus, vel subordinatus.

Finis architectonicus. Architectonicus est gloria Dei. *Quamvis enim gentiles philosophi hunc finem directè non intenderint; indirectè tamen hoc fecerunt. Hîc ergo consideretur, ethnicos à prima causa fuisse directos; ita ut promoverint gloriam Dei, sicut etiam impii quandoq; faciunt. Nam nil tale cogitantes, gloriam Dei utcunq; illustrarunt apud alios. Quid? Gloria Dei semper manet summus finis, sive nos illum finem intendamus, sive non. Non enim quæritur, quid fiat, sed quid fieri debeat.*

Finis subordinatus. Subordinatus finis, est salus ipsius hominis, eaq; tum temporalis, tum æterna.

Æterna salus dicitur finis philosophiæ, non quòd per philosophiam assequamur vitam æternam: sed quia hic finis secundùm gloriam Dei debet esse mensura studii philosophici.

Finis specialis. Specialis philosophiæ finis est iterum duplex:

plex: alius ſcilicet eſt philoſophiæ latè, prout à nobis hîc conſideratur, acceptæ, alius philoſophiæ ſtrictè conſideratæ, quatenus contradiſtinguitur Theologiæ, Juriſprudentiæ, & Medicinæ.

Intelligimus hîc finē οὗ, cujus *nempe gratiâ res eſt; non* ᾧ, cui, *qui cum ſubjecto, cui philoſophia deſtinata eſt, incidit.* Neq; *etiā hoc agimus, ut omnes fines, minùs principales ſcilicet, accumulemus. Id nobis cordi & curæ eſt, ut fines philoſophiæ principales (illi enim certi ſunt, & quia certi, brevibus comprehendi præceptis poſſunt) colligamus. His enim probè intellectis, fines illi minùs principales ultrò ſeſe dabunt, utpote qui à principalibus neceſſariò dependent. Prætereà hîc non intelligimus* finem executionis, *quem vocat Thomas, ſed* intentionis. *Ille enim rectè in effectis, hic in cauſis numeratur.*

Finis eſt οὗ vel ᾧ.

Finis executionis, & intentionis.

Itaq; finis philoſophiæ latè acceptæ eſt inſtauratio imaginis divinæ in homine. Inſtauratio iſta eſt perfectio mentis, & orationis.

Duo ſunt, quæ Homerus in Vlyſſe commendat, σιώεσιν *&* δυώαμιν ἑρμηνδτικήν. *Sic enim de illo canit:*

Duo eruditionis ſcopi.

Σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι σοι φρένες ἐσθλαί:
Mente vales, juncta eſt facundis gratia dictis.

Hi nempe ſunt, in quovis ſtudio, totius eruditionis duo ſcopi, ad quos collineare debemus, rerum nempe præclararum notitia, & cognitarum elocutio. Quæ utraq; liberalis inſtitutionis meta etiam conſtituitur apud Thucydidem *ſapientiſsimum Græciæ ſcriptorem* l. 2. *nempe* γνῶναι τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα: ut cognoſcamus, quæ ſcitu digna & neceſ-

Thucydides, ſapientiſsimus Græciæ ſcriptor.

ſaria ſunt, atq; eadem ſermone interpretemur. *Ac res quidẽ ipſas, quæ vel ad contemplationem tantùm, vel ad vitam & mores pertinent, tùm philoſophia (ſtrictè accepto vocabulo) tradit, tùm tres ſummæ iſtæ, quas ita vocamus, facultates, mentem nempe regente & ducente arte Logicâ, ut explicatè, & verè, & methodicè ſingula poßit comprehendere. Sermonem verò in nobis natura format & conſuetudo, ſi vernaculus ſit; ſin peregrinus, Lexica: ſed ita ſolùm format, ut ipſorum vocabulorum ſignificationes (quæ illorum ſunt formæ) explicet: Grammatica ita format, ut tradat adſignificationes puras: Rhetorica ita, ut tradat adſignificationes ornatas; ut dicetur paulò pòſt: ut verò perſpicua ſit oratio & ambiguitatis expers, utq; mentem diſtinctè & ordine doceat, Logica iterum efficit, quæ ut mentem ipſam, ita quoq; orationem gubernat, quatenus ea rationis eſt imago & character. Sed cùm in homine non ſola mens habitet & ratio, ſed & voluntas & effectus: iccircò non tantùm rationis imago eſt oratio, ſed & interpres & nuncia, vector & internũcius voluntatis, & affectuũ regina, quæ in omnem partem ſciat vel concitare animum, ſi opus ſit, vel blandè leniterq; ducere ac demulcere, ut non immeritò* flexanimam Suadam *veteres dixerint. Quatenus ergo cor hominis tangit & afficit oratio, quatenus animũ vel impellit, vel pellicit ad quidvis noſcendum, credendum, agendum, eatenus tota ad* Rhet*oricen pertinet, Oratoriam, & Poëſin.* Keck. in Gymnaſ. Logic. pag. 260. 261.

Diſciplinæ explicant vel Res, tum theoreticas, tùm practicas: vel modũ, ut Logica: vel verba, ratione ſignificationis & adſignificationis.

Perfectio mentis, eſt vel colluſtratio intellectus, vel flexio voluntatis.

Cùm philoſophia ſit theoretica & practica, etiam duplex

duplex finis illius fuerit constituendus. Finis philosophiæ theoreticæ est intellectus humani, practicæ est voluntatis & affectuum perfectio.

Collustratio intellectus est, quâ is perficitur notitiâ certâ & plenâ rerum necessariarum.

Collustratio intellectus.

Res omnes in duo genera dividuntur ab Aristotele 3. Eth. ad Nicomach. cap. 6. *Alias enim necessarias, ac sempiternas esse dicit: alias contingentes, quæ esse, & non esse possunt.* Necessariæ *quidem sunt tùm illæ omnes, quæ ipsæ per se semper sunt, & nunquã fiunt, tùm eæ, quæ fiunt quidem, non tamen à voluntate nostrâ, sed à naturâ per certas causas operante. Hæ namq; etsi quatenus singulares sunt, non semper sunt, tamen quatenus ad universitatem rediguntur, & ita à certis causis necessariò pendere considerantur, ut eas esse, vel non esse, fieri, aut non fieri, non sit in nostrâ voluntate constitutum, eatenus necessariæ ac sempiternæ dici possunt, cujusmodi esse res omnes naturales manifestum est. Restat ut alterum divisionis membrum res illas contineat,* quæ pendent à voluntate hominis: *quoniam eas facere, vel non facere, in arbitrio nostro positum est. Quocirca nullã habent necessitatem, sed* contingentes *dicuntur, quæ tùm esse, tùm non esse nostro arbitratu possunt. Quoniam igitur disciplinã omnẽ, quæ aliquid doceat, rem aliquã tractare necesse est, duo oriuntur disciplinarũ genera, quorũ unum in iis rebus versatur, quæ à nobis fieri possunt: alterũ in iis, quæ à nobis non fiunt, sed vel semp̃ sunt, vel certas aliquas causas extra nostram voluntatẽ positas, consequuntur. Aliud equidẽ disciplinæ genus non video. Nam si quæ alia præter has statuatur, ea quũ nihil tractet, ꝑfectò nihil erit. Aliæ*

Rerum duo genera: Sunt necessariæ aliæ, aliæ contingentes.

Duo disciplinarum genera.

itaq; disciplinæ res necessarias tractant, quæ à nobis fieri non possunt: aliæ verò eas, quæ à nobis fiunt. Duplex autem hæc tractatio duplicem finem & scopum habeat necesse est. Aut enim rem aliquam mente tractamus, ut eam cognoscamus, aut ut eam agamus, atq; efficiamus, seu, agere & efficere discamus. Si quis alium aliquem scopum excogitare potest, in medium adferat. Ego etenim nullum alium pervidere possum. Duo hi diversi fines ex ipsâ rerum naturâ deducuntur. Nam res illas, quas efficere non possumus, eo tantùm consilio contemplamur, ut eas cognoscamus, non ut agamus vel efficiamus. Fatui namq; hominis esset, id facere velle, quod ab ipso fieri nullâ ratione potest. Eas verò, quas facere possumus, ideò contemplamur, ut agamus vel efficiamus. Quod si earum quoq; cognitionem quærere videamur, scopus tamen præcipuus non est cognitio, sed operatio. A potiori autem fit denominatio. Nam ea mente quærimus cognoscere, ut per cognitionem efficere aliquid valeamus, quod sine cognitione aut non efficeremus, aut difficiliùs, vel deteriùs efficeremus. Propterea Aristot. 3. cap. l. 1. de moribus *finem philosophiæ moralis non cognitionem esse, sed actionem rectè docet.* Zabarella de naturâ Logices l. 1. c. 1. *Ejusmodi res necessariæ in philosophiâ theoreticâ tractantur. Proinde finis philosophiæ theoreticæ quàm rectissimè statuitur perfectio intellectus, quæ est cognitio rerum necessariarum. Ad hujusmodi autem cognitionem tria requiruntur.* Keck. præcog. philos. l. 1. c. 3. Primum *est, ut res, quæ cognoscenda venit, sit necessaria.* Alterum, *ut habeat sua propria effecta, virtutes & operationes nativas atq; peculiares.* Tertium, *ut harum virtutum & operationum certa &*

Duo fines disciplinarum.

Ad cognitionem tria requiruntur.

constantes causæ constent. His ergò tribus 1. Re, sive subjecto ipso. 2. Cognitione rei sive subjecti ipsius. 3. Notitiâ causæ, *humanus intellectus per philosophiam theoreticã perficitur. Et quidem investigatio causæ est difficilima notitiæ ratio. Subjecta enim plerumq; sensibus sunt exposita. Operationes quoq; & virtutes non possunt esse obscuræ. Videmus enim magnetem trahere ferrum. Sed harum virtutum causas investigare, illud demum est quod humanam mentem exercet, & ingenium subactum requirit. Aristoteles vocat* ἀγχίνοιαν, l. 1. post. c. ult. *quâ Aristotelem divinitùs præditum fuisse concedunt omnes sapientes; qui in Aristotelis ingenio & philosophiâ hæc duo admirantur. Vnum, quòd omnem notitiam humanæ rationis ad ista tria revocaverit. Alterum, quòd causas rerum felicissimè investigarit ipse, ac aliis etiam vias & modos ostenderit, quibus eas causas possint indagare. Et verò hæc sunt ingenia illa heroica & excellentia, quæ habent virtutem illam* ἀγχινοίας, *i.e. eam mentis felicitatem & promtitudinem, ut causas rerum possint citò investigare. Scire enim, est rem per causas cognoscere. Neq; his ita à nobis disputatis contraria sunt illa* 2. Metaph. c. 2. *ubi philosophus ait:* τῆς θεωρητικῆς φιλοσοφίας τέλος ἀλήθεια. Et 1. Rhet. c. 1. omnes homines, *inquit*, suâ naturâ ad verum fabricati sunt. *Confer* 1. polit. c. 5. *Hoc ut intelligatur distinctiùs, notandum est (ut rectè docent Dd. Scholastici) veritatem esse triplicem.* Prima est in rebus: secunda in intellectu: tertia in signis conceptuum humanorum. Keck. d. l. & c. Casman. l. 1. de Christ. philos. c. 2. *Veritas in rebus est ipsum esse, est*

Sapientes duo mirantur in Aristotelis ingenio.

Ἀγχίνοια quid sit?

Veritas est triplex.

I. In rebus signata:

ipsa rerum entitas seu essentia, quæ opponitur figmentis & apparentiæ: ut cùm dico, Christus habuit verum corpus, non apparens seu Marcioniticum. Veritas in intellectu, est adæquatio intellectus ad rem, & conceptus rei, ut vera est. Est, inquam, congruentia humanarum cogitationum cum ipsâ naturâ & proprietatibus rerum extra mentem. Deniq; veritas signi est vel verborum, vel gestuum, quando nimirum & verba & gestus congruunt & cum reipsâ, & cum cogitationibus in mente, ut nihil habeant mendacii, nihil simulationis. Quando ergò Aristoteles dicit, veritatem esse finem philosophiæ theoreticæ, sumit veritatem pro eâ, quæ est in intellectu, sive pro cognitione veritatis; & quidem non pro omni cognitione sed eâ, quæ est absoluta, & per se, id est, quæ in seipsâ terminatur & acquiescit, nec tendit àd aliquod opus producendum. Etsi enim in philosophiâ practicâ etiam insit veritas rerum, intellectus, & signorum; tamen non est veritas illa absoluta & per se, in quâ acquiescere & subsistere mens hominis poßit, sed est veritas relata ad opus, sive talis, quæ non propter seipsam appetitur, sed propter illud opus, propter quod producendum veritatem practicam cupimus cognoscere. Id quod sequentib. verbis philosophus voluit significare, ubi ait: Practicos non considerare causas per se, sed ad aliquid, *i.e. in relatione ad opus, & ad certas circumstantias temporum, locorum, & personarum.* Fonseca in 2. Metaph. c. 1. Zabarel. l. 1. de nat. Log. c. 13. *Summatim hâc de controversiâ pro decisione illius hæc teneantur. Veritas est triplex.* 1. Rei: *cujus veritatis philosophia omnino & inprimis debet esse studiosißima. Debet enim philosophus*

II. In intellectu concepta.

III. In signis, enunciata, vel scripta.

Cognitio est, vel absoluta, vel directa & relata.

Veritas triplex est philosophiæ finis.

phi-

philoſophari ad rerum veritatem. Αἱ γὰρ ἐπιστῆμαι τέμνονται, ὥσπερ τὰ πράγματα. *Nihil debet eſſe in mente & linguâ philoſophi, quod non ſit in rebus.* 2. Intellectus: *quæ eſt conformitas trium mentis operationū, apprehenſionis, compoſitionis & diviſionis, ratiocinationis deniq; ſeu diſcurſus illativi ſeu ſyllogiſtici, & ordinativi ſeu methodici cū rebus ipſis.* De hâc *veritate itidē tractat univerſa philoſophia.* 3. Orationis: *quæ eſt conformitas orationis, & pronunciatæ, & ſcriptæ, cum veritate rei & intellectus.* De hâc *iterum agit univerſa philoſophia. Vera namq; philoſophia docet pronunciare & ſcribere primùm rei, deinde menti convenienter.* Rei, *ut pronunciet & ſcribat, uti res eſt: Menti, ut pronunciet, uti mens res ipſas apprehēdit, apprehēſas expēdit, & cognovit judicavitq;. Rectè enim Goclenius*: Perfectiſſima eſt veritas illa, cùm oratio convenit menti, & mens rei. *Hic enim eſt ordo naturæ*: Res, Mens, Lingua. *Mens res concipit, quas mente conceptas lingua (cujus vicarius eſt calamus) eloquitur.* Triplex iſta veritas (*quæ tamen eſt una eademq;, diverſimodè conſiderata*) conſideratur vel abſolutè & per ſe, vel relatè. Abſolutè *& per ſe conſideratur, quatenus cognitio ejus in ſeipsâ terminatur & acquieſcit, nec tendit ad aliquid opus producendum. Hoc modo dicitur eſſe finis philoſophiæ theoreticæ. Veritas eadem* relatè *conſideratur, quatenus ejus cognitio refertur ad opus aliquod producendum. Hoc modo non eſt finis, ſed medium philoſophiæ practicæ.*

Ordo naturæ in cognoſcendo.

Veritas conſideratus Abſolutè,

& Relatè.

Flexio voluntatis eſt finis philoſophiæ practicæ, quâ voluntas & affectus hominis rectè informatur ad bonum perſequendum, & malum ſeu vitium fugiendum.

Animæ facultates sunt duæ. Intellectus & voluntatis occupatio circa adæquata objecta, quàm varia sit?

Animæ facultates duas statuunt philosophi, intellectum & voluntatem. Intellectus objectum per se, est verum: falsum per accidens. Voluntatis objectum per se est Bonum; per accidens, Malum. Intellectus enim non apprehendit bonum, quâ tale est, formaliter, quatenus est ἐφετὸν, *sed sub ratione veri, quatenus est* νοητόν. *Voluntas quoq; non appetit verum, quâ verum, sed sub ratione boni. Quamdiu igitur intellectus verum & bonum affirmat, falsum & malum negat, non halucinatur. Quamprimùm autem verum & bonum negat, falsum & malum affirmat, protinus errat. Et ita quamdiu voluntas verum & bonum amat, falsum & malum odit, non errat. Quàmprimùm autem verum & bonum odit, falsum & malum amat, protinus errat. Sicuti ergo philosophia theoretica intellectus instillat affirmationem veri & boni, & negationem falsi & mali: ita philosophia practica voluntati, seu appetitui rationali (de sensitivo enim hîc non loquimur) instillat amorem veri & boni, & fugam falsi & mali. Rectè igitur Cicero dicit*: Philosophia est cultura animi, quæ extrahit vitia radicitùs, & præparat animos ad satus accipiendos. *Et* Apulejus l.1. de mundo: Philosophia, *inquit*, mihi videbatur virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, divinarum particeps rerum. *Hæc vera sunt de philosophiâ, non in subjecto, sed extra hoc vel illud subjectum consideratâ. Est enim philosophia illa, secundùm se considerata, medicina animi, sine quâ fieri non potest, ut sanus sit animus, His adde quæ Cicero scribit in* Pison. Philosophia (*scilicet practica*) virtutes continet, & officii, & bene vivendi

vendi disciplinam; quam qui profitetur, gravissimam mihi personam sustinere videtur. *Et meritò idem exclamat* 5. Tuscul. O vitæ, philosophia, dux, ô virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum! Quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti. Tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tùm literarum & vocum communione junxisti. Tu inventrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ fuisti. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti. *Hoc eulogium ita tribuitur philosophiæ in particulari sic dictæ, ut nihil derogetur Theologiæ. Illa semper ancilla, hæc domina; illa Hagar (ut Patres docent) hæc Sara. Ceterùm dum Bonum facimus philosophiæ practicæ objectum, non naturale, non spiritale, sed morale intelligimus, quod spectarur vel in genere, & per doctrinam Ethicam voluntati hominis proponitur; vel in specie: idq; iterum, vel privatim in familiâ rectè administrandâ, & ita proponitur in* OEconomica: *vel publicè in Republica; quod quidem bonum politicum dici potest, ad quod voluntas hominis informatur in tertiâ philosophiæ practicæ parte, quam Politicam vocamus.* Keck. præcog. philos. l. 1. c. 3. *Voluntatem dum dicimus, intelligimus* ἡγεμονικὸν *illud, id est, appetitum rationalem seu intellectivum. Illum enim regit philosophia practica* πρώτως *& directè: sensitivum, cujus partes sunt* τὸ θυμικὸν *&* ἐπιθυμητικὸν, *i.e.* potentia irascibilis & concupiscibilis, *non nisi* δευτέρως *& indirectè: quatenus appetitus sensitivus sequitur præscriptum rationis.*

Bonum est triplex.

Appetitus duplex, rationalis & sensitivus.

Perfectio orationis.

Talis est perfectio mentis: sequitur perfectio orationis; quam philosophia suis præceptis ita excolit, ut eam primò puram reddat, deinde puritatem sermonis modificatione eleganti, figuratione, vocis modulatione, & gestuum insigni decore exornet. Præterea qualibet philosophiæ pars ad linguæ perfectionem facit, quando peculiares terminos præscribit.

Sic de fine philosophiæ latè consideratæ: sequitur de fine philosophiæ strictè considera tæ, quatenus distinguitur contra Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam.

Hic finis est partim absolutus, partim relatus.

Absolutus est primarius, vel secundarius.

Voluptas quo sensu sit finis philosophiæ.

Primarius est voluptas, id est, summa animi lætitia, ex philosophicis disciplinis hausta.

Voluptatis definitio ex Aristotele. Voluptas oritur vel ex sensu, vel ex appetitu, eoq;

Voluptas, definitore Aristotele. 7. Eth. c. 10. *est actus naturæ congruus ex operatione facili, & non impeditâ. Is enim voluptate perfunditur, qui facilè aliquid efficit.* Voluptas ita definita, oritur vel ex sensu, vel ex appetitu, vel ex intellectu. *Voluptas ex sensu, putà tactu, olfactu, in homine est nobilior, quàm in bestiis: ob id nempe, quia ipsimet sensus in homine sunt nobiliores quàm in bestiis. Voluptas ex appetitu, est vel ex animali seu sensitivo, vel ex rationali seu voluntario appetitu. Voluptas ex appetitu sensitivo est vel ex affectu (suprà vocavimus* θυμικὸν*) vel ex cupiditate, quam suprà diximus* ἐπιθυμητικὸν. *Et hæ quidem voluptates maxi-*

Sensitivo & Rationali.

mam partem communes sunt homini cum bestiis. Propriissima autem hominis voluptas ea est, quæ oritur ex intellectu & appetitu voluntatis. Illa dicitur theoretica, hæc practica. Et quidem theoretica voluptas, quæ oritur ex philosophiâ theoreticâ, est suavissima animi lætitia, quâ intellectus hominis perfunditur ex rerum variarum & pulchrarum cognitione. Sicuti enim ex visu & conspectu lucis & pulcherrimorum colorum homo singularem percipit delectationem: ita ex speculatione rerum pulchrarum & admirabilium in naturâ inæstimabilem lætitiam & gaudium sentimus.

vel ex intellectu.

Voluptas est theoretica, vel practica.

Ista autem voluptas, quam philosophia theoretica in nobis gignit, oritur partim ex naturâ objectorum cognoscibilium, partim ex modo cognoscendi. Ex objectis i. e. rebus ipsis, si sint veræ, si pulchræ & admirabiles, si difficiles. Arist. 1.Metaph.2. *Ex modo autem cognoscendi; si cognitio sit certa, si recta, si ordinata.* Arist.1.post.c.2. *ubi ait,* animum hominis *fieri* ἀμετάπτωτον, *i.e.* immotum & quietum (*voluptas autem animi quædam quies est*) si effecta cognoscat è suis causis certitudine demonstrativâ. *Si ergo hæ duæ conditiones adsint ex naturâ rei & modo cognoscendi sumtæ, excutitur omnis animi tristitia, & admiratio item, quæ tristitiam comitem habet; contrà verò exoritur lætitia illa & voluptas, de quâ diximus, & quæ quatuor habet proprietates desumtas* è l.7. Ethic. cap. 13. lib. 10. Ethic. cap. 4. & 7. *quòd nempe repræsentet in homine similitudinem quandam divinæ lætitiæ, quòd felicitatis humanæ individuus comes sit, quòd sit purissima, &*

Voluptas theoretica quî suboriatur in homine.

Admiratio habet comitem tristitiam.

Voluptas hominis propria habet quatuor proprietates.

deniq;

deniq; quòd ſit conſtantiſſima, non fatigans mentem, ut voluptas corporea. Non tamen hæc ita accipienda ſunt, quaſi iſta voluptas ſit ſummum hominis bonum formaliter: quum ſit ejus conſequens inſeparabile, ſicuti pulchritudo coloris eſt conſequens ſanitatis. Sicut ergo ſanitas eſt finis medicinæ, non autem pulchritudo illa coloris, quæ ſanitatem utplurimùm comitatur: ita etiam ſummum hominis bonum non eſt voluptas, etiamſi hæc ſummum illud bonum individuè conſequatur.

Summum hominis bonum quod?

Summum enim hominis bonum eſt contemplatio ſeu viſio Dei *ſemper & in omnes ſeculorum æternitates benigniſſimi patris: ſicut contrà, ſumma miſeria eſt contemplatio* Dei *ſemper judicis.*

Summa hominis miſeria quæ.

Summus autem hominis finis cum ſummo illius bono non eſt confundendus. Summum hominis bonum, eſt illi intimum. Summus ejus finis eſt extra hominem, videl. Deus laudandus in ſecula. Rectè enim Scholaſtici: Summa cauſa efficiens & ſummus finis ſunt res eadem. *Ex his videre eſt, quomodo voluptas intellectus oriatur ex philoſophiâ theoreticâ: quam neq; Cynici philoſophi, neq; Stoïci admiſerunt. Illi enim dixerunt,* ſatius eſſe inſanire, quàm ullâ voluptate affici: *Hi* ἀναισθησίαν *invexerunt, & docuerunt, naturā humanā alienam eſſe debere ab omni affectu.*

Voluptas practica.

Practica voluptas eſt delectatio mentis practicæ, id eſt voluntatis, orta ex facili & non impeditâ actione virtutum Ethicarum, OE*conomicarum, & Politicarum. Hæc dicitur* conſcientia bona, *ſi operationes virtutis jam ſint peractæ: ſi verò adhuc durent, retinet nomen voluptatis generale.*

Finis ſecundarius eſt libertas ſeu ingenuitas, à quâ & diſciplinæ & earundem cultores liberales appellantur.

Liber-

Libertas est vel Judicii, vel Affectuum.

Libertas judicii est, quâ intellectum nostrum non suspendimus ab intellectu alterius, quaq; adeò non juramus in verba aliorum. Libertas judicii, seu philosophica.

Hæc libertas vocatur philosophica, *de quâ Cicero l.1. de Nat. Deorum*: Non tàm authoritas, *inquit*, in disputando, quàm rationum momenta quærenda sunt. *Confer ea quæ sunt apud* Arist. 1. Eth. cap. 4. Platonem in Charmide, Protagorâ & Critone. Lact. l. 5. Inst. Christ. c. 8. Scal. exer. 306. *At verò quàm diligentissimè nobis hîc cavendum est utrumque extremum, quod libertati huic philosophicæ adversatur, credulitas scilicet nimia, & protervia.* Credulitas *est, quâ quamvis authoritatem admittimus, & aliorum testimonia rationibus vel æquamus, vel anteponimus, in quam Cicero*: Illud teneto, nervos atq; artus sapientiæ esse, non temere credere. Protervia *est aspernatio authoritatis, & cujusvis, & summæ, in puerili & juvenili ætate. Præposterum sanè est, quærere libertatem judicii ante usum judicii. Crescit enim non tantùm corporis, sed & mentis ætas.* Arist. sect. 30. problem. & 2. polit. 7. Augustin. l. de moribus Ecclesiæ c. 2. *Fugiamus ergo in altero extremo fastum, in altero stultam credulitatem, quæ erroris atq; adeò falsarum opinionum mater est & nutrix.*

Duo contraria libertatis philosophicæ.

I. Credulitas.

II. Protervia.

Libertas sive ingenuitas affectuum, est temperatus affectus philosophi in sectandis honoribus, & bonis fortunæ, ut vocant. Libertas affectuum.

Philosophus honorem, opes & alias vitæ commoditates sectatur, non tanquam præcipuum philosophiæ

finem, sed ut virtutum vel præmia, vel incitamenta, vel deniq; adminicula & instrumenta sunt. Hîc invenio tres malè philosophantium classes. Primæ classis sunt sordidi illi Cynici; *qui putant sordes esse infulas philosophorum. Hi imitantur Diogenem illum Cynicum, qui despicatui habebat commoditates vitæ, & politicam etiam conversationem.* Secundæ classis sunt eremitæ, & melancholici illi, *quos hodie per contemtum phantastas vocant. Hi sunt illius Timonis Atheniensis* μισανθρώπȣ *discipuli.* Tertiæ classis sunt superbi & avari illi philosophastri; *qui habitum à reliquis hominibus diversum affectant, quique lucro inhiant. Tales erant statim à temporibus Platonis & Aristotelis, philosophi Græci, & ii nominatim, qui Athenis degebant. Illi enim præterquam quòd peculiare quoddam vitæ institutum affectabant, insuper peculiarem habitum à reliquis diversum usurpabant. Præ se ferebant tria veluti insignia, barbam promissam, baculum, & bursam, sive grandius marsupium. His præposteris & planè moris moribus nequaquam movebitur is, qui sequentia probè pensitabit. Philosophia humanam societatem, ejusque commoditates non evertit, sed & ordinat, & ornat. Finis enim ejus est hominis perfectio, & bonum. Ille est* finis formalis, hic objectivus, *ut in Scholâ discimus.* Bonorum *autem, suffragantibus philosophis,* tres sunt gradus: *nimirum,* bonum honestum, utile, & jucundum. *Tres isti gradus sunt subordinati. Non igitur pugnant,* τὰ ὑπάλληλα οὐ ποιεῖ πόλεμον, subordinata non pugnant. *Rectißimè itaq; conjunguntur. Sed est & alius modus, quo philosophus appetere & potest*

Tres perperam philosophantiũ classes.

I. Primæ classis sunt sordidi Cynici.

II. Secundæ classis sunt eremitæ μισάνθρωποι.

III. Tertiæ classis sunt superbi & avari.

Habitus quorundã priscorum philosophorum.

Finis est duplex, formalis, & objectivus.

Bonorum tres gradus.

test & debet, externa illa bona. Hic nempe est. Perfectio hominis est finis, quem philosophus intendit. Finis verò media non excludit, sed includit necessariò. Ideò utrumq; in philosophiâ quæritur, & quò eundum, & quà eundum. Medía autem, quæ ad finem ducunt, alia sunt principalia, alia minùs principalia. Principalia sunt, mentis & voluntatis dotes naturales. Hæc sunt media simpliciter necessaria. Minùs principalia sunt honores, opes, & aliæ vitæ commoditates. Hæc sunt secundùm quid necessaria, non ἀεὶ, sed ἐπὶ τὸ πλεῖϛον. Nam

Media ducentia ad hominis perfectionem sunt Principalia & Minùs principalia.

Non facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. Superat tamen hæc quoq; virt⁹.

Philosophia igitur & philosophus bona, quæ vocavimus cum vulgo fortunæ, seu externa, tantùm abest ut repudiet, ut potiùs iis utatur, imò & fruatur. Utitur *quidem ut causis sine quibus non. Novit enim causas principales non assequi suos effectus, nisi per idonea instrumenta. Novit etiam, homini esse dandam operam, non tantùm ut sit, sed etiam ut benè sit.* Fruitur *autem iisdem, quatenus sunt præmia virtutis. Apage ergo sis illam loquendi formulam:* φιλοσοφία ὐδὲν πρὸς τἄλφιτα: philosophia nihil ad farinam: non est de pane lucrando: *& alia scabiosa dicteria in saniorem philosophiam. Philosophia non docet contemtui habendas esse opes, dona illa Dei. Hoc docet: in Scholis non esse inhiandum lucro. Quid enim? Si principaliter in scholis hoc quærimus, ut ditescamus, quid agimus? Quin nos conferimus in emporia, in forum, ad granaria, aut ad alias artes illiberales & quæstuosas, quibus hic servilis &*

Philosophus bonis fortunæ & Utitur & Fruitur.

mercenarius finis eſt propoſitus. Hoc inſuper docet, quòd bonis fortunæ utendum, non nitendum ſit. Opes enim mediocres & legitimas vocat inſtrumenta actionum virtutis intellectualis juxtà & moralis. Huc pertinent peregrinationes, bibliothecæ, & ſimilia, quæ pro impedimentis ducere, aut etiam in mare abjicere, ut priſci fecere nonnulli philoſophi, eſt extremæ dementiæ. Quid? Philoſophiæ pars œconomica docet de modis rem acquirendi, quando & quomodo emendũ, quomodoq́ comparcendũ ſit, ut videre eſt apud Ariſt. 1. polit. c. 3. & 4. *& apud* Platonem in dialogo, *qui inſcribitur* Philoſophia. *Pars ejusdem politica tradit rationem conſervandi Rempublicam, poſſeſſiones item publicas & privatas. Phyſicam intueri placet? Illa docet de auro, argento, gemmis, & ſimilibus, in quibus divitiæ potiſſimùm ſitæ ſunt. Aſtrologia quoq; monſtrat venturam aut fertilitatem, aut ſterilitatem vini, frumenti, olei, & aliarum rerum, per quas ii, qui negotiantur, diteſcunt. Annona enim, ut dicitur, mercaturæ eſt regula. Geographia prætereà oſtendit, ubinam & apud quas gentes merces hæ & illæ, unde pecunia quæritur, valeant, & in pretio ſint. Hæc iccirco aliquanto prolixiùs tractamus, ut intelligatur, non eſſe de naturâ philoſophiæ, ut homines vel faciat miſeros & pauperes, vel in miſeriâ & paupertate detineat. Id non fit per ſe, ſed per accidens, & ex oppoſito philoſophiæ, nimirum ejus contemtu, & præpoſteris vulgi judiciis. Conſiderent inepti illi de plebe judices, quisnam docuerit homines architecturæ & nauticæ fundamenta. Conſiderent exempla, quæ hinc inde de philoſophorum opibus apud probatos authores occurrunt. Thaleti quidam paupertа-*

Quomodo philoſophia promoveat rem domeſticam.

pertatem exprobrarunt, ut est apud Aristot. & Cicer. & mathematicum studium tanquam inutile damnarunt. Ille commotus & tantùm non perturbatus his convitiis & scommatis, pro suâ sagacitate dicitur prævidisse futuram olearum sterilitatem. Igitur multâ adhuc hyeme vili precio ab ἐλαιοπώλαις *in Mileto & Chio omne oleum coëmit, & paulò post cùm magna olei caritas incidisset, ipse olei monopolium nactus, pro arbitratu suo vendidit, & multum peccuniæ corrasit, manifestumq; fecit, facilè philosophos, si velint, ditescere posse.* Tribus historiis ostēditur, philosophos facilè posse ditescere, si velint. *Pertinet huc memorabilis historia, quæ est apud* Vitruvium l.9.cap. 3. *de furto auri deprehenso ab Archimede in coronâ, quam Hiero rex ex puro auro conficiendam aurifabro mandarat. Hujus loci est & ista historia. Quidam dolia oleo repleta apud vicinum deposuerat, sed ita ut unum tantùm ad summum, reliqua ad medium repleret. Hic interjecto aliquo tempore depositum repetiturus, depositarium accusat furti, ac si reliqua vasa præter unum ad medium evacuasset. Quid fit? Consulitur super eo philosophus physicus, qui depositarium à damno sic liberat. Jubet dolia inter sese comparare, & videre, an eadem fæcum quantitas in omnibus doliis resideret; & cùm deprehenderetur dimidium tantum fæcis in quibusdam doliis, liberatus est ab accusatione depositarius. Hîc quod physicus alteri præstitit in vindicandis opibus, idem sibi quoq; præstare poterat.* Keckerm. præcog. philos. l. 1. c. 4.

Sic de absolutis philosophiæ finibus: relatos fines voco, per quos philosophia utilis est ad cognoscendas alias facultates, Theolo-

giam ſcilicet, Juris prudentiam, & Medicinam.

Philoſophię utilitas in ſtudio Theologiæ.

Ad ſtudium Theologiæ ſumma eſt utilitas & neceſſitas Philoſophiæ, quoad ſingulas illius partes: *quas hâc methodo recenſemus.* Theologia eſt partim theoretica, partim practica. *Eſt enim totum collectivum.* Theoretica eſt vel naturalis, vel ſupernaturalis. Naturalis eſt illa, quæ procedit è principiis naturâ notis de Deo, & Dei actionibus. Supernaturalis, ſeu arcana, eſt vel Catechetica, vel Didactico-Polemica. Catechetica eſt compendium religionis Chriſtianæ. Didactico-Polemica eſt Sylloge locorũ communium. Talis eſt ratio Theologiæ, in quantũ eſt theoretica. Practica eſt vel communis, vel propria. Communis vocatur Soterologia, quæ agit de militiâ hominis Chriſtiani. Propria eſt vel Prophetica, vel Acroamatica. Prophetica eſt de officio Paſtoris. Acroamatica eſt de officio auditoris. *Jam ordine percurramus ſingulas haſce Theologiæ partes, & oſtendamus, quî philoſophia ad ſingulas rectè pertractandas ſit neceſſaria, ſit oppidò utilis.*

Partes Theologiæ.

Philoſophię utilitas in Theologiâ naturali.

Theologia naturalis informat hominem, quatenus eſt homo: *quâ de re legere eſt* Rom. 1. & 2. *Ea utitur terminis Metaphyſicis & phyſicis imò etiam Ethicis, & Politicis, ita ut planè impoſſibile ſit in Schola illâ naturæ progredi ſine terminorum illorum ſolidâ intelligentiâ. Loci illi de attributis divinis, de decretis, de creatione, de homine, de cœlo, nullo modo explicari poſſunt, niſi philoſophia vocetur in ſubſidium.*

Theologia Catechetica eſt de quinq; capitibus

tibus religionis Christianæ. *Ejus partes duæ sunt, una de fine, altera de mediis. Nisi igitur gnarus sis methodi analyticæ, rationem ordinis in Catechesi vix est ut capias. Primus insuper Symboli Apostolici articulus, qui est de Deo Patre, & omnium rerum creatione atq; conservatione, ex libro naturæ explicandus est. Nam error in cognitione creaturarum, errorem parit in cognitione creatoris, & mentem à Deo abducit, ut habet regula Theologorum. Decalogus est ipsa lex moralis seu naturæ. Quî igitur, amabo, eum explicabis, si imperitus fueris philosophiæ practicæ? Sapientissimam in oratione Dominicâ methodum observatam quî observabis, si Logicæ sis ignarus? Phraseωn deniq; Sacramentalium rationem nullus intelliges, nisi Rhetorices cognitione aliquâ sis imbutus.*

Philosophię utilitas in Theologiâ Catecheticâ.

Theologia Didactico-Polemica est farrago locorum communium; *qui tractantur per θέσιν & ἀντίθεσιν, sive didascaliam, & ἔλεγχον.*

Philosophię utilitas in Theologiâ Didactico-Polemicâ.

Didascalia Theologica habet partim principia, partim conclusiones.

Principia sunt termini illi simplices, qui occurrunt in Systemate Theologico, quos sine philosophicâ lampade nunquam intellexeris. *Theologia meminit finis ultimati (ut vocant) & summi boni: meminit principii essendi, quod est Deus, & cognoscendi, quod est scriptura: meminit communicationis idiomatum, essentiæ & existentiæ, naturæ, personæ, modorum subsistendi. Hæc & similia si plenè & accuratè tractanda sint, philosophicis egebunt explicationibus.* Conclusiones Theologicæ sunt vel puræ, vel mixtæ. Puræ conclusiones sunt, quæ terminis solius Theo-

Principia Theologica.

Conclusiones Theologicæ sunt Puræ.

logiæ propriis *constant: ut Christus est θεάνθρωπος: Ecclesia est Catholica, & similes quas philosophia ne primoribus quidem labris attingere debet. Nam non licet μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος.*

vel Mixtæ. Mixtæ conclusiones sunt, quæ uno termino Theologico, altero philosophico combinantur.

Suntq; vel ex philosophiâ theoreticâ, vel practicâ.

Conclusiones mixtæ ex terminis Theologicis & philosophicis theoreticis sunt hæ: *An attributa divina ab essentiâ & inter se differant re, vel ratione: & si ratione, an ratiocinante, vel ratiocinatâ? An in Deo differant esse & essentia? Quomodo personæ SS. Trinitatis ab essentiâ, & inter sese distinguantur? An accidentia panis & vini in Eucharistiâ per se possint subsistere? An ignis urat semper actu primo, vel secundo? Quomodo Christus θεάνθρωπος fuerit in veteri Testamento? Quomodo vita æterna dicatur esse in nobis? Quomodo fides sit & non sit sine bonis operibus? Hîc enim Theologus ex Metaphysico latifundio petit distinctionem inter essentiam & existentiam.* E physicis autem terminis componuntur hæ conclusiones: *Quomodo generatio & creatio differant? Quomodo materia prima Mosaïca differat ab Aristotelicâ? An corpus Christi sit in loco? An cœlum supremum sit in loco?* Keckerm. præcogn. philos. l. 1. cap. 4. & Syst. Logic. l. 3. c. 9. *Si explicandæ & probandæ sint hujusmodi conclusiones, partim Theologicis, partim philosophicis explicandæ & probandæ sunt argumentis. Neq; enim in hoc casu fit transitus de genere in genus.*

genus. Ratio, quia medii termini ſequuntur naturam concluſionum. Ducuntur enim à naturâ ſubjecti & prædicati. Quando ergo concluſio eſt partim Theologica, partim philoſophica, tùm argumenta quoque partim Theologica, partim philoſophica eſſe debent.

Concluſiones Theologicæ mixtæ ex philoſophiâ practicâ ſunt, quæ alterutrum extremum, ſubjectum vel prædicatum, habent Theologicum, alterutrum verò Ethicum, OEconomicum vel Politicum. *Tales occurrunt in loco communi de bonis operibus, de Pontifice Romano, de magiſtratu politico.*

Sic igitur philoſophiâ opus eſt ad ipſam Theologiæ didaſcaliam ſolidiùs pertractandam: ad ἔλεγχον ita eſt neceſſaria. *Theologus non tantùm debet eſſe διδακτικὸς, ſed etiam δυνατὸς τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, h.e.* inſtructus facultate refutandi potenter adverſarios. *Id autem nunquam præſtabit, niſi* ὄργανον παιδείας καὶ ἐπιστήμης *è Logicis petat. Et ſanè in concluſionibus illis mixtis explicandis nullus erit, ſi ignarus ſit terminorum, qui in iis ſunt, philoſophicorum. Logica docet formare* τὸ κρινόμενον, ſtatum controverſiæ, *docet invenire argumenta veræ, & refutare falſæ ſententiæ. Graviſſima igitur eſt illa* Schegkii *vox, qui* l.1.de demonſtratione *ait:* Ego quidem ſic judico, tùm demum fore quietas & beatas Eccleſias, ſi aut philoſophi veri dent operam Theologiæ, aut Theologi philoſophentur piè. *Rectè igitur fecêre patres priſci, qui Philoſophiam cum Theologiâ quàm feliciſſimè conjunxe-*

Philoſophiæ utilitas & neceſſitas in diſputationibus Theologicis.

runt. Rectè etiam fecerunt magni illi viri, Melanchthon, Zacharias Urſinus, Petrus Martyr, Hieronymus Zanchius, Antonius Sadeel, Franciſcus Junius, *& alii ſexcenti, qui fedus philoſophiæ & Theologiæ perviderunt, & quia perviderunt, magni fecerunt, ita ut meritò de illis dubites, majorésne fuerint Theologi, an Philoſophi: nobis deniq; illud fedus non divellendum eſſe præceperunt.*

Talis eſt & utilitas & neceſſitas philoſophiæ in Theologiâ theoreticâ: in practicâ ſi non major, ſaltem par eſt.

Philoſophię uſus in Soterologiâ

In Soterologiâ ſeu *luctâ peccatoris reſipiſcentis tractatur de militiâ Chriſtianâ. Ibi mentio fit armorum, à quibus debet eſſe inſtructus miles Chriſtianus: mentio fit hoſtium: mentio fit lapſus & ἀντιστάσεως. Quæ ſingulæ magnam ſanè accipiunt lucem ex illâ Politices parte, quæ dicitur Polemica. Diſcitur etiam ex Logicis, quî ſolvendi ſint paralogiſmi, quos Satan ὁ μυριοτέχνης,*

Mille opifex fraudum, ſceleriſq; magiſter & author

militi Chriſtiano tendenti ad cœleſtem Hieruſalem objicit.

Propheticâ

In Propheticâ, *quæ agit de officio Paſtoris itidem philoſophiæ uſus eſt permagnus. Quid enim? Duæ ſunt illius partes, una eſt Rhetorica Eccleſiaſtica de ratione concionandi, altera, politia Eccleſiaſtica, de regimine Eccleſiæ. Rhetorica Eccleſiaſtica accipit præcepta Rhetorica & Oratoria è philoſophiâ, & ſuo inſtituto applicat. Politia Eccleſiaſtica ſequentes quæſtiones ſine lumine philoſophico explicare nequit: utrum Eccleſiæ regimen in his terris ſit monarchicum, vel ariſtocraticum? An Papa Romanus ſit ſupra Impera-*

peratorem? An Papa ex donatione Constantini Magni sit princeps Italiæ? An habeat potestatem eligendi & coronandi Imperatorem? Quale sit imperium Pastoris in auditores? Prætereà Pastor discit ex œconomicâ, quî præesse & prodesse debeat propriæ familiæ.

Acroamatica Theologiæ pars, *de officio auditoris, quamplurimos terminos & canones mutuatur ex OEconomicâ, Politicâ, & Scholasticâ, de officio auditoris, quatenus est membrum vel familiæ, vel societatis civilis, vel Scholasticæ.* & Acroamaticâ.

Sed contraveniunt nobis duûm generum theologastri. Alii enim objiciunt nobis exempla sanctorum, qui verâ fide fuerunt tantùm præditi, non autem imbuti cognitione artium philosophicarum. Alii è scripturâ philosophiæ vanitatem probare anituntur, Utrisq; comparanda est responsio: sed paucis. Ad 1. Distinguere discant boni illi viri inter Systema Theologiæ, & fidem. Fides, quâ fides, perfecta est, etiamsi nulla accedat artium liberalium cognitio. Rectè enim Hilarius l.10. de Trinitate: In simplicitate, *inquit,* fides est; in fide charitas; nec per multas & difficiles quæstiones nos Deus ad salutem æternam vocat. *Distinguimus igitur primò fidem à Theologicâ disciplinâ. Deinde Theologia dupliciter accipitur. Aut enim est Scholastica, aut Ecclesiastica, sicuti scilicet cathedra est duplex. Pastor aliis præesse debet, quod fit docendo, & refutando. Docere autem & refutare non poterit, nisi vel infra mediocritatem sit doctus plerasq; philosophiæ & philologiæ partes. Nam in Bibliis illis magnis (de parvis enim suprà diximus)*

Theologia distingui debet à fide.

Theologia Ecclesiastica.

occurrunt termini, qui pertinent ad philosophiam theoreticam & practicam. In veteri Testamento occurrunt termini Metaphysici, quales sunt τὸ ὄν, ens, Exod. 6. Apoc. 1. Bonum, Gen. 1. *occurrunt physici, ut cœlum, terra, aqua, ignis, aër, arbores, animalia bruta, meteora, gemmæ, metalla & similes, in libris Mosis, in libro Jobi, in Psalmis, aliisq; veteris instrumenti libris: occurrunt geographici, ut paradisus, itinera Patriarcharum, topographiæ, mare rubrum: occurrunt Astronomici, ut Orion, Arcturus, Plejades, Sol, Luna: occurrunt hinc inde Chronologici, ut sunt septimanæ Danielis: occurrunt in* N. T. *parabolæ, navigatio Pauli, itinera Apostolorum: occurrunt præcepta Ethica, de liberalitate, de veracitate, de temperantiâ: occurrunt canones œconomici, de marito, uxore, liberis, servis: occurrunt deniq; politici de regno, de rege, subditis, legibus, bello, armis, similibusq; materiis: ut videre est in libris scripturæ historicis, itemq; didacticis, nominatim in libris Regum, Chronicorum, Nehemiæ, Ezræ, in Proverbiis & Ecclesiaste Solomonis, in epistolis Apostolorum. Vide hâc de re eruditissimas tractationes*, Pici Comitis Mirandulæ heptalogum admirandum: Benedicti Ariæ Montani Josephum, de arcano sermone; ejusdem Jeremiam, de actione; ejusdem librum de idiotismis linguæ sanctæ; ejusdem Phaleg, de gentium regionibus: ejusdem deniq; Nehemiam, de urbe sanctâ, & Danielem, de temporibus. Item partem 1. & 2. clavis sacræ scripturæ Flacci Illyrici, ubi agit de situ Cananææ, de necessitate cognitionis, de isto SS. literarum, de tropis & schematis

Termini philosophici in Bibliis occurrentes.

S. lite-

S. literarum, de ratione cognoscendi S. literas, Lemnii similitudines, Keckerm. præcog. l.1.c.4.*necnon ea, quæ suprà à nobis tradita sunt c.15. de variis philosophorum sectis. Ite nunc pastores, & præsidium vestræ ignorantiæ quærite. Num adhuc putatis sanctos Dei viros fuisse rudes? Num adhuc aspernamini studium philosophiæ? Philosophiam ceu medium, non autem finem, vobis proponite, & sic vobiscum ratiocinamini: Si Theologia immediata & extraordinaria, qualis fuit in Prophetis & Apostolis, non exclusit philosophiam, non damnavit; multò minùs id faciet Theologia mediata & ordinaria, quæ hodie in nobis viget. Adeste nunc doctores Scholastici, & cognoscite, an & quatenus philosophia vobis sit utilis? Non est, quòd imitemini priscos illos, quos κατ' ἐξοχὴν vocamus Scholasticos, qui pro Bibliis Lombardum & Aristotelem in Scholis explicuerunt, & Biblia ad Lombardum & Aristotelem exegerunt. O immane scelus! Quin philosophiam Theologiæ pedissequam esse vobis persuadete, non autem illius dominam. Hâc de re legere est apud* Zachariam Ursinum in admonitione Neostadianâ de vero philosophiæ in Theologiâ usu: apud Antonium Sadeelem in præfatione operum Theologicorum: apud Benedictum Aretium in vestibulo Examinis Theologici. *Sic de primâ objectione. Ad 2. Nusquam in scripturis philosophia vera damnatur vanitatis. Loca enim, quæ afferuntur, videl.* Colos.2.v.8. Videte, ne quis sit, qui vos deprædetur per philosophiam: 1.Cor. 1. v.19. Abolebo sapientiam sapientum, *non loquuntur de usu veræ philosophiæ, sed de illius abusu.*

Philosophia ut se habeat ad Theologiam?

Explicatio duorum SS. Scripturæ locorum, quę contra philosophiā afferuntur.

Abusus autem non tollit usum. Et errata artificum quorundā non sunt imputanda ipsi arti. Neq; *etiam à causâ per accidens ad causam per se valet consequentia, ut habent Maximæ Logicorum. Est enim consequens inconsequens: Veritas odium parit; Ergo mala est. Dicis: Philosophia in multis pugnat cum Theologiâ: ut est*

Theologica veritas non pugnat cum philosophicâ.

Verum Theologicè:	Verum philosophicè:
Virgo parit, & est mater.	*Virgo non parit, & non est mater.*
Ex nihilo omnia.	*Ex nihilo nihil fit.*
Unum est trinum.	*Unum non est trinum.*
Corpus grave inambulat aquæ.	*Corpus grave non inambulat aquæ.*
Ignis non urit aliquando	*Ignis semper urit.*

Ad hæc & similia respondetur: 1. Gratiam non evertere naturam, sed eam excolere & perficere. Nullum etiam fidei articulum esse contra rationem: licet quamplurimi sint supra rationem. Peucerus de divinat. generib. *2. Dicta philosophica philosophicè sunt explicanda, id est de iis materiis, quas philosophia tractat. Philosophia autem tractat materias naturales & ordinarias: Theologia arcana supernaturales & extraordinarias. Ex hoc fundamento potest responderi ad allata exempla. V.g. Virgo non parit viâ ordinariâ, sed potest extraordinariâ.* Vide Keckerm. in appendic. præcog. philos. & Casman. de philos. Christ. *Verum vero consonat, & Deus non est sibi contrarius in principiis Naturæ & Gratiæ. Iccirco quicquid philosophicè verum est, id etiam Theologicè verum est, & contrà. Sic etiam ruit gravissima illa calumnia,*

mnia, quâ philoſophia à nonnullis prægravatur, quòd nempe homines reddat atheos. Fateor quidem, quosdam patrum noſtrorum memoriâ philoſophos Hiſpanos & Italos prolapſos eſſe in horrendarum blaſphemiarum mare: ſed qualis inde conſit conſequentia? Annon à particulari ad univerſale? Annon à causâ per accidens ad cauſam per ſe? Teſtor ethnicorum monumenta philoſophica. Quàm piè illi ſæpè ſcripſerunt de Deo, de naturâ, de moribus? Colophonis loco addam dictum Hugonis de Sancto Victore, *quo oſtenditur, quî philoſophia naturalis ſeu phyſica faciat ad cognitionem Dei, quam Theologi dicunt naturalem:* Omnis, *inquit*, creatura tribus modis nobis loquitur: Prima vox eſt, accipe beneficium: ſecunda, redde debitum ſervitium: tertia, fuge ſupplicium. Nam prima vox eſt *famulantis*, quâ cœlum dicit, miniſtro tibi lucem in die ut vigiles, tenebras in nocte, ut pauſes. Aër dicit, vitalem tibi præbeo flatum, & omne genus avium ad tuum obſequium. Aqua dicit, potum tibi do, ſordes purgo, arentia rigo, & piſcium genera præbeo tibi ad tuum uſum. Terra dicit, ego te porto, pane nutrio, vino & omnibus generibus fructuum & animalium menſas tuas repleo. Secunda vox eſt *admonentis* quâ mundus dicit: vide homo, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. ſervio tibi, ut tu ſervias illi, qui fecit te & me. Tertia vox eſt *comminantis*, quâ ignis dicit; à me comburêris. Aqua dicit: in me ſubmergêris. Terra & infernus dicunt, à nobis deglutiêris propter peccata, ſi Deo non ſervieris. *Vide*

Philoſophia non reddit homines atheos.

Ratio proficiendi in Scholâ Naturæ.

praxin hujus dicti in physicâ Christianâ Lamb. Danæi. *Hujus loci est, quod in historiâ Ecclesiasticâ legimus de Antonio Eremitâ: quem quum accederent philosophi gentiles & ex eo quærerent, unde tàm omnigenam sapientiam, quâ pollebat, hausisset, quum nulla illi suppetat bibliotheca. Respondit vir pius graviter in hanc sententiam: Est mihi unicus liber, qui tribus foliis, totidemq; constat literis. Folia sunt, cœlum, terra, aqua. Literæ sunt illorum domiciliorum incolæ, stellæ & aves in cœlo, in terrâ animalia, in quibus excellit homo, in aquâ pisces. Hunc librum noctes dies volvo, adeoq; horas meas & jucundas & fructuosas reddo. Sic Antonius Eremita. Quid dicam de philosophiâ practicâ, quæ maximam affinitatem habet cum Decalogo? Num igitur adhuc philosophiæ studium vobis videtur atheos & profanos reddere?*

Nobile & notabile Antonii Eremitæ dictum.

Hactenus de philosophiæ tùm utilitate, tùm necessitate ad studium Theologicum: sequitur, ut verba faciamus, de ejusdem utilitate & necessitate ad Jurisprudentiam, & Medicinam.

Philosophiæ utilitas in Jurisprudentiâ.

Ad Jurisprudentiam utilis & necessaria est 1. Logica, *quæ præscribit ordinem, quem qui à Jurisprudentiâ exulare jubent, næ exulare debent è choro literatorum.* 2. Philosophia practica. *Ea enim Juris principia generalia, atq; ideò ipsos fontes continet. Rectè igitur dictum*; ubi politicus desinit, ibi JCtus incipit. *Nam nihil vetat, quò minus dicamus, Jurisperitiam subalternari Politicæ: quippe quum & subjectum suum, & principia ex hâc mutuetur.* 3. Historica. 4. Oratoria.

Jurisprudentia subalternatur Politicæ.

Ad Medicinam necessaria est tota philosophia theoretica, cum primis Physica & Mathematica: utilis verò etiam suo modo practica. *Philosophiæ utilitas in Medicinâ.*

Sicut Jurisprudentiam diximus subalternari Politicæ: ita Medicinam Physicæ subalternari statuimus. πολυθρύλλητον namq; illud hîc locum habet: Ubi physicus desinit, ibi Medicus incipit. *Medicina enim pro subjecto habet corpus humanum, pro fine sanitatem, pro principiis ad finem ducentibus, remedia, quæ petuntur ex animalibus, plantis, metallis. Atqui hæc omnia, corpus, sanitas, & remedia materialiter considerata, ex doctrinâ physicâ petuntur & adsumuntur. Mathematica quoq;, cumprimis Astronomia & Astrologia, Medico imprimis est necessaria: & ex philosophiâ practicâ cumprimis OEconomica.* *Medicina subalternatur Physicæ.*

Satis de fine philosophiæ, & latè, & strictè considerata. Plura hanc in sententiam vide apud Valer. Max. l. 8. c. 11. Platonem in 2. Dialogis, de philosophiâ, & de sapientiâ. Cicer. 5. Tuscul. Francisc. Toletum in prolegom. com. phys. Keck. & Casm. dd. ll.



Cap. 19. De principio philosophiæ materiali.

Explicatum est principium essendi philosophiæ externum, efficiens nimirum & finale: sequitur internum, materiale scilicet, & formale.

Materiale philosophię principium.

Materiale principium philosophiæ sunt partes, ex quibus ea colligitur & integratur: *id est, ipsæ disciplinæ, quarum genera in hexilogiâ, ordo & relatio in technologiâ explicabuntur.* Keckerm. l.1.præcog.philos.c.1.

Collectivorum natura.

Philosophia est aggregatum & collectivum ens, & quidem accidens. Itaq; non habet unicam materiam, sed variam & diversam, constantem ex scientiis & prudentiis multis. Ea enim est collectivorum, putà Ecclesiæ, mundi, Scholæ, natura. Deinde quia est accidens, non habet materiam propriè dictam, sed analogicè consideratam. Etenim solæ substantiæ creatæ habent propriè dictam materiam, & spiritales quidem intelligibilem, corporeæ sensilem (philosophus vocat ὕλην νοητὴν καὶ αἰσθητὴν) sed accidentia habent analogicam, & impropriè dictam. Neq; verò est, quòd mireris nos spiritibus tribuere materiam propriè dictam. Nam compositi sunt ex materiâ & formâ, non physicè, sed logicè consideratis.


Materia est duplex, sensilis, & intelligibilis.

Sicut autem disciplinæ ipsæ sunt materia philosophiæ: ita disciplinarum materia sunt præcepta scientifica.

Præcepta scientifica sunt, quæ apta sunt scientiam parere: quæq; legibus scientificis sunt informata. Casman. lib.1. philos. Christ. cap.10.

Leges scientificæ, quæ regunt materiam artium.

Leges scientificæ sunt axiomaticæ illæ, lex κατὰ παντὸς, veritatis; lex καθ᾽ αὑτὸ, justitiæ; lex καθ᾽ ὅλου πρῶτον, sapientiæ. *De quibus vel im te cognoscere monita Logica.*



Cap. 20. De principio philoſophiæ formali.

SEquitur philoſophiæ principium formale. Id, uno verbo, eſt illarum diverſarum materiarum & partium inter ſeſe conveniens unio, & connexio in certis principiis, objecto, & fine. Keck. d. l. & c. Formale philoſophiæ principium.

Philoſophiam jam aliquoties diximus eſſe collectivum. Collectiva *autem, ut à Logicis accepimus, ſunt* duplicia, alia temeraria & inordinata, *ut eſt acervus tritici temerè congeſtus. In talibus nulla eſt forma. Sed ſunt & alia* aggregata ordinata, *in quibus diverſarum quidem partium eſt congeries, ſed talis tamen, quæ concinnum aliquem ordinem & unionem admittit: qualia aggregata ſunt, Mundus, Eccleſia, Schola, itemq; ea, de quâ nunc agimus, philoſophia: utpote in quâ diverſæ diſciplinæ inter ſe uniuntur triplici harmoniâ, & , ut ita dicam, vinculo. Primò namq; copulantur* vinculo communium primorum principiorum, *à quibus omnes diſciplinæ veluti pendent. Deinde uniuntur* vinculo unius objecti, *intellectus nimirum & voluntatis humanæ, cui univerſa philoſophia deſtinatur. Quid, inquiat aliquis, audio? Num intellectus & voluntas ſunt res una eademq;? Sunt, inquam ego, res una eademq; & cum animâ, & inter ſeſe. Diſtinguuntur tamen ratione:* Scal. ex. 307. ſ. 15. *Deniq; omnes diſciplinæ copulantur* vinculo unius finis, *qui eſt humanæ mentis & orationis perfectio, ut indicatum eſt ſuprà* c. 18. *Et propter hanc arctiſſimam partium philoſophiæ unionem, veteres dixerunt, artes ſororio quodam vinculo conjungi, itemq; manus inter ſeſe velut*

Collectiva ſunt duplicia: Temeraria & Ordinata.

Diſciplinarum vinculum triplex. I. Principiorum: II. Objecti informationis: III. Finis.

Sororium vinculum diſciplinarum.

Materiale philosophię principium.

Materiale principium philosophiæ sunt partes, ex quibus ea colligitur & integratur: *id est, ipsæ disciplinæ, quarum genera in hexilogiâ, ordo & relatio in technologiâ explicabuntur.* Keckerm. l.1. præcog. philos. c.1.

Collectivorum natura.

Philosophia est aggregatum & collectivum ens, & quidem accidens. Itaq; non habet unicam materiam, sed variam & diversam, constantem ex scientiis & prudentiis multis. Ea enim est collectivorum, putà Ecclesiæ, mundi, Scholæ, natura. Deinde quia est accidens, non habet materiam propriè dictam, sed analogicè consideratam. Etenim solæ substantiæ creatæ habent propriè dictam materiam, & spiritales quidem intelligibilem, corporeæ sensilem (philosophus vocat ὕλην νοητὴν καὶ αἰσθητὴν *) sed accidentia habent analogicam, & impropriè dictam. Neq; verò est, quòd mireris nos spiritibus tribuere materiam propriè dictam. Nam compositi sunt ex materiâ & formâ, non physicè, sed logicè consideratis.*


Materia est duplex, sensilis, & intelligibilis.

Sicut autem disciplinæ ipsæ sunt materia philosophiæ: ita disciplinarum materia sunt præcepta scientifica.

Præcepta scientifica sunt, quæ apta sunt scientiam párere: quæq; legibus scientificis sunt informata. Casman. lib.1. philos. Christ. cap.10.

Leges scientificæ, quæ regunt materiam artium.

Leges scientificæ sunt axiomaticæ illæ, lex κατὰ παντὸς, veritatis; lex καθ' αὑτὸ, justitiæ; lex καθ' ὅλου πρῶτον, sapientiæ. *De quibus velim te cognoscere monita Logica.*



Cap. 20. De principio philoſophiæ formali.

Sequitur philoſophiæ principium formale. Id, uno verbo, eſt illarum diverſarum materiarum & partium inter ſeſe conveniens unio, & connexio in certis principiis, objecto, & fine. Keck. d. l. & c. Formale philoſophiæ principium.

Philoſophiam jam aliquoties diximus eſſe collectivum. Collectiva *autem, ut à Logicis accepimus, ſunt* duplicia, alia temeraria & inordinata, *ut eſt acervus tritici temerè congeſtus. In talibus nulla eſt forma. Sed ſunt & alia* aggregata ordinata, *in quibus diverſarum quidem partium eſt congeries, ſed talis tamen, quæ concinnum aliquem ordinem & unionem admittit: qualia aggregata ſunt, Mundus, Eccleſia, Schola, itemq; ea, de quâ nunc agimus, philoſophia: utpote in quâ diverſæ diſciplinæ inter ſe uniuntur triplici harmoniâ, & , ut ita dicam, vinculo. Primò namq; copulantur* vinculo communium primorum principiorum, *à quibus omnes diſciplinæ veluti pendent. Deinde uniuntur* vinculo unius objecti, *intellectus nimirum & voluntatis humanæ, cui univerſa philoſophia deſtinatur. Quid, inquiat aliquis, audio? Num intellectus & voluntas ſunt res una eademq;? Sunt, inquam ego, res una eademq; & cum animâ, & inter ſeſe. Diſtinguuntur tamen ratione:* Scal. ex. 307. ſ. 15. *Deniq; omnes diſciplinæ copulantur* vinculo unius finis, *qui eſt humanæ mentis & orationis perfectio, ut indicatum eſt ſuprà* c. 18. *Et propter hanc arctiſſimam partium philoſophiæ unionem, veteres dixerunt, artes ſororio quodam vinculo conjungi, itemq; manus inter ſeſe velut*

Collectiva ſunt duplicia: Temeraria & Ordinata.

Diſciplinarum vinculum triplex. I. Principiorum: II. Objecti informationis: III. Finis.

Sororium vinculum diſciplinarum.

jungere, & mutuas operas tradere, ut qui unam perfectißimè ſcire velit, neceſſe habeat omnes cognoſcere. Hæc eſt illa catena Homerica, in quâ annulus annulum ita capit, ut ſi unum trahas, omnes continuè ſequantur; ſi unum demas, omnes tollantur. Rectè igitur dixit, quicunq; dixit: Philoſophia eſt una copulativa.

Leges Methodicæ, quæ regunt formam diſciplinarũ.

Cæterùm ſicut præcepta diſciplinarum materialiter conſiderata informantur ſecundùm tres illas leges axiomaticas: ita eadem formaliter conſiderata informantur ſecundùm tres leges methodicas; quarum prima eſt lex generalitatis, ſecunda homogeniæ, tertia denique coordinationis. *Vide Logica Syſtemata.*



Cap. 21. De Intellectu.

EXplicatum eſt principium eſſendi philoſophiæ: explicandum deinceps venit principium cognoſcendi.

Suprà cap. 13. explicata eſt hæc principii diſtinctio, quâ dicitur aliud eſſendi, aliud cognoſcendi principium.

Principium cognoſcendi philoſophiæ quod?

Principium cognoſcendi philoſophiæ dicitur Schola.

Schola eſt cùm Naturæ, tùm Gratiæ.

Duo hîc velim notari. I. Cur principium cognoſcendi hoc in loco vocemus Scholam? Ratio nominis eſt hæc.

In Scholâ tria ſunt neceſſaria.

Sicuti in Scholâ tria ſunt neceſſaria, Subjectum, Objectum, Medium: *illud eſt homo partim docens, partim diſcens: iſtud eſt liber: hoc ſunt literæ:*

literæ: ita & in philosophiâ hæc tria etiam atq; etiam consideranda sunt: putà in Metaphysicâ, Theologiâ, Medicinâ debemus notare tria hæc cognoscendi principia. II. Cur hîc in genere præcipiamus de Scholâ Gratiæ, quum de illâ in specie docendum sit infrà, ubi tractabimus de principiis Theologicis? Pro solutione hujus dubii notandum est, Scholam Gratiæ considerari communiter, & singulariter. Communiter, quatenus est regula Philosophiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ. Singulariter, quatenus est principium Theologicum. Nos attendimus communem illam notionem, qui persuasi sumus, philosophum hæc tria principia religiosè observare debere, Rationem, Experientiam, & Scripturam.

Gratiæ Schola consideratur communiter, vel particulariter.

Schola Naturæ est principium cognoscendi ea, quæ homo potest capere constitutus intra terminos Naturæ, infra terminos Gratiæ.

Schola Naturæ quid sit?

Schola naturæ est principium cognoscendi collectivum seu aggregatum. Constituitur enim è tribus aliis principiis, subjecto scilicet, Objecto, & Mediis.

Schola Naturæ continet Subjectum, Objectum, & Media.

Subjectum est principium cognoscendi principale activum QUOD. Estq; homo docens & discens.

Principium cognoscendi activum, QUOD.

Hoc subjectum dicitur principium cognoscendi activum QUOD. *Dicitur* QUOD, ἐλλειπτικῶς, *scilicet cognoscit. Principium* QUO *est vel Ratio, vel Sensus. Principium cognoscendi* QUOD, *passivum, dicitur, quod cognoscitur. Et quidem homo hîc con-*

Pricinpium QUO.

Principium cognoscendi passivum QUOD.

ſideratur, quatenus docet & diſcit. Suprà conſiderabatur ſub notione principii eſſendi, quatenus invenit philoſophiã. Homo cõſtitutus in Scholâ naturæ jure naturæ obligatus eſt ad legendũ naturæ librũ.

Huic obligationi ut reſpondeat, tributa ſunt ei à naturæ opifice certa principia tùm interna & naturalia, tùm externa & ſecundùm naturam adventitia ſeu habitualia: Petrus Titus in Alphabeto libri naturæ.

Principia interna homini ſunt tùm membra ſive partes, tùm adjuncta.

Membra (*ſive partes*) ſunt, tùm activum, animus: tùm organicum, corpus.

Animus complectitur vires cùm ſuperiores, tùm inferiores. Superiores animi vires ſunt Intellectus, Memoria, & Voluntas.

Intellectus quomodo ſit principiũ cognoſcendi.

Intellectus eſt principium cognoſcendi per apprehenſionẽ, compoſitionẽ & diviſionẽ, & deniq; diſcurſum. *Theoremata ſunt.*

Intellectus quot modis intelligat?

I. Intellectus intelligit vel rem ſive ipſum objectum; vel ſpeciem, per quam intelligit rem; vel intellectionem ſuam; vel ſeipſum. Scal. exer. 307. ſ. 8.

Intellectus eſt: Agens

II. Unus idemq; intellectus eſt vel agens, vel materialis. *Intellectus agens eſt autor inventorum & ſpecierum. Facit enim res actu intelligi. Materialis, qui etiam poſſibilis & paſſivus dicitur, eſt, qui recipit*

Patiens

ſpeciem intelligibilem. Ita quod heri intellectui patienti impreſſum fuit, hodie manet, ſi ſit fidelis depoſiti theſaurarius. Quod ſi intellectus materialis ſe conjungat cum agente, dicitur intellectus adeptus. *Adeptũ*

Adeptus.

ideò vocarunt veteres; quia nullius prætereà commeatus (ſic enim loquuntur) egeat ad beatitudinem ſci-

licet philosophicam illam, quam metimur cognitione veri. Contra hanc sententiam disputat subtilitatum magister ex.307.ſ.18.19. *Cæterùm de intellectu hîc tractamus, non ut in Physicâ fit, quatenus est animæ potentia; sed quatenus est principium cognoſcendi.*

III. Intellectus conſideratur cùm vis, tùm opus. Scal. exer. 307.ſ.2.

IV. Intellectus vis eſt λόγος, Ratio.

V. Intellectus opus ſive operatio eſt triplex. 1. Cognitio rerum ſimplicium, *ut leonis. Hæc duplex*; recta, *quæ eſt in primâ ſtatim apprehenſione: & reflexa, quoties ipſam intelligimus intellectionē. Recta illa cognitio vocatur conceptus directus: reflexa, circularis.* Conceptus directus eſt triplex, formalis, objectivus, & objectivus conſequēter. Conceptus formalis *eſt, quo intellectus rē repræſentat & concipit, diciturq́ formalis, quia eſt intimus mentis actus: ut cognitio hominis vel ſolis, quæ eſt converſio intellectus in hominē vel ſolem.* Conceptus objectivus *eſt res, quæ per conceptū formalē repræſentatur: ſic dictus, quia conceptus formalis circa eum occupatur: ut eſt ſol vel homo cognitus. Formalis igitur conceptus eſt ſemper res vera, poſitiva, & ſingularis, nempe qualitas menti actu inhærens: at objectivus conceptus non ſemper eſt res vera, quia etiam ficta concipiuntur; non ſemp. poſitiva, quia etiā entia privativa & rationis concipiuntur; neq́ ſemp. eſt res ſingularis, quia ſæpè etiam univerſalia concipiuntur.* Conceptus objectivus conſequēter *dicitur, quando intellectus excogitat notiones ſecundas de primis illis, ſeu de conceptu objectivo. Hanc ob cauſam notiones ſecundæ vocātur* νοήματα νοημάτων, *& conceptus conceptuū.*

Intellectus operatio triplex. Prima intellectus operatio eſt ſimplicium apprehenſio. Conceptus triplex. I. Formalis: II. Objectivus. III. Objectivus conſequenter.

Tales notiones secundæ occurrunt in Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, & ipsâ etiam Astronomiâ atq; Astrologiâ, ut sunt, genus, species, casus, tempus, tropus, figura, Zodiacus. Hæc notio secunda in animo exercitati Logici perfectior est, quàm in animo indocti: quum alioqui solis cognitio & sol cognitus simpliciter æquè sit in utriusq; animo. 2. Secunda intellectus operatio est, quâ conjuncta cognoscit: *è quibus consiunt propositiones: ut homo est animal.* 3. Tertia est, cùm his ita conjunctis adjungimus alia: ut ex eâ compositione aliquid aliud educamus. *Hæc dicitur ratiocinatio, itemq; discursus, propter animi celeritatem.* Scal. exer. 307.s.2.

Secunda intellectus operatio.

Tertia intellectus operatio.

VI. Intellectus est θεωρητικὸς, πρακτικὸς, ποιητικὸς, speculativus, activus, factivus. Speculativus *est, quando cognoscit, ut cognoscat: ita cognoscit ens, unum, verũ.* Activus, *quando cognoscit eo fine, ut homo agat secundùm virtutem: ita cognoscit ea quæ occurrunt in Ethicis.* Factivus, *quando cognoscit eo fine, ut homo efficiat aliquid ex arte: ita cognoscit ea, quæ in artibus Logicis & mechanicis occurrunt.*

Intellectus est: Speculativus: Activus; Factivus.

VII. Via intelligendi ita habet. *Primò est* νοητὸν, res intelligibilis: *deinde* ὁ νοῶν, qui intelligere potest ceu principium quod: 3. νοῦς, intellectus, ceu principium quo: 4. νοητικὴ δύναμις, vis per quam intelligere potest. 5. διαφανὲς, lumen divinitus inditum vel per naturam, vel singularem gratiam, vel acquisitum per experientiam, *per quod potentia ad actum disponitur. Est enim intellectus noster compositus ex actu & potentiâ.* 6. τὸ νοητὸν εἴδωλον, *id est,* species rei intelligibilis. 7. νόησις, intellectus occupatio circa il-

Via intelligendi.

ca illam rem, *à quâ notionem concipit, quæ notio conceptus dicitur* κατὰ μεταφορὰν, *quia est quasi partus quidam mentis in se* λόγον ἐνδιάθετον *parientis. Hîc notes, quod antè diximus; intellectum entia & materialia & immaterialia cognoſcere per ſpeciem, ſe verò per reflexionem.* Scal. ex. 307. ſ. 2. *Plura de intellectu vide apud philoſophum in libris de anima: quos eruditis commentariis illustrarunt* Joannes de Janduno, Zabarella, & Patres collegii Conimbricenſis. *Noſtri instituti non est omnia minutatim perſequi.*



Cap. 22. De Memoriâ intellectivâ.


SEquitur Memoria, quæ eſt principium intellecta tùm conſervandi & retinendi, tùm redintegrandi & reddendi. **Memoria intellectiva.**

Theoremata.

I. Memoria eſt duplex, ſenſitiva, & intellectiva. Senſitiva eſt affixa organo: intellectiva eſt inorganica, & ἐξοχὴν quâdam à philoſopho vocatur Reminiſcentia.

II. Memoriæ intellectivæ duplex eſt virtus: retinere fideliter ſpecies intelligibiles; & eas, ſi quando opus eſt, reddere promtè. **Memoriæ intellectivę duplex vis.**

III. Memoria intellectiva nunc eſt intermedia inter intellectum & voluntatem, nunc ſequitur voluntatem.



Cap. 23. De Voluntate.

Voluntas quid?

VOluntas est principium cognoscendi ὄρεξιν ϗ προαίρεσιν, tùm eligendo, tùm exequendo. *Dicitur principium cognoscendi: quia non possumus dicere, quòd hæc animæ facultas sit non cognoscitiva.* *Theoremata.*

Intellectus est dignior voluntate.

I. Nihil est in voluntate, quod non anteà fuerit in intellectu. *Intellectus enim, ut habet dictum scholasticorum, portat voluntati lucernam. Ille est veluti rex, hæc veluti regina: ideoq; ille nobilior, hæc ignobilior.* Scal. exer. 307. s. 26.

II. Voluntatis objectum est bonum. *Intellectus objectum esse diximus verum, quà tale. Nam bonum non intelligit, nisi sub ratione veri. Et ita voluntas non vult verum, nisi sub ratione boni.*

III. Quod in intellectu est affirmatio & negatio, id in voluntate est amor & fuga seu odium.

Varii modi volendi.

IV. Voluntas non eodem modo vult rem, quam vult: & speciem, per quam vult: & cùm vult velle suum. *Quod fit in ipsâ sententiæ perseveratione, atq; animi constantiâ.* Scal. exer. 307. s. 8.

Voluntas duplici movetur principio, extrinseco & intrinseco.

V. Voluntas habet etiam internum principium, à quo movetur. *Primò quidem voluntas movetur à phantasmate irradiato luce agentis intellectus. Deinde est principium quoddam intrinsecum, quod movet voluntatem, Hoc est in ipsâ voluntate: quo mota à phantasmate potest velle, & nolle. Alioquin actio voluntatis non esset in ejus potestate; si ab agente solo naturali moveretur. Itaq; & frustrà, & iniqua*

iniquæ essent leges tùm humanæ tùm divinæ. Quid enim præciperet Deus unius Dei cultum, si colendi facultas non fuisset olim in nostrâ potestate? Hîc intellige voluntatē, quâ integra fuit. Præterea si in voluntate non esset intrinsecum quoddam principium, eodem modo æquè ab objecto uno omnes homines moverentur. At conspecto equo bellatore, & navigio: quare movebitur ad illū generosus Gallus, ad hoc vanus Ligur? Scal.exer.307.f.25. *Quia sua cuique directio est. Itaque sine ullo extimo objecto, per voluntatem movere possum intellectum ad intelligendum, & contrà avertere ab intellectione: ut penes illam totius hominis status, vel præsentis, vel futuri imperium sit. Neque sanè movere phantasma potest, nisi occursu & repræsentatione: quæ non movet ad actionem, sed ad receptionem impreßionis, quam deinde movet finis. Finis autem dicitur philosopho, non verè movere, sed per metaphoram, id est, similitudinem verorum motuum. Quod si huic interno principio quispiam objecerit, idem fore movens, & motum: quod est absurdum: non est absurdum in animâ, postquam mota est, seipsam movere, suo modo hoc. Quin in motibus veris corporis hoc idem videtur: quippe aëre & aquâ.* Et *sanè intellectus, ut & voluntas, est per similitudinē ipsa species. Quâ receptâ, excitatur illud principium, sine ullo medio. Tùm deinde sese movet, atque ipsum intellectum. Itaque dicimus, & verè, & ex omnium gentium consensu: volo velle. Hic actus est à suo principio in se desinens. Sic quod posterius est, fit aliquo modo prius aliquando. Nam posteaquam intellectus quippiam intellexit, & cessavit: volūtas jubere potest, iterū ut recolat intellectionem. Sic imperat etiā me-*

Voluntas movet intellectum.

Metaphoricus motus quis sit?

moriæ, etiam phantaſiæ: ſi in eâ notionum theſauri reponuntur. Quid verò? Hæc ita disputata videntur repugnare theoremati primo hujus capitis, ubi intellectum regi, voluntatem reginæ comparavimus. Videntur ſanè repugnare, non repugnant. Etenim *facultas dicitur moveri, quando è potentiâ in actum educitur: è potentiâ, inquam, quâ poteſt actionem producere vel non producere, quæ eſt potentia ad exercitium actus; vel producere actus hujus vel illius ſpeciem.* Intellectus itaq;, quoad ſpeciem actus, movet voluntatem, *dum certum aliquid à ſe cognitum, vel tanquam bonum vel malum, voluntati proponit, allatis cauſis illud amplectendi vel averſandi.* Voluntas movet intellectum, quoad exercitium, *i.e. ut hoc vel illud hoc tempore, vel hoc loco cogitet, putà nunc de Deo potiùs, quàm de ſole meditetur. Imperat voluntas intellectui, ut ratiocinetur, ſi nempe fuerit antè ratione decretum, quòd bonum ſit ut ratiocinetur. Voluntas etiam imperat ſibi, quatenus ſpiritus carni, vel caro ſpiritui: item affectus bonus malo, & contrà. Manet igitur internum voluntatis principium, quod philoſophus in fine ſeptimi Metaph. his verbis deſignavit:* κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. ἀρχὴ δὲ τοῦ λόγου, οὐ λόγος, ἀλλά τι κρεῖττον. *Quid ais philoſophe princeps philoſophorum? Eſtne in nobis aliquid divinum, quod ſit præſtantius ipsâ ratione?* Cùm *homo ſit rationalis per intellectum, erítne in homine ipſo intellectu aliquid divinius?* Eſt *certè. Sunt enim radii Spiritus ſancti, cujus benignitate & munere voluntas humana dirigitur. Quæ ut commodiùs intelligantur, altiùs res ipſa repetenda eſt, & quidem è* Scal. ex. 307. ſ. 25.

Intellectus movet voluntatem, quoad ſpeciem actus.

Voluntas movet intellectum, quoad exercitium.

Aliquid præſtantius ratione eſt in homine.

Enu-

Enumeremus itaq; ipsa principia primaria, quæ vocant capitalia: principia, inquam, effectionis & cognitionis. Veteres hoc ordine enumerabant:

1	Πρόνοια,	Providentia.
2	Ἀνάγκη,	Necessitas.
3	Εἱμαρμένη,	Fatum.
4	Φύσις,	Natura.
5	Τύχη,	Fortuna.
6	Αὐτόματον,	Casus.
7	Τέχνη,	Ars.
8	Αὐτεξούσιον,	Potestas libera.

Octonarius principiorũ apud veteres.

Octonarium istum principiorum nos commutamus in senarium, vel potiùs hunc pro illo reponimus. Docti enim sumus, Fortunam & Casum esse μὴ ὄντα. Persuasionem nobis injecerunt hæ rationes. Nullus philosophorum dixit, quid sit fortuna. Dicunt enim, quid sit à fortunâ. Nam thesauri inventio, quem nactus est fossor, dum vineam pastinaret, non Fortuna, sed à Fortunâ esse dicitur. Fossio, inquiunt, est causa per accidens inventionis. At, inquam ego, fossio non est fortuna. Ergo fortuna non est causa. Quare omnino quid fortuna sit, non dicunt. Non enim est vis connectens causam per accidens cum effectu. Si Fortuna nihil est, ne casus quidem erit aliquid. Iccirco neq; esse eum alterius rei causam, neq; rem quampiam sibi pro causâ habere, nomen indicat: quippe quod per se est, non habet causam. Hoc significat αὐτὸ. Quod temere accidit, non est alius causa: hoc est μάτην. Manent igitur nobis sex principia, sublatis fortunâ & casu. Videamus singula. Providentiam *Dei definire non possumus: declaremus sicpote. Vis Dei*

Fortuna est μὴ ὄν.

Casus nihil est.

Providentia.

præsens sibi semper, & cætera omnia antecedens. Quare simplex est, & una: atque iccircò immutabilis. Quia si antecedit semper alia, non mutatur ab illis, sed mutat. Si est sibi ipsi præsens, & simplex, non mutatur intus à seipsâ.

Necessitas. Necessitas duplex *est. Una, quæ non habet causam, nisi primam causam, ut ortus solis. Altera, quæ pendet ex antecedenti quocunque in re immutabiliter: ut calor ab igni. Quare acutissimè sic definietur:* Connexio immutabilis causæ & effectus. *Ita intelligentur omnia, quæcunque*

Necessariæ consequentiæ quot sint? *comprehenduntur, sive tanquam partes, sive tanquam species, sive tanquam effectiones. Exempla. Cor est. Ergo animal est. Homo est. Ergo animal est.*

Fatum. *Calor est. Ergo calefaciens est. Sequitur* fatum, *quod est vis ordinatarum inter se causarum atque effectionum. Hoc duplex: unum* commune *in totâ naturæ serie. Quia fatale est, ver esse, cùm sol in Ariete est. Alterum* versatur circa minutiora. *Veluti cùm dicimus fatale esse hoc vel illo miseriæ Austro & felicitatis Zephyro agitari, afflari.* Non *omnis igitur necessitas, fatum est.* Non *enim fatale dicimus ignis calefacere, sed naturale necessarium. Aliud igitur est necessitas, aliud fatum, aliud natura.*

Natura. *Est enim* natura *potestas Dei ad motus omnes ordinarios. Est igitur ministra Dei, seu potestas singulis*

Ars. *rebus indita.* Ars *autem est habitus ad faciendum. Neque, ut ajunt, est habitus singularium: sed universalium ad faciendum. Actio autem est & singularium, & circa singularia.*

Libera potestas. *De* liberâ potestate (*in naturalibus*) *multi imperiti pertinaciam pro telo, fastidium pro muro habuerunt. Servam enim simpliciter nonnulli professi sunt. Quod cùm viderent esse scuticâ dignum; dimidium*

tantùm

tantùm asseruere. Ajunt igitur, ex semisse nos posse, id est, malum: ex semisse non posse, id est bonum. Neq; nos bonum facere, sed Deum in nobis. Hîc velim te distinguere inter bonum morale & spiritale. Cujus item partem non negamus. Deus enim docet, & irradiat, & adsistit: quosdam etiam suo modo trahit. Quòd autem nullum sit principium potestatis in nobis ad bene agendum, eorum est vociferari, qui non intelligunt. Si ita esset, non liceret Dei justitiæ nos postulare, atque damnare omissorum officiorum. Dedit nobis ille naturæ architectus illud principium: quo quia malè usi sumus, meritò principio illo maximâ & optimâ sui parte privati sumus, videl. potestate ad agendum ea quæ verè bona Deoq; placentia sunt. Rectè igitur princeps philosophorum explicavit, quid sit τὸ ἐφ' ἡμῖν, *& quid sit* τὸ ἑκούσιον, *& prætereà, quid sit* προαίρεσις. *Nam si homo consulit de rebus agendis, hocq; habet à naturâ, & in naturæ cursu nihil fit frustrà, utiq; homo naturâ suâ erit aptus ad disceptandū de duobus contrariis, ut alterum eligat. Ea enim est libertatis formalitas, ut indifferenter & indeterminatè se habeat ad utrumq; oppositorum; sive sit libertas contrarietatis, sive contradictionis, vel ut alii vocant exercitii & specificationis. Hinc etiam intelligimus: providentiam divinam rebus omnibus imminere: at non eodem modo. Permittit enim quædam: alia insinuat per se, id est, afflatu: alia per ministros immateriales: alia per materiales, philosophos scilicet & Theologos, unde oriuntur disciplinæ, ex scientiarum communicatione: alia per principia naturalia connata nobis, quæ* νοῦς *ab Aristotele appellantur: quædam*

Formalitas libertatis quæ sit? Libertas est duplex.

Providentia Dei quî influat in creaturas.

per se sola facit: Omnis autem necessitas ab eâ est, & omne fatum, & omnis natura. Necessitas etiam alia est à Deo, ut cùm absumetur incendio mundus. Alia à Fato, ut calere æstate. Aliqua à naturâ: ut hominẽ esse risibilem. Et hæ duæ posteriores subsunt primæ. Summa: omnia pendent à Dei providentiâ. Ab eâ causæ secundæ sunt constitutæ: in naturâ necessariæ, in voluntate inclinantes, non cogentes: in eventibus rerum immutabiles. Eæ si mutari videntur nobis, at immutabilis est hæc mutabilitas, quam dicimus fatum, quod est aliud à naturâ.

Via volendi VI. Via volendi ita habet. *Primò est* τὸ βουλητὸν, res volibilis: *deinde* ὁ βουλόμενος, qui potest velle: 3. θέλημα, voluntas. 4. βουλητικὴ δύναμις, vis per quam velle potest. 5. διαφανὲς, quod est inter intellectum & voluntatem. 6. τὸ βουλητὸν εἴδωλον. 7. βούλησις. 8. Consequens affectus, *qui est lætitia vel tristitia, amor vel odium, spes vel metus. Illi præteritarum & præsentium, isti præsentium, hi futurarum sunt rerum.*

Hæc cursim breviterq́ue hoc loco dicta sint de intellectu, memoriâ, & voluntate: quæ enucleatè hîc non tractanda sunt, sed in quantum considerantur ut principia cognoscendi.



Cap. 24. De sensibus externis.

TAles sunt vires animæ superiores; sequuntur inferiores, quæ superioribus ministrant.

Prisci

Prisci philosophi fermè omnes ad unum senserunt, animam nostram esse compositam ex duobus actu contrariis, τῷ λογικῷ scilicet & ἀλόγῳ. Dico igitur cum Scaligero exer. 307.s.5. *in animâ nostrâ nullam partem, nullam vim, nihil deniq; prorsus vel esse, vel cogitari posse, quod careat ratione. Anima enim nostra separata à corpore edit actiones inorganicas: sed implicita corpori, per ejus officiales atq; ministras partes recipit impreßiones. Fit ergo tùm talis, quales illæ sunt. Iccirco dum facimus sensus partes animæ, intelligimus animam sensitivam, non intellectivam, cujus vires sunt, non partes.*

Anima nostra non est composita è rationali & irrationali.

Vires inferiores sunt principia vel subintelligendi, vel subserviendi.

Principia subintelligendi, sunt sensus.

Sensus sunt vel externi, vel interni.

Sensus externi sunt visus, auditus, tactus, olfactus, gustus: à quibus oriuntur Observatio, Experientia, & Inductio. *In visu potißimùm, auditu, & tactu, tanquam exquisitioribus, est vis explorandi & percipiendi variarum, necessariarum, & utilium rerum in naturâ differentias. Hoc est, quod docuit Anaxagoras, oculos & manus esse sapientiæ matres. Duo Galenus ponit principia in homine,* λόγον καὶ πεῖραν, Rationem & Experientiam, sive sensum. *Sensus etsi imperfectior est quàm ratio, tamen ratione prior est, quoad eum cognoscendi ordinem, qui homini accommodatus est, ut meritò dicat Aristoteles:* Nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu. *Et est omnino magna cognitionis sensualis certitudo, ita ut quidquid homo*

Sensus externi.

Duo principia Galeni.

Cognitio sensitiva est prior intellectivâ.

sensu bene affecto percipit, id ratum & firmum habere possit. Sensus enim nunquam decipitur circa proprium objectum. Prætereà cognitio intellectualis in hâc vitâ verificatur propter cognitionem sensualem. Arist.3.de gen.animal.c.10. *Nam cùm aliorum ex longis observationibus confecta scripta legimus, dicta audimus; vel cùm singula è rebus singulis à nobis visis, auditis, tractatis observamus; ex illo statim cognitio scientiaq; à priori, & universalibus procedens, ex hâc generatur experientia singularium: & ex eâ demum à posteriori scientia, hoc fermè ordine, ut poëta canit:*

Ordo cognitionis.

Per varios usus artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam.

Ars verò seu disciplina gignit tandem cognitionem certam. Atq; utraq; hæc scientia, sive ex aliorum dictis scriptisq; hausta, sive è propris nostris observationibus, ad usum iterum transferenda est, ut ita scientiæ initium & finis, causa & effectum, α & ω, sit usus, qui si scientiæ comparatæ accedit, multò illam perfectiorem efficiet, absq; eo imperfectam & nullam futuram.

Observatio quid sit?

Observatio est quædam sensualis notitiæ collectio, *quam philosophus ἱςορίαν vocat κατ᾽ ἐξοχὴν*, 2.post.c.ult. *Nam non satis est nos videre & audire, nisi observemus, quæ semel atq; iterum vidimus, audivimus, aut aliis sensibus hausimus.*

Experientia est plurium observationum collectio, & ad certum usum applicatio.

Experientia est Universalis. &

Estq; vel universalis, vel particularis.

Universalis est, quum de iis, quæ sensu percipiuntur, sani omnes eodem modo judicant.

Melan-

Melanchth.l.4.Dial. *Sic dicimus, ignis est calidus, Sol movetur, Sol movetur duplici motu, uno diurno, quo designat intervalla dierum & noctium; periodico altero, quo describit annum ejusq; vicissitudines.*

Particularis est, de iis, quæ non omnium sensibus sunt exposita: *ut, corvi alicubi sunt albi, pisces atri.* Scal. exer. 59. *Vide similia exempla apud* Alexandrum ab Alexandro genial. dier.l.5.c.9. Particularis.

Sicut universalis experientia universalem propositionem constituit, nempe hanc: omnis ignis est calidus, Sol movetur (hoc enim verum est κατὰ παντὸς, *scilicet* ὑποκειμένου, χρόνου καὶ τόπου*) ita particularis particularem. Tantum autem philosophus* 1.Metaph.c.1.*tribuit experientiæ, ut dicat, expertos majus aliquid & amplius in disciplinâ consequi, quàm eos, qui præcepta sine experientiâ consectantur.* Fonseca super d.l. *Et Plato in Gorgia dicit:* O Chærepho, multæ artes, hominum sunt experientiâ prudenter inventæ. Experientia siquidem efficit, ut artificiosè, inexperientia verò ut temerè vita nostra progrediatur; & scientia & ars hominibus per experientiam. Experientia siquidem artem genuit, inexperientia autem temeritatem *Hanc in sententiam consulatur* Petrus Ramus l.7. & 9. Schol. Dial. *ubi ex organo Aristotelis hæc summatim habet. Si sensus deficit, scientia quoq; deficiet. Quia si sensus deficit, deficiet inductio: si deficit inductio, deficit universale: si deficit universale, deficit scientia. Ergo de primo ad ultimum, si sensus deficit,* Experientiæ præcellētia.

ſcientia deficit. Utinam igitur literis aureis (ſic optat Ramus) atq; illuſtribus, præ foribus Scholarum omnium duo iſta verba eſſent inſcripta & impreſſa, ΕΜΠΕΙΡΙΑ, ΙΣΤΟΡΙΑ: *ut quoties ea legeremus, omnium verorum dogmatum cauſam atq; originem legeremus ac meminiſſemus.*

Duo verba inſcribenda præ foribus Scholarum.

Inductio quid ſit?

Inductio deniq; eſt, quâ ex plurium obſervationum & experientiarum collectione univerſalis concluſio in intellectu efformatur & veluti regula quædam extruitur. *De inductione* Ariſt. 2. poſt. cap. ult. (*vide Zabarel. ſuper h. l.*) & 1. Metaph. c. 1. (*vide Fonſecam ſuper h. l.*) *ita magnificè tractat, ut veluti principium quoddam in eâ reponat omnium tùm artium, tùm ſcientiarum. Neq; enim quicquam juvarent exempla varia & multa, niſi ex iis mens humana extrueret generalia noëmata & regulas, per quas verè demum & docemus & diſcimus.* Caſm. l. 1. philoſ. Chriſt. c. 7. Keck. l. 1. præcog. c. 3.

Ordo ſenſuum externorum exemplo viſionis declaratus.

Hæc ut planiora fiant, obſervetur ordo ſentiendi, ſeu ſenſuum externorum. Sumamus viſum pro exemplo. Primò eſt τὸ ὁρατὸν, viſibile. 2. ὁ ὁρῶν, qui videre poteſt. 3. τὸ αἰσθητήριον, ſenſorium, *inſtrumentum videndi oculus.* 4. ὁρατικὴ *ſeu* ὀπτικὴ δύναμις, vis viſiva, *ſpiritibus animalibus in nervos opticos ſparſis.* 5. διαφανὲς, mediũ videndi, *ſeu illuſtratum, putà aër & aqua &c. transparens, atq; ita intervallum inter videntem & rem videndam.* 6. εἴδωλον, ſpecies viſibilis actu ad oculum delata. 7. ὅρασις, oculi occupatio circa rem viſibilem, *& ex eâ ſpeciei productio & abſtractio, adeoq; ſpeciei illius receptio.* 8. ὅραμα, res viſa, *verbi gratiâ nix,*

quam

quam cognovimus esse albam visu. Hinc experientia universalis, quâ plures observationes collegimus. Dehinc inducimus & colligimus multa exempla, atq; ita constituimus regulam: Omnis nix est alba.



Cap. 25. De sensibus internis.

EXpositi sunt sensus externi, sequuntur interni, iiq; numero tres, sensus communis, phantasia, & memoria. Sensus interni.

Sensus communis est, qui judicat sensionem externam. *Neq; enim oculus scit se videre, sed hoc est sensus communis officium. Huic tribuitur judicium, quod vulgò vocant inferius. Nam judicium superius est ratio ipsa: sed à seipsâ differt, reflexione tantùm. Exposita enim quæ reperit, aut accepit, accuratiùs recenset, ac quædam admittit, notas aliis inurit.* Scal. exer. 307. s. 5. Sensus communis. Judicium est inferius, vel superius.

Judicium sensus communis est duplex, simplex, & compositum.

Judicium simplex est de quâcunq; re per sensus cognitâ: *ut de lapide.*

Judicium compositum est quidã quasi discursus ab uno sensili præsenti ad aliud per collationem plurium sensibilium præsentium inter se, veluti

I. Comparatorum cum comparatis, putà novorum cum antiquis, & usitatorum cum insolitis.

II. Oppositorum cum oppositis, putà bonorum cum malis.

Phantaſia.

Phantaſia eſt, quæ effingit phantaſmata rerum ſenſibilium.

Phantaſiæ vis duplex.

Vis ejus eſt duplex, cogitativa, & ſignativa. *Hîc nota, nos non tractare de ſenſibus, quâ ſunt phyſicæ conſiderationis, ſed quatenus prægnoſcimus eos veluti principia. Non igitur in genere tractamus de ſenſibus, ſed in ſpecie, quatenus in homine exiſtunt veluti principia cognoſcendi.*

Vis cogitativa.

Vis cogitativa eſt, quæ intellectui ſuppeditat phantaſmata quarumvis rerum intelligibilium ſpecularia.

Phantaſmata quare dicantur ſpecularia.

Dico phantaſmata rerum intelligibilium ſpecularia. Nam phantaſia eſt veluti ſpeculum, in quo intellectus intuetur imagines varias. Iſtæ imagines in iſto ſpeculo ſunt adhuc impuræ. Eas igitur defæcat intellectus, dum ſcilicet eas ſuâ luce illuſtrat, adeoq; è ſpeciebus ſenſilibus facit intelligibiles actu.

Vis ſignativa eſt

Vis ſignativa eſt, quæ format ſigna & notas phantaſmatum externas, quibus cogitata cum aliis hominibus communicentur.

Eſtq; vis cùm loquendi, tùm fingendi.

Vis loquendi eſt tùm ſermo, tùm cantus.

I. Sermo.

Sermo eſt quidam quaſi portitor animi ſenſa per vocem articulatam ſignificandi. *Hinc vocatur mentis character, index, vehiculum, & internuncius animi. Græcis* λόγος προφορικὸς, *item* πρὸς ἕτερον, *ſive* ἔξω: *quia ſcilicet eſt alius* λόγος ἐνδιάθετος, πρὸς ἑαυτὸν, καὶ ὁ ἔσω.

II. Cantus.

Cantus eſt ſermonis per intervalla elevata figuratio.

Figuratio illa fit per ἄρσιν καὶ θέσιν *harmonicam.*

III. Vis fingendi.

Vis fingendi eſt, quâ ſignis materialibus in

oculos

oculos incurrentibus repræſentamus tùm cogitata ipſa, tùm ſermonem.

Signa ſunt nobis hoc in loco duplicia: alia aures feriunt, alia oculos movent. Illa in ſermone & cantu, hæc in vi fingendi conſiderantur.

Cogitata repræſentat vis Geſticulandi, Pingendi, & Sculpendi. Vis

Geſticulandi vis eſt, quâ motu præcipuarum corporis partium ſenſa animi ſignificamus barbaris, ſurdis, & mutis. Geſticulandi.

Pingendi vis eſt, quâ vario linearum ductu & lucis umbrarumq; permixtione cogitata repræſentamus. Pingendi.

Sculpendi vis eſt, quâ ex materiâ formatili corporum ſimulacra proportionaliter efformamus. Sculpendi.


Sermonem ipſum repræſentat ſcriptio.

Scriptio eſt vis, quâ certis ductuum linearium notis ſermonem repræſentamus. Scribendi.

Scriptio eſt vel hieroglyphica, vel literalis.

Sequitur memoria, nempe ſenſitiva: quæ eſt vis conſervandi phantaſmata, eaq; reddendi ſi opus ſit. Memoria ſenſitiva.

Ariſtoteles 2. poſt. c. ult. *docet, multas numero memorias eſſe, unam numero experientiam. His verbis philoſophus indicat, experientiam conſervari impreſſione in memoriam: quæ eſt prima memoriæ virtus. Altera eſt promtè reddere ea, quæ ipſi ſunt concredita.* Duplex memoriæ vis.



Cap. 26. De Appetitu & Locomotivâ.

EXplicata sunt principia subintelligendi, sequuntur subserviendi.

Principia subserviendi sunt vires animæ inferiores, quæ inserviunt & facultatibus superioribus, & sensibus.

Suntq; tùm in Appetitu sensitivo, tùm Locomotivâ.

Appetitus sensitivus. Appetitus sensitivus est inclinatio hominis, orta à sensuum judicio ad objectum bonum prosequendum, & malum fugiendum. *In illo igitur est* directibilitas, *quâ is juxta suasum & ductum rationis res adfectat.*

Appetitus est I. Naturalis: II. Animalis: III. Rationalis. *Distinguunt philosophi naturales appetitum in naturalem, animalem, & rationalem.* Appetitus naturalis *etiam est in rebus inanimatis; estq; inclinatio seu instinctus naturalis in re quâlibet: ut, in lapide est appetitus, id est, inclinatio deorsum tendendi: in aëre est appetitus tendendi sursum.* Appetitus animalis *est sensitivus ille, de quo nos hîc tractamus; non ut tribuitur omni corpori animali, sed ut tribuitur homini.* Rationalis appetitus *est ipsa voluntas.* Scal. exer. 307. s. 3.

τὸ θυμικόν. Appetitus sensitivus est cùm θυμικὸς, tùm ἐπιθυμητικὸς, irascibilis & concupiscibilis.

Appetitus θυμικὸς subservit intellectui & voluntati partim affectando, partim respuendo. *Affectando maxima, ardua, honesta, & gloriosa.*

riosa. Respuendo parva, levia, turpia, & ignominiosa.

Appetitus ἐπιθυμητικὸς subservit intellectui & voluntati partim amando, partim fugiendo. *Amando & desiderando utilia atq; jucunda; contrariaq; odio habendo & reformidando.* τὸ ἐπιθυμητικόν.

Locomotiva est, quâ vires motrices obsequuntur voluntati. Locomotiva.

Locomotiva paret voluntati. Nam vires motrices voluntatis & jussu impelli, & imperio herili cogi possunt ad exequendum suasa decretaq; intellectus. Imperio herili dico: quia politicum hîc non habet locum. Herile enim imperium (Græci vocant δεσποτικὸν,) conjunctum est cum potestate coactivâ. Imperium est herile vel politicũ.



Cap. 27. De Membris corporis humani, quatenus sunt principia cognoscendi.

SIc de animâ: sequitur corpus hominis, quod est instrumentum exercendarum nobilissimarum animæ facultatum. Corpus hominis.

Corpus homini datum est à summo opifice erectum, tanquam maximè idoneum instrumentum exercendarum animæ facultatum. Dicitur organicum, quia certis organis est præditum.

Corpus hominis complectitur membra, ceu organa facultatum animæ.

Membra sunt vel principalia, vel minùs principalia.

Principalia sunt, quæ primariò subserviunt facultatibus animi.

Membra corporis principalia:

Suntq;, Caput, & Cor.

In utroque notabis & materiale, & formale.

Caput eſt membrum principale, continens inſtrumenta tùm Intelligendi, tùm Intellecta conſervandi, tùm conſervata exterius ſignificandi.

Inſtrumentum intelligendi eſt tùm materiale, tùm formale.

Materiale eſt vel continens, vel contentum.

Cerebrum.

Continens eſt cerebrum: *quod eſt ſiccum vel humidum, frigidum vel calidum.*

Spiritus animalis.

Contentum eſt ſpiritus animalis: *qui aliàs dicitur intellectualis.*

Imago objecti intelligibilis.

Formale eſt imago objecti intelligibilis, repræſentata in ſpiritu animali ſive intellectuali.

Imago iſta eſt vel prima, vel ſecunda: & utraq; vel incomplexa, vel complexa.

Imago prima eſt realis & immediata: *putà lapidis, arboris, quæ eſt incomplexa; vel ferri igniti, quæ eſt complexa.*

Imago ſecunda eſt normalis, & mediata: *putà generis, nominativi caſus, Zodiaci, quæ eſt imago incomplexa: & axiomatis, ſyllogiſmi, methodi, quæ eſt imago complexa.*

Inſtrumentum intellecta conſervandi eſt itidem materiale, & formale.

Cerebellū.

Materiale eſt cerebellum.

Cerebellum eſt poſtica cerebri pars, ſedes memoriæ.

Imago objecti memoriæ.

Formale eſt, imago objecti memorialis.

Nullus

Rectè præcipit Cicero, memoriam artificiosam absolvi imaginum inventione & applicatione.

Nullius enim rei meminisse possumus sine imagine; quam alii vocant conceptum.

Conceptus ille est vel insitus & fixus, vel adventitius & ambulatorius, ut docent artis Mnemonicæ professores. Imago Mnemonica est insita, vel adventitia.

Instrumentum significandi est itidem materiale, & formale.

Materiale est lingua; *quâ ad instar plectri homo variare potest sonos, quibus cogitata mentis efferat.* Lingua.

Formale est applicatio linguæ ad reliqua pronunciationis organa. *Sunt autem numero quinq;, hoc ordine; guttur, palatum, lingua, dentes, labia.* Organa pronunciationis quinq;. Organa in universum

Sequitur cor, alterum membrum principale; quod continet instrumenta volendi. Cor.

Sicuti caput continet instrumenta intelligendi & iis cognata: ita cor continet instrumenta volendi.

In corde est materiale, & formale.

Materiale, sunt spiritus vitales appetitivi, qui stimulant fibras cordis ad persequendum bonum. Spiritus vitales.

Cor est villosum; ita ut pati possit συςολήν τε καὶ διαςολήν, *i.e.* ut possit se contrahere & dilatare. *Si fibras suas dilatet, homo non potest non prosequi bonum, sive sit tale* ὄντως, *sive* φαινομένως. *Sin fibras contrahat, homo non potest non aversari objectum, sive sit bonum, sive malum.* Cordis συςολὴ καὶ διαςολή.

Formale est imago τȣ͂ boni, repræsentata in spiritu animali, & adaucta appetitivo.

Supersunt membra minùs principalia, eaq; tùm alentia, tùm acquirentia.

Membra alentia sunt ventriculus, & epar. *In ventriculo fit prima concoctio, quæ vocatur χύλωσις, quâ cibus convertitur in chylum, sive chymum. In epate fit secunda concoctio, quæ vocatur αἱμάτωσις, i.e. ut barbari nostri vocant,* sanguificatio. *Tertia deniq; concoctio,* ὁμοίωσις, assimilatio, *fit in singulis membris.*

Concoctio triplex.

Membra acquirentia sunt manus & pedes.

Manus homini cur datæ?

Manus quidem datæ sunt homini propterea, quòd intellectus est duplex: ad cognoscendum, & ad faciendum: unde scientia, & ars: quæ non principiis, sed fine distinguuntur. Iccircò rectè dicit Scal. ex. 256. *rationem esse manum intellectus: rationis orationē: orationis manū. Manus enim jussa facit: jussa obediunt rationi: ratio est vis intellectus. Hâc de re pulchrè, acutè, sapienter docet* Arist. l. 3. de animâ: ἡ χεὶρ ὄργανόν ἐστιν ὀργάνων, ὁ δὲ νοῦς εἶδος εἰδῶν. *Idem:* ὅτι ὁ θεὸς ἐν αὐτοῖς ἡμῖν ὄργανα δέδωκε δύο, ἐν οἷς χρησόμεθα τοῖς ἐκτὸς ὀργάνοις. σώματι μὲν χεῖρα, ψυχῷ δὲ νοῦν. *Pedes autem sunt columnæ corporis. Sustinent enim onus totius corporis, quod per lineam rectam iis incumbit.*

Pedes homini cur dati?



Cap. 28. De hominis ingenio.

EXposita sunt subjecti, id est hominis, membra: explicanda jam sunt ejusdem adjuncta.

Adjuncta homin[is] ..εκτικοῦ, quatenus sunt prin-

principia cognoscendi, ſunt numero tria, ingenium, ætas, valetudo.

Ingenium eſt aptitudo & promtitudo hominis ad expeditè apprehendendum id quod intellectui proponitur. Ingenium.

Quicquid eſt in animo & mente hominis, illud vel connatum eſt, vel acquiſitum. Naſcitur cum homine generalis & prima quædam potentia intelligendi, memoriâ tenendi, volendi, loquendi, & ridendi. Et hæ potentiæ vocantur primæ: tùm quia neceſſitate & immutabilitate naturæ ab ipsâ animæ humanæ eſſentiâ emanant: tùm quia omnibus hominibus ex æquo inſunt. Sed ſunt etiam quædam ſecundæ potentiæ & diſpoſitiones non tantùm intelligendi generaliter & quovis modo, ſed intelligendi dextrè & expeditè, quales diſpoſitiones & dona naturæ naſcuntur quidem cum hominibus, ſed non omnibus; quia non promanant proximè ex animæ eſſentiâ, ſed è peculiari corporum temperamento, quod à cœlo & à parentibus influit in prolem. Et tales naturæ aptitudines & dona vocantur potentiæ ſecundæ, quæ quidem tres ſunt principales & excellentiſſimæ in homine, Ingenium, Memoria, Iudicium. Itaq;

Potentiæ in homine sũt Primæ vel Secundæ.

Ingenium eſt vel commune, vel ſingulare.

Ingenium commune eſt, quod immediatè fluit ab ipsâ animâ; eſtq; ad utrumq; oppoſitorum indeterminatum & ex æquo flexile.

Singulare vel pendet à peculiari temperamento ſpirituum, naturalium in epate, vitalium in corde, animalium in cerebro: vel divino quodam afflatu dirigitur, id quod heroïcum dicunt.

Ingenia heroica.

Excitat enim Deus heroïca quædam ingenia, quæ præ aliis eminent. Vide Arist. 8. Top. c. 1. & sect. 1. probl. 30. *ubi bonum ingenium tribuit naturis temperatè melancholicis, &* 2. de animâ. c. 10. *dicit, indicium boni ingenii esse mollem in corpore carnem. Rectè sanè philosophus requirit naturam temperatè melancholicam, ut homo sit ingeniosus. Natura autem temperatè melancholica est, ubi bilis atra & flava inter se permiscentur.* Colleg. Conimbr. in l. 2. de gen. & cor. c. 8 q. 4. *Nam qui tali temperamento sunt præditi, ob bilem flavam seu choleram facilè apprehendunt, velociter discurrunt, motu agiles, & acres sunt: ob melancholiam verò, cùm animum ab externis evocent, & in se totum colligant, assiduè incumbunt in ea, quæ apprehendunt, diu meditantur, & de iis, quæ discurrendo invenerunt, constanter judicant. Carent enim hi, utpote sicciori naturâ præditi, recrementis, quæ spiritus conturbant, & quasi nube obtegunt, & ex atrâ bile caiente attenuatáq; generant tenuissimos lucidissimosq; spiritus, qui ad ingenii & mentis opera mirificè observiunt. Hinc illud Heracliticum, quod refert Galenus in lib. quòd mores animi &c. splendor siccus, animus sapientissimus. Quatuor autem humores quum in quolibet corpore humano sint, videndum fuerit qualis debeat esse illorum proportio. Ea nostro judicio debet esse διὰ τεσσάρων, hâc serie:*

Bona ingenia quæ sint.

Temperamentum optimum.

Phlegmatis excedentis noxa.


Quatuor humorum in corpore humano proportio optima.

1.	2.	3.	4.
Phlegma.	Sanguis.	Melancholia.	Cholera.

Alii ita disponunt:

1.	2.	3.	4.
Phlegma.	*Melancholia.*	*Sanguis.*	*Cholera.*


Vide Keckerm. præcog. philos. l. 1. c. 3.



Cap. 29. De Ætate.

AEtas hominis aptior ad habitus eſt tùm creſcens, tùm conſtans: minùs apta, decreſcens. Ætas hominis aptior ad ſtudia.

Diſtribuitur ætas in pueritiam, juventutem, virilem ætatem, & ſenectam. Hæc τετραχοτομία ſic revocatur ad τριχοτομίαν: ætas eſt creſcens, conſtans, & decreſcens. Pueritia eſt calida & humida: juventus calida & ſicca: virilis ætas temperata: ſenectus frigida & ſicca. Colleg. Conimb. in l.2. de gen. & cor. c.8. q.6. *Patet igitur, quænam ætas aptior ſit ad habitus intellectuales, creſcens ſcilicet & conſtans. Decreſcens enim ob nimiam frigiditatem non eſt ita apta.* Ætatum diviſio.



Cap. 30. De Valetudie.

VAletudo eſt proportio quatuor humorum ſeu elementorum in homine. Valetudo.

Ea eſt ſtudioſo & in genere philoſopho magis neceſſaria, quàm ignis & aqua. Absq; eâ enim ſi eſt, non poteſt præcipuis membris & facultatibus uti ad ſuas functiones. Nam ſanitas animæ in hâc vitâ fermè dependet à corporis ſanitate. Itaq;

Optandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Precibus, inquam, & temperantiâ ſive moderatâ diætâ valetudinem firmam & acquirimus & tuemur.



Cap. 30. De institutione & gradibus cognitionis.

TRadita sunt principia interna naturalia: sequitur principium cognoscendi externum, quod alii vocant habituale, quod est Assuefactio.

Assuefactio. Assuefactio est organorum exercitatio, usq; dum naturales facultates ad suos perducantur habitus.

Assuefactionis membra duo sunt, institutio, & disciplina.

Rectè dixit quicunq; dixit, Scholasticum docendi genus duabus absolvi partibus: quarum una sit exercere, coërcere altera. Illud fit institutione, hoc disciplinâ.

Institutio. Institutio est, quâ faculates superiores ad suos habitus perducuntur doctrinâ, partim docendo, partim discendo.

Institutionis considerabimus partes, & formam.

Partes sunt theoria, & praxis. *Hinc institutio alia est theoretica, alia practica.*

Theoria. Theoria est præceptorum, quæ sunt tùm principia, tùm conclusiones.

Quatuor κριτήρια artium inveniendarũ & constituendarum. Conclusiones tribus *Conclusiones è principiis eruuntur adminiculo quatuor illorum inveniendarum constituendarúmve artium criteriorum,* Sensus, Historiæ, Experientiæ, Inductionis. *Conclusiones istæ considerantur vel seorsum singulæ, vel congestæ liberè in aliquo tractatu, vel deniq; artificiosè digestæ in systemate; quod con-*

conformatur ſecundùm leges cùm axiomaticas, tùm methodicas, ut patet è traditis. modis conſiderantur.

Praxis eſt tùm Geneſis, tùm Analyſis. **Praxis.**

Geneſis eſt, quâ opus proprio marte contexi mus. **Geneſis.**

Analyſis eſt, quâ opus alienum retexi mus. **Analyſis.**

Forma inſtitutionis eſt ipſe intelligendi ordo ratione tàm docentis, quàm diſcentis.

Ordo intelligendi ſupponit ordinem ſentiendi: & uterq; varios admittit gradus, de quibus nunc ordine videndum. *Hoc enim fine ſuperiora illa ſunt disputata de facultatibus ſuperioribus & inferioribus. Quum autem variæ ſint philoſophorum de gradibus cognitionis ſententiæ, eas ſummatim commemorabo, & ex iis ſcalam intellectus exquiſitam eruere conabor. Dicam ergo de* ſententia' Cabbaliſtarum, Platonicorum, & Ariſtotelicorum.



Sententia Cabbaliſtarū de gradib. cognitionis.

Scala intellectus apud Cabbaliſtas ſic ordinatur:



Hanc Scalam Cabbaliſtæ vocant tabulam purificationis notionum, & graduum ad notionem: de quâ eruditè ſcripſerunt Reuchlinus in trib. libris Cabbalæ, Nicolaus Hemmingius de lege naturæ, Paulus princeps de la ſcala, Petrus Gregorius Tholozanus comment. prolegom. art. mirab. c. 13. & ſeqq. *Nos quia & pulcrè & verè hæc dicta ſunt, & mirum in modum commendant ſapientiam opificis, paucis enodabimus.*

Tria requiſita cognitionis.

Decem Sephiroth apud Cabbaliſtas.

In cognitione quâlibet tria requiruntur, quæ ſunt, intelligibile, intellectus, intelligens. Hoc eſt quod dicunt Cabbaliſtæ, hanc eſſe ſummam decem Sephiroth, *id eſt, omnium numerationum. Habent autem decem numerationes, quas ſic vocant* κατ᾽ ἐξοχὴν, *quia res quælibet intelligibilis ſecundùm eas numerari poteſt. Hinc dicit* Rabbi Abraham in

Jezi-

Jezirah, *quòd summa omnium numerationum sit* Sopher, Sepher, Saphur, *i.e.* numerans, numerus, numeratum. *Nam si hæc tria simul consentiant, nec amplius in uno eorum quàm in alio inveniatur, nullus error, sed certa inest scientia: sin minùs, tamdiu est ratiocinandũ, ut ait commentator arboris Sephiroth, donec intelligens, intellectus & intelligibile uniantur, hoc est, idẽ contineant.* Nam, *ut ait* Porph. l. περὶ τῶν πρὸς τὰ νοήματα ἀφορμῶν: πᾶσα γνῶσις τοῦ γνωστοῦ ὁμοίωσίς ἐστι: omnis cognitio est assimilatio ejus quod cognoscitur. *Tres enim in intellectione res sunt; duæ extremæ, intelligens & intelligibile, & unum medium, quod extrema unit, nempe intellectus. Is enim tamdiu ratiocinatur, donec animam impleat verâ apprehensione. Et sequitur aliud ex tribus hisce veluti resolutum, nempe mens. Præterea tenendum est, cognitionem hominis viâ ordinariâ advenientem, à visibilibus & comprehensibilibus* Dei *operibus incipere, & usq; ad invisibilia & incomprehensibilia scandere.* Homo *enim constitutus est in medio, ita ut participet de naturâ & visibilium & invisibilium.* Et *quidem cum invisibilibus ita participat, ut ratione seu intellectu communicet cum Angelis, mente cum* Deo, *qui est purissimus actus. Tribus igitur modis consideratur homo, vel ut animal, vel ut homo, vel ut mentalis. Sic enim loquuntur* Cabbalistæ; *qui tres stationes & regiones hujus scalæ constituunt, & in singulis regionibus tres graduum ordines collocant, ut patet è diagrammate.* Gradus sunt numero decem, *per quos homo ad cognitionem eorum, quæ cognoscit, aut sensu, aut scientiâ, aut fide, ab imo ad summum ascendere potest. Gradus hi sunt:*

Tres sunt res in intellectione.

Homo participat cum omnib. creaturis.

Gradus decem cognitionis juxta Cabbalistas.

objectum, diaphanum, sensus exterior, sensus communis, phantasia, judicium inferius, judicium superius, ratio, intellectus, mens ipsa; *à cujus lumine recepto inferiores virtutes diriguntur & gubernantur. In ascensu horum graduum* tres

Tres regiones in gradib. cognitionis.

ordinantur regiones *seu stationes*, infima, media, & suprema: *& in singulis regionibus est unus abstractionis status.*

Prima.

In primâ ergo regione sunt tres hi gradus: objectum, diaphanũ, sensus externus: atque hic primus abstractionis status est. Objectum est res, quæ existit, & πέφυκε cognosci: Diaphamum est medium per quod species defertur: Sensus externus recipit speciem, v.g. luculentißimum procul ignem exardescere video: intenditur forma ejus per illustre medium usq; ad oculum corporis. Atq; hîc primò statur.

Secunda:

In secundâ *regione sunt hi tres gradus: sensus communis, phantasia, & judicium inferius. Sensus communis accipit speciem objecti oblati, & judicat sensionem. In phantasiâ fit firmatio imaginum sensu comprehensarum. Judicium inferius est æstimativa, aliàs existimatio, quâ imagines tales esse, vel aliquid esse, persuademus. Dicitur etiam judicium brutum, cùm secundùm apparentiam simpliciter ex rerum collatione judicamus, non secus atq; bruta. Hîc secundò statur, & cessat animal, nec ultrà progreditur, & incipit id quod est hominis.*

Tertia.

In tertiâ *regione est judicium humanum, ratio, & intellectus. Judicium humanum, aliàs διάνοια, cogitatio & judicium superius est, quo percipimus ὀσίας rerum, quo percurrimus, & examinamus comprehensiones, & ex his formatas opiniones. Hoc gradu fit præparatio & transitus ad rationem.*

Ratio unde dicta?

Ratio *est, quâ causas pervestigamus,*

stigamus, ideoq; determinamus: ita ut non amplius sit opinio, ut in judicio, sed scientia. Ratio enim dicta est à reor, ratum: quòd scilicet firmet & ratam faciat sententiam. Intellectus est nonus gradus, quo complectimur omnia antecedentia à nobis cognita. Hic est intellectus adeptus, consummatus, menti unitus, quietus, & immobilis. Hîc tertia est statio, ubi cessat homo, & incipit mens quam Deus illuminat. Mens enim est omnium inferiorum domina, quia recepto lumine superiori, hominis intellectum illustrat & perficit. Talis est scala intellectus apud Cabbalistas: ubi nomina trium statuum sunt sensus, judicium, intellectus. In primo cessat corpus, & incipit anima, unde nominatur animal. In secundo cessat animal, & incipit ratio, unde nominatur homo. In tertio cessat intellectiva potentia, & incipit mens, quæ sola θύραθεν, i.e. foris advenit, ideoq; divina cognominatur. In hâc Cabbalistarum sententiâ multa invenias, quæ verè dicuntur; multa quæ cum grano salis accipienda sunt. Adjiciamus nunc Platonicorum sententiam, quæ illustrat maximè hanc doctrinam, & hauddubiè bonis ingeniis, amantibus naturæ vim, grata futura est, & deniq; nos deducit rectà in opificis admirationem.

Pulchra stationum in scalâ intellectus coordinatio.

Sententia Platonicorum, de gradibus cognitionis.

Sententia Platonicorũ de gradib. cognitionis.

Faciunt itaq; Plato & Platonici, in quibus nominatim sũt Proclus, Plotinus & Marsilius Ficinus, *quatuor cognitionis facultates, quas homines sani perpetuò secum circumferunt. Harum prima & infima est αἴσθησις: huic proxima est δόξα; hanc excedit διάνοια: suprema omnium est νόησις seu νοῦς. Hunc Plotinus regis, αἴσθησιν servi vices obire dicit.*

Quatuor cognitionis facultates:
Αἴσθησις
Δόξα
Διάνοια
Νοῦς.

Duæ συζυγίαι facultatum.

Plato in Timæo harum facultatum duas facit συζυγίας. *In priori copulat* νόησιν καὶ λόγον, *seu* διάνοιαν: *&* τῇ νοήσει *principem tribuit locũ, cui adjungit* λόγον ὥσπερ ἐλάττονά τινα νοῦν, *ut Proclus loquitur. In posteriori collocat* τὴν δόξαν καὶ τὴν αἴσθησιν. *Hîc* δόξα *primas tenet, tanquã rationalis sensus, cui subservit* αἴσθησις, *planè* ἄλογος *illa. In priori syzygiâ ratio cum mente cernit* τὰ νοητά, *at ratio sola & per se medios contemplatur terminos. In posteriori syzygiâ* δόξα *cum sensu videt* τὰ γεννητά: δόξα *per se considerat quæ sunt in* αἰσθήσει *species omnes;* αἴσθησις *per se percipit* τὰ αἰσθητά, sensilia; *quæ dicuntur* πάθη, *propterea quòd* τὰ αἰσθητήρια *afficiant. Dicunt igitur:* νοῦς ὁλικῶς, λόγος καθολικῶς, φαντασία ἢ δόξα μορφωτικῶς, αἴσθησις παθητικῶς, θεὸς ἡνωμένως γινώσκει. *Videamus singula sigillatim*

Αἴσθησις.

I. Sensus sensorio suo τὰ πάθη *rerum recipit. Id fit e.g. hoc modo. Prolato pomo, visu percipis colorem, quòd sit flavum aut rubrum: idq; ex eâ affectione (id enim* πάθος *significat) quæ in* αἰσθητήριον *visus, quod est oculus, incurrit. Olfactu percipis, quòd benè vel malè redoleat, idq; similiter ex eâ affectionè, quæ in nares incurit: gustu præterea dulcedinem: tactu planitiem & gibbositatem percipis, affectionibus seu speciebus sensilibus intentionalibus iterum afficientibus sensoria. Quæ jam ad istum modum singulis percepta sunt sensibus, dicuntur* αἰσθητά; *quæ sunt objectorum accidentia quædam. Ea ipsa respectu sensoriorum, quæ illis afficiuntur,* πάθη *dicuntur. Sed quænam est ea facultas, quæ pronunciat id, quod in medium est allatum, esse pomum? An oculus? Nequaquam. Hic enim duntaxat*

Πάθος. Αἰσθητήριον.

Αἰσθητόν.

taxat colorem percipit. An auditus? an gustus? an olfactus? Nullus sanè horum sensuum externorum. Nam quilibet in suo occupatur objecto, sive illud sit proprium, sive commune. Numquid ergo omnes illi sensus simul? Minimè verò. Neq; enim illi pertingunt ad rerum substantias & quidditates: sed tantùm hærent in communibus quibusdam accidentibus. An fortè sensus communis? Neq; hic. Sensus enim communis tantùm actiones particulares sensuum discernit. Ex his efficitur, quòd sensus nec οὐσίαν, *nec* αἰτίαν, *h.e. nec* τὸ ὅτι, *neq;* τὸ διότι, *rerum percipiat. Habemus itaq;, quousq; progredi possit sensus in rerum cognitione, & ubi subsistat suo perfunctus munere.*

II. Δόξα, opinio, *seu potius* τὸ δοξαστικὸν, facultas æstimandi res, *rationibus sumtis ex iis quæ in sensus incurrunt,* τὰς τῶν αἰσθητῶν οὐσίας, *sive* τὸ ὅτι *percipit. Hæc ergo demum pronunciat quòd objectum sit tale; verbi gratiâ, quòd pomum non sit lapis. Sicut autem id quod sensu percipitur, dicitur* αἰσθητὸν: *ita quod* τῷ δοξαστικῷ *percipitur, dicitur Platoni* τὸ δοξαστόν. *Atq; ita* πᾶν γεννητὸν *& sensu & opinione est perceptibile. Ille* τὰ πάθη, *hæc* οὐσίας *percipit. Neq; hæc facultas ulterius adscendit. Nam ad causas rerum nullo modo pertingit.* Δόξα. Τὸ ὅτι. Δοξαστόν.

III. Διάνοια *itaque sequitur, quæ altiùs adscendit. Ea enim &* οὐσίας *& causas rerum scrutatur; non solùm* τὸ ὅτι, *sed etiam, & quidem maximè* τὸ διότι *considerat, adeoque* τὰς τῶν ὄντων ἐννοίας *percipit: unde posteà admirabilem hypotheseων copiam extruit. Rectè igitur docent Platonici,* Διάνοια. Τὸ διότι.

Λόγος μεταβατικός. λόγον conjunctum τῷ νῷ μεταβατικῶς res rerumq́; naturas rimari: vocant etiam λόγον μεταβατικόν. Nam λόγος sursum spectat, deorsum despicit, ad

Lineę ratiocinationi necessariæ. latera respicit, adeoq́; percurrit lineas, ut ita loquar, adscendentes, descendentes, & collaterales, i. e. prædicamenta examinat per prædicabilia. Hâc ratione mirabilem rationum vim colligit, ut veritatem deprehendat. Rectè igitur Plato sic definit: Διάνοιά ἐστι διάλογος ψυχῆς πρὸς ἑαυτὴν ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος.

Νόησις. IV. Νόησις, suprema in homine cognitionis est effectrix, quæ ἀμεταβάτως rerum notiones apud se tenet, sed ὁλικῶς. Nam quia νοῦς τὸ ἑαυτοῦ νοητὸν habet, propterea dicitur totum complecti, id quod dicunt ὁλικῶς res & rerum ἐννοίας percipere.

Λόγος. His facultatibus accedit oratio, Græcè λόγος, qui rationis quasi rivulus quidam est. Eam Platonici sic definiunt: λόγος ἐστὶ τὸ τῆς διανοίας ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου ἢ φωνῆς. Iidem vo-

Oratio tribus spectatur. cant τοῦ νοήματος ἄγγελον. Oratio autem tribus modis spectatur, ut docet Daniel Barbarus hinc inde in suis scriptis. Principiò enim circa voces spectare debemus nomina, quæ sunt symbola & νοημάτων & rerum subjectarum. Illorum principaliter, harum minùs principaliter. Deinde spectantur in vocibus τὰ νοήματα, quæ sunt rerum subjectarum similitudines & effigies, quas Græci eleganter vocant ὁμοιώματα καὶ ἐκτυπώματα, ex quo fit, quòd apud omnes τὰ νοήματα sint eadem. Eadem est enim omnibus à subjectis rebus impressa figuratio,

Linguę numero LXXII. at nomina rerum non eadem; quia dialecti in aliis nationibus aliæ sunt. Sunt nempe LXXII. ut fert communis

munis doctorum calculus. Tertiò spectantur in vocibus τὰ ὑποκείμενα πράγματα, *i.e.* res subjectæ, *ex quibus in nobis* τὰ νοήματα *informantur, idq́ per abstractionem & comparationem. Huc ergo Grammaticorum & Dialecticorum studia & contemplationes referre oportet.*

Atq; ita docent Platonici, quinam & quales sint opifices cognitionis. Videamus sententiam Peripateticorum.

Sententia Peripateticorum, de gradibus cognitionis.

Sententia Peripateticorum, de gradibus cognitionis.

Duo sunt actionum humanarum principia, cognitio & appetitus. *Illa rem percipit, qualis sit; hic eandem cognitam aut sectatur, aut fugit.*

Cognitio est duplex, sensitiva & intellectiva: Sic & appetitus est duplex.

Cognitio sensitiva fit hoc modo:

Cognitionis sensitivę gradus.

I. Objectum movet sensum: ut pulcritudo visum: dulce, gustum: sonorum, auditum.

II. Communis sensus, cujus sedes est in anticâ cerebri parte, ea, quæ exterioribus sensibus offeruntur, excipit, & judicat excipiendo.

III. Phantasia simulacra rerum sensibilium format, & fingit. Ea occupat mediam cerebri partem.

IV. Si temporis intervallum interponitur, memoria retinet phantasmata, quæ resident in posticâ cerebri parte.

Appetitus sensitivus.

Appetitus sensitivus sequitur cognitionem sensitivam quatuor illis gradibus constantem. Dicitur etiam appetitus animalis, qui vel objecta sensuum con-

sectatur, vel fugit & aspernatur. Hic nisi coherceatur rectâ ratione, sæpissimè in peccatum ruit pleno impetu. Objecta sensuum, circa quæ versatur hic appetitus, sunt vel jucunda, vel aspera. Jucunda dicuntur uno nomine voluptates corporales. Sunt enim etiam voluptates animi.

Corporaliũ voluptatũ tres differentię.

Corporalium voluptatum tres sunt differentiæ.

I. Naturales & necessariæ.

1. Aliæ sunt naturales & necessariæ: *ut cibi, potus, & vestimentorum.* Naturales sunt, *quia naturâ expetuntur.* Necessariæ sunt, *quia sine eis naturæ incolumitas conservari nequit.*

II. Naturales, & non necessariæ.

2. Aliæ sunt naturales & non necessariæ, *scil. ad sustentationẽ corporis: ut rerum venerearum. Tametsi enim hæ pertinent ad conservationem generis humani, atq; ideò naturales existunt: tamen non sunt necessariæ, quia homo potest vivere sine earum exercitio. Nam homini existunt nocivæ, nisi ratione & lege gubernentur.*

III. Nec naturales, neq; necessarię.

3. Aliæ sunt nec naturales, nec necessariæ; *ut ebrietatis, libidinis, & repletionum necessitatem excedentium. Hæ sunt non naturales, quia naturam corrumpunt: & non necessariæ, quia eis carere possumus. Hæ adeò à lege naturali abhorrent, ut etiam bestiæ eas declinent & aversentur. Has igitur qui sequuntur, seipsos infra bestias miserrimè dejiciunt. Si placet, ita divide voluptates corporales. Aliæ sunt naturales & necessariæ, aliæ nec naturales, nec necessariæ. Et rursum illæ sunt necessariæ cùm ad conservationem individui, ut cibi & potus & vestimentorum: aliæ ad conservationem speciei seu generis: ut concubitus maris cum fœminâ.*

Talia sunt objecta jucunda, quæ vel expetere,

vel

vel non expetere licet objecta aspera & sensibus molesta, etiam non sunt unius generis. Nam Objecta aspera.

1. Quædam naturæ inimica sunt, & properantes ad scientiam & virtutem impediunt: *ut, morbus, carcer, exilium, paupertas, & hujusmodi alia. Hæc si vitari nequeant, conandum est, ut in iis vel scintillula aliqua virtutis luceat.*

2. Quædam sunt primo intuitu amara, sed progressu dulcescunt. *Talia sunt, sine quibus ad eruditionis & virtutis, adeoq; honoris arcem, h.e. ad veri cognitionem & boni actionem nemini patet aditus, ut sunt studia, labores, diligentia. Hæc tametsi aspera sunt: tamen non sunt fugienda.*

Hæc de cognitione sensitivâ & appetitu illi ex adverso respondente: jam de cognitione intellectivâ & appetitu rationis, *qui illam comitatur, pauca adjicere fert animus è fontibus doctrinæ Peripateticæ. Sunt enim hæc duo principia cognitionis & actionis: quorum alterum intellectus dicitur, & est principium dirigens: alterum voluntas vocatur, & est principium imperans. Ille ad judicium rerum, hæc ad finem bonorum pertinet: quæ duo maxima sunt, ut ait* Cicero, *in philosophiâ bona.*

Cognitionis intellectivæ tres sunt gradus. *Aliàs vocantur operationes intellectus.* Cognitionis intellectivæ tres gradus.

I. Primus gradus est apprehensio notionum simplicium; *quas ut intellectus patibilis recipit, ita agens tractat & apprehendit: ac primùm quidem singulares, mox universales inde formas elicit.*

II. Secundo loco compositio notionum accedit & divisio: *in qua est veritas & falsitas.*

Componere hîc est affirmare, dividere est negare. Componenda autem ſunt conſentanea, diſſentanea dividenda. Secus ſi fiat, naſcuntur errores intellectuales infiniti & fœdi.

Discurſus duplex. Argumentationis duplex via: Inductio & Syllogiſmus

III. Tertio loco accedit ratiocinatio ſeu discurſus, *qui est vel* illativus *in Inductione & Syllogiſmo, vel* ordinativus *in methodo. Ibi argumentatio, hîc coordinatio locum habet. Est autem argumentationis duplex via,* Inductio & Syllogiſmus. Inductio *est, quæ ex pluribus hypotheſibus colligit theſin.* Hypotheſis *hîc nobis est propoſitio particularis,* theſis *contrà, propoſitio univerſalis: e.g. Juſtitia est expetenda, ſimiliter prudentia, fortitudo, temperantia. Igitur omnis virtus est expetenda.* Syllogiſmus *est, qui ex univerſali pronunciato plures extruit hypotheſes. v.g. Si omnis virtus est expetenda, certè amicitia, gratitudo, & reliquæ virtutes ſunt expetendæ.*

Quinq; opifices cognitionis.

Ex his patet, quinque eſſe cognitionis opifices, ut Ammonius *poſt Ariſtotelem ſcripſit. Sunt autem hi: νȣ̃ς, mens; διάνοια, discurſus; δόξα, opinio; φαντασία, imaginatio; αἴσθησις, ſenſus. Hi quinq; opifices & rerum inventioni, & perceptioni ſerviunt.*

Duplex progreſsio cognitionis intellectivæ.

Duplex autem eſt cognitionis intellectivæ progreſſio: à ſenſu, infimo cognitionis opifice, una: altera à mente, ſupremo cognitionis opifice. *Cùm à ſenſu fit progreſſio ſurſum, colligitur univerſalis propoſitio: idq; διανοίας beneficio per inductionem: ut, animadverſum est, ſingularum rerum peculiares quaſdam actiones eſſe, quæ diverſæ naturæ rebus minimè conveniunt; ut, hunc hominem eſſe capacem diſciplinæ. Hoc ipſum poſteà quæſitum est*

ſigil-

sigillatim in multis, & quia non occurrit unquam in sanis hominibus contrarium exemplum, hoc axioma seu theorema conclusit διάνοια: *Omnis homo est capax disciplinæ. Hæc progressio incipit à sensu, & per inductionem colligit universale pronuntiatum, quod memoria intellectiva asservat, & promit intellectui, si quando illo opus est. Hâc viâ usi sunt primi philosophi in omnibus artibus. Nam ea quæ nos per disciplinam accepimus, illi inventione propriâ percepe-runt. Duæ enim sunt viæ, quibus in rerum cognitionem perducimur,* μάθησις καὶ εὕρεσις. *Cùm autem à mente, supremo cognitionis opifice, fit progressio, colliguntur hypotheses, de quibus quæritur, per Syllogismum: unde nunc scientia, nunc opinio existit. Scientia quidem, ubi* λήμματα, *propositio & assumtio, sunt necessaria: Opinio verò, quando sunt tantùm probabilia. Si igitur illud axioma;* Omnis homo est capax disciplinæ, *tanquam firmum principium arripis, & ita colligis: Omnis homo est capax disciplinæ. Igitur Galli, Germani, Hispani &c capaces sunt disciplinæ: progressio est à mente, & concludit quæ sensibus sunt propiora. Atque ita apparet, duplicem esse cognitionis intellectivæ progressionem: quarum una à sensibus incipit, & desinit in mentem; altera contrà à mente sumit exordium, & finit vel in sensibus, vel in iis, quæ sunt sensibus proximiora. Illa fit ascendendo, hæc descendendo.*

Duæ viæ, quibus pervenitur ad rerum cognitionem.

Scientiæ & opinionis discrimen.

Hactenus de cognitione intellectivâ; jam de appetitu, qui cognitionem intellectivã comitatur, nonnihil adjiciam. *Hic dicitur appetitus rationis, item voluntas. Nam non sine deliberatione, ut appetitus animalis, impellitur ad agendum,*

Appetitus rationalis.

sed deliberatione eligit hoc vel illud. Habet proinde voluntas eligendi vim, & consilii facultatem, quæ facultas Græcis προαίρεσις *dicitur, ideò, quia pluribus propositis, rationis judicio adhibito, alia præ aliis eligit: quam electionem sequitur conatus, ut re electâ uti possimus. Duplex igitur est voluntatis actio, electio & executio, seu potentia agendi spiritalis. Nam potentia agendi corporalis pertinet ad appetitum animalem. Cæterùm gradus, per quos venitur ad rei expetitæ usum & fructum, ex mente Peripateticorum sunt septem.*

Voluntatis actio duplex.

Gradus, per quos venitur ad rei expetitæ usũ.

I. Primo loco est βούλησις, voluntas finis *seu ejus rei, quam volumus.*

II. Ζήτησις καὶ σκέψις, inquisitio & consideratio.

III. Βουλή, consilium, *quo deliberamus, an rem aggredi juvet, nec ne.*

IV. Γνώμη, sententia, *quâ id quod affectamus & probamus, judicio nostro approbamus.*

V. Huic quinto loco adjungitur προαίρεσις, delectus.

VI. Hanc sexto loco ὁρμή, prosequutio, *quâ ad agendum movemur, sequitur.*

VII. Postremo loco est χρῆσις, usus, *in quo acquiescimus.*

Hæc sint dicta de gradibus cognitionis ex præscripto Aristotelicorum. Superest, ut scalam intellectus exquisitam afferam, quam collegi è superioribus modò commemoratis sententiis, quamque mihi quotidiana experientia quasi dictavit.


Sententia authoris, de gradibus cognitionis.

Apponam diagramma, ejusque ἔκθεσιν.

Dia-

Diagramma Scalæ intellectus.

Scala intellectus.



Ἔκθεσις διαγράμματος.

I. In cognitione omnium primò occurrit objectum, *barbarè τὸ cognoscibile: quod est vel spiritale, vel corporeum.*

II. Sensus externi *operantur circa illud objectum. Objecta enim, ut vulgò dicitur, movent sensus.*

III. Sensus interni *sequuntur protinus. Et primò quidem sensus communis judicat sensionem externam, v. g. visionem. Neque enim oculus scit se videre. Sensus communis hoc est officium. Sensus communis operatione cessante incipit operari phantasia, quæ efformat* φάντασμα καὶ εἴδωλον. *Nam non asinus ipse se insinuat in phantasiam, sed ibi est species asini.* Tertiò *memoria*

sensitiva, seu organica, accipit phantasma, recondit, & promit in casu, ut vocant, necessitatis. Hic autem *spiritus animalis est vehiculum imaginum, quo ab uno sensu ad alium species transvehuntur, ut ab aure vel oculo ad sensum communem, à sensu communi ad phantasiam, è phantasiâ ad memoriam.* Rectè i-*gitur docent physici, imagines propagari de spiritum spiritum.*

Imagines propagantur de spiritu in spiritum.

IV. Intellectus *incipit operari. Intellectus autem non potest recipere corpoream imaginem, quum sit spiritalis. Quapropter phantasmata ceu species sensiles oportet defæcari à corporeitate, antequam in intellectum recipiantur. Non potest autem phantasma, imago illa corporea, in phantasiâ hærens, seipsam defæcare, quum effectum non possit esse nobilius causâ suâ. Itaq; oportet illud ab alio defæcari.* Hanc ob *causam intellectus distinguitur in agentem & patientem. Agens facit intelligi & intelligere.* Patiens *intelligit, id est, recipit intelligibile. Agens ille è specie sensibili facit intelligibilem. Occupatur enim circa phantasma, & illud exuit corporeitate, & excitat ad fulgorem lucis spiritalis, non secus atq; lux externa colores illustrat, eosq; actu visibiles facit, qui anteà potentiâ tantùm visibiles erant. Hæc defæcatio, vel si mavis, purificatio, philosophis dicitur abstractio.*

Abstractio triplex: I. Physica

Abstractio illa est triplex, prout tres sunt classes entium speculabilium, ut vocant barbari. Nam quædam entia sunt motui & materiæ conjuncta, & secundùm esse, & secundùm intellectum. Hinc abstractio physica, *quæ fit à re singulari. Alia entia sunt motui & materiæ conjuncta secundùm esse, separata autem secundùm intellectum. Hinc est* abstractio

Mathe-

Mathematica, *quæ fit secundùm rationem, sed non secundùm rem: ut triangulum consideratur non physicè, quatenus est ligneum, aureum: sed abstractè. Abstrahi autem non potest secundùm rem, sed solummodò secundùm rationem. Deniq; sunt alia entia separata secundùm esse & intellectum à motu & materiâ sensibili. Atq; hinc est abstractio* Metaphysica, *quæ fit secundùm rationem & rem. Sic unitas à Metaphysico consideratur abstracta, & secundùm rationem, & secundùm rem.* Joan. Jandun. in procem. in lib. de anim. *Cæterùm illud ipsum phantasma corporeâ crassitudine exutum* intellectus agens *devehit ad patientem, in quo gignitur actus sciendi, dum* intellectus patiens *imaginem receptam judicat. Hinc res, quatenus intelligibilis, dicitur objectum intellectus agentis; quatenus intellecta, intellectus patientis. Quum autem intellectus agens se conjungit cum patiente, dicitur* intellectus adeptus.

II. Mathematica.

III. Metapysica.

V. Voluntas *operatur circa id quod concepit intellectus. Ejus objectum est* βυλητὸν, *seu* ἐφετὸν: *estq; tantùm bonum, sive sit tale* καθ' ἀλήθειαν, *sive* κατὰ δόξαν. *Sic quando aliquis furatur, non vult malum formaliter, sed malum concipit sub ratione boni. Voluntatis actus duplex, præeligere, & eligere, id est, velle propter se, & velle propter aliud.*

Voluntatis actus duplex.


Præeligit & per se vult finem, eligit media ad finem, & propter finem.

VI. Memoria intellectiva, *& recondit ea, quæ intellectu atq; voluntate sunt comprehensa, & sicubi opus sit, eadem promit. Exemplum cupis? Habesis hoc*: Veritatis de Christo confessio. *Ad*

hanc sic proceditur. Externo sensu, auditu scilicet, percipitur quod dicitur. Internis sensibus cognoscitur quod externis est perceptum. Intellectus apprehendit hoc, & judicat, an sit verum vel falsum, bonum vel malum. Ubi certi aliquid decrevit, voluntati proponit, ut ad verum & bonum se moveat, à falso & malo amoveat. Hinc voluntas amans Deum, & propter eum, aliud verum & bonum, ac proinde odio habens falsum & malum, jubet intellectum consultare de mediis, quibus veritas obtineri, propugnari, falsitas everti, expugnari possit. Id facit intellectus: cui si multa offerantur media, eorum habet delectum, & quidem ea seligit, quæ ad finem magis idonea sunt; atq; concludit, hoc vel illud præ cæteris esse eligendũ: quam conclusionem voluntati proponit. Voluntas sequens judicium intellectus, media probata præ aliis eligit, & exequitur. Hîc quidam potentiam agendi spiritalem diversam comminiscuntur à voluntate. Sed non considerant inepti philosophastri quid scribant majorum gentium philosophi; voluntatis scilicet esse, & eligere, & exequi. Voluntas enim est illa ipsa facultas, quæ spiritus cordis congregat & condensat, atq; ita trahit nervos & musculos, ut moveant linguam, manum, pedes, totum deniq; corpus ad studium veritatis cœlestis. Hinc, re bene factâ, enascitur gaudiũ; si aũt contrà aliquis recalcitret, oritur tristitia; quam Deus in quibusdam mutat, in quibusdam (iis putà qui pœnitentiam non agunt) finit. His omnibus & singulis ita, ut dictum est, peractis, subsequa est memoria intellectiva, quâ verbum Dei cognitum retinemus, & subinde quasi postliminii jure à reminiscentiâ repetimus atq; exigimus.

Potentia agendi non est distinguenda contra voluntatem.

Cap. 32.



Cap. 32. *De libro naturæ duplici.*

TRaditum eſt ſubjectum, quod in Scholâ naturæ eſt principium cognoſcendi QUOD: tradendum nunc eſt objectum, ipſum circa quod.

Objectum circa quod homo verſatur in Scholâ naturæ, eſt liber naturæ.

Liber naturæ eſt mundus. **Liber naturæ**

Mundus eſt vel magnus, vel parvus.

Mundus magnus eſt compages è cœlo terrâq; coagmentata, atq; ex iis naturis, quæ inter ea continentur: *ut definit philoſophus* in l. de Mundo. **Magnus**

Mundus parvus eſt homo: *qui à Græcis vocatur ὁ μικρόκοσμος, à Latinis breviarium mundi.* **& Parvus.**


Uterq; mundus dicitur principium cognoſcendi, objectivum ſcilicet. Cœli enim enarrant gloriam Dei, ut eſt pſ. 19. *adeoq; docent, objectivè ſcilicet. Sic igitur dicamus: Principiū cognoſcendi eſt vel* ſubjectivū, *quod recipit*; vel objectivum, *quod excitat; vel* effectivum, *quod facit ut ſubjectum poſsit recipere objectum. Atq; hoc eſt quod inculcamus, Scholam naturæ continere ſubjectum, objectum, & media. Et quidem homo cognoſcit mundum magnum directè, ſeipſum circulariter. Eſt enim cognitio duplex, directa & circularis ſeu reflexa. De utroq; iſto mundo agitur in ſingulis diſciplinis. Res conſiderata eſt eadem, modus conſiderandi eſt alius atq; alius. Metaphyſicus tractat de mundo magno & parvo ſub ratione entis: phyſicus de utriusq; principiis & communibus* **Mundus eſt principium cognoſcendi objectivum. Principium cognoſcendi triplex. Cognitio duplex, directa, & circularis.**

affectionibus naturalibus: Ethicus de homine, ut debet vivere secundùm virtutem, adeoq; esse verus incola mundi magni: Arithmeticus de homine, ut est numerandi facultate instruendus, de mundo magno, ut est numerabilis. Similiter reliquæ disciplinæ tractant de macrocosmo & microcosmo. Macrocosmum, id est, amphitheatrum hoc mundi amplissimũ, rectè D. Basilius *vocat* παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας, καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον. *Et alius dicit*: Reverâ nihil est aliud hic mundus, quàm Dei O. M. augustissima Schola, in quâ homo discipulus, cœlum Codex, terra Digesta, microcosmus Institutiones, singulæ partes singuli libri, partium partes singula capita, θεωρήματά τε καὶ παραδείγματα. *Uterq; ille liber in omnium protoplasti filiorum oculis & manibus est positus, quo illi per theorica & practica* ὑπομνήματα *ad sapientiam & justitiam hujus vitæ, indeq; ad benè beateq; inter mortales vivendum, instruantur.*

Elegans libri naturæ descriptio.

Homo autem hîc consideratur dupliciter: quatenus nempe in se, & secundùm se, deinde relatè ad alios spectatur. Utroq; enim modo est liber naturæ. Sic v.g. Aristoteles sibi ipse fuit liber naturæ, dum se cognovit, itemq; aliis, ut nobis hodie, qui illius ingenium admiramur, quod ipsi tribuerat Deus Optimus Maximus laudandus in secula.

Homo & sibi, & aliis est liber naturæ.



Cap. 33. De tribus principiis coëssentialibus.

SUper est in Scholâ Naturæ, Medium, per quod Subjectum, homo scil. cognoscit Objectum.

Media

Media in Scholâ naturæ ſunt notitiæ.

Notitiæ illæ ſunt veluti literæ, inſculptæ libro naturæ: de quibus deinceps agendum fuerit.

Notitiæ ſunt regulæ de rebus, quatenus ſunt cognitæ.

Notitiæ illæ conſiderantur vel in mente, vel extra mentem. Sunt enim illæ vel primariò in rebus, & ſecundariò in intellectu; vel primariò in intellectu, & ſecundariò in rebus. Nam aut intellectus conformatur ad res, in naturalibus; aut res conformantur ad intellectum, in artificialibus. Dum autem dicimus, notitias ineſſe rebus cognoſcibilibus, intelligimus illas potentiâ ineſſe. Actu enim ſunt ab & in intellectu: qui facit ex intelligibili τὸ intellectum, ex cognoſcibili τὸ cognitum. Sic v.g. cœlum refertur ad hominem, ut cognoſcibile ad cognoſcitivum. Dicimus ergo ex ore philoſophorum, notitias eſſe & in cœlo, & in homine: quod qui non capit, næ ille eſt vel pernimis ſubtilis, vel valde ſtupidus. Nihil debet eſſe in intellectu, quod non ſit in re. Ergo ſi notitia, ſive ſit principium, ſive concluſio, eſt in intellectu, utiq; præextitit antea in re, ſi modò conceptus eſt verus. Verus, inquam, vel univocè, vel analogicè. Æquivocus enim eſt, cui nihil reſpondet in re. Ita quia notitia purgatorii non eſt extra intellectum, etiam non poteſt eſſe in intellectu; qui ſe convertit in res cognoſcendas. Intellectio enim v.g. canis, eſt converſio intellectus in canem. Tam divina ſcilicet res eſt intellectus. Hoc eſt quod dicit Scaliger exer. 6. ſ. 2. Tria ſunt quæ ſunt omnia. Unum ſimpliciter & à ſeipſo, qui eſt Deus. Reliqua duo, aliquomodo: & ab hoc, non à ſeipſis. Materia namq; prima, eſt

Notitiæ ſunt in rebus & intellectu.

Conceptus eſt triplex: Univocus: Analogicus: Æquivocus

Tria ſunt, quæ ſunt omnia.

omnia, poteſtate receptionis. Cœli ſunt omnia, poteſtate efficiendi. Nam quod addere poſſis de intellectu, qui uſitato vocabulo poſſibilis dicitur, is longè alio modo fit omnia. *Sic Scaliger. Exemplum vis, quomodo notitia ſit in re & in intellectu? Habe hoc. Veritas in Metaphyſicâ eſt notitia. Illa notitia eſt in re, & in intellectu. In re eſt; quia eſt principium, quia eſt modus, qui fundatur in re. In intellectu qui ſit, ſat clarum eſt.*

Notitiæ ſunt vel primæ, vel ſecundæ. Illæ dicuntur principia, hæ concluſiones.

Quidquid enim in diſciplinis occurrit, aut principium, aut concluſio eſt.

Principium eſt notitia prima, quæ per ſe nota eſt, nec probationis per ſe eget, ita ut eo cognitio aliorum probatione egentium regatur. Ariſtoteles l.5. Metaph. c. 1. *ſic definit: Principium eſt illud, per quod primò rem cum mentis diſcurſu intelligimus, & in quod omnis mentis diſcurſus ultimò reſolvitur.* Javellus epitom. in l.5. Metap. tractat. 1. c. 1. *ſic definit: Principium eſt in ordine* (cognitionis) *primum, ante quod nihil tale eſt, & ad quod omnia* (concluſiones) *principiata ſequuntur. Principium hoc loco ſtrictiſſimè ſumitur, quatenus eſt vel cognitionis, vel actionis, vel effectionis regula, norma atq; menſura: eaq; menſurans, nullo autem modo menſurata.*

Principium ita definitum conſideratur quoad communes affectiones & ſpecies.

Cõmunes affectiones ſunt propria illa, quæ principiis competunt omnibus, at non ſolis.

Competunt enim etiam in concluſiones, ſed ſecundariò, & non niſi propter principia. Com-

Communes principiorum affectiones dispescuntur in sex classes. Nam omne principium in Scholâ naturæ est

Communes principiorum affectiones.

I. Ivum, vel ile, vel are: *ut barbari eleganter loquuntur.*

II. Protonoëmaticum, vel deuteronoëmaticum.

III. Incomplexum, vel complexum.

IV. Immediatum, vel mediatum.

V. Theoreticum, practicum, vel poëticum.

VI. Innatum, vel acquisitum.

Videamus singula ordine, quantum satis ad nostrum institutum.

Principia coëssentialia sunt numero tria: *Ivum, ile, are.* Lullius *hinc inde in suis tractatibus:* Jordan. Brunus de spec. scrutin. c. 4. Petrus Titus in lib. naturæ pag. 14. *Vocantur principia coëssentialia, quia ipsissimam rei cujusq; essentiam constituunt. Omne enim ens flectitur per ivum, ile, are.* τὸ Ivum *denotat potentiam activam: ita v.g. Deus ab æterno fuit creativus, non autem creator actu.* τὸ ILE *denotat potentiam passivam: ut homo ab æterno fuit creabilis.* τὸ ARE *denotat ipsum actum: ut creare est actio, quâ creativum fit creans, & creabile creatum, ut eleganter loquitur Schola.* Nam omnia *verbalia in* IO *denotant actionē & passionem simul. Hinc creatio est activa, vel passiva; Justificatio activa, vel passiva. Una nempe eademque actio ita dividitur respectu termini à quo, & ad quem. Omnia itaq; entia constant tribus illis principiis coëssentialibus; excepto primo principio. Ita* τὸ *bonum est vel bonificativū, vel bonificabile, vel bonificans: homo est vel*

Principia coëssentialia sunt numero tria.

Quid notent desinentia in IVUM ILE ARE & IO.

omnia, poteſtate receptionis. Cœli ſunt omnia, poteſtate efficiendi. Nam quod addere poſſis de intellectu, qui uſitato vocabulo poſſibilis dicitur, is longè alio modo fit omnia. *Sic Scaliger. Exemplum vis, quomodo notitia ſit in re & in intellectu? Habe hoc. Veritas in Metaphyſicâ eſt notitia. Illa notitia eſt in re, & in intellectu. In re eſt; quia eſt principium, quia eſt modus, qui fundatur in re. In intellectu qui ſit, ſat clarum eſt.*

Notitiæ ſunt vel primæ, vel ſecundæ. Illæ dicuntur principia, hæ concluſiones.

Quidquid enim in diſciplinis occurrit, aut principium, aut concluſio eſt.

Principium eſt notitia prima, quæ per ſe nota eſt, nec probationis per ſe eget, ita ut eo cognitio aliorum probatione egentium regatur. Ariſtoteles l. 5. Metaph. c. 1. *ſic definit: Principium eſt illud, per quod primò rem cum mentis diſcurſu intelligimus, & in quod omnis mentis diſcurſus ultimò reſolvitur.* Javellus epitom. in l. 5. Metap. tractat. 1. c. 1. *ſic definit: Principium eſt in ordine* (cognitionis) *primum, ante quod nihil tale eſt, & ad quod omnia* (concluſiones) *principiata ſequuntur. Principium hoc loco ſtrictiſsimè ſumitur, quatenus eſt vel cognitionis, vel actionis, vel effectionis regula, norma atq; menſura: eaq; menſurans, nullo autem modo menſurata.*

Principium ita definitum conſideratur quoad communes affectiones & ſpecies.

Cõmunes affectiones ſunt propria illa, quæ principiis competunt omnibus, at non ſolis.

Competunt enim etiam in concluſiones, ſed ſecundariò, & non niſi propter principia. Com-

Communes principiorum affectiones dispescuntur in sex classes. Nam omne principium in Scholâ naturæ est
Communes principiorum affectiones.

I. Ivum, vel ile, vel are: ***ut barbari eleganter loquuntur.***

II. Protonoëmaticum, vel deuteronoëmaticum.

III. Incomplexum, vel complexum.

IV. Immediatum, vel mediatum.

V. Theoreticum, practicum, vel poëticum.

VI. Innatum, vel acquisitum.

Videamus singula ordine, quantum satis ad nostrum institutum.

Principia coëssentialia sunt numero tria: *Ivum, ile, are.* Lullius *hinc inde in suis tractatibus:* Jordan. Brunus de spec. scrutin. c. 4. Petrus Titus in lib. naturæ pag. 14. *Vocantur principia coëssentialia, quia ipsissimam rei cujusq; essentiam constituunt. Omne enim ens flectitur per ivum, ile, are.* τὸ Ivum *denotat potentiam activam: ita v. g. Deus ab æterno fuit creativus, non autem creator actu.* τὸ ILE *denotat potentiam passivam: ut homo ab æterno fuit creabilis.* τὸ ARE *denotat ipsum actum: ut creare est actio, quâ creativum fit creans, & creabile creatum, ut eleganter loquitur Schola.* Nam omnia *verbalia in* IO *denotant actionē & passionem simul. Hinc creatio est activa, vel passiva; Justificatio activa, vel passiva. Una nempe eademque actio ita dividitur respectu termini à quo, & ad quem. Omnia itaq; entia constant tribus illis principiis coëssentialibus; excepto primo principio. Ita τὸ bonum est vel bonificativū, vel bonificabile, vel bonificans: homo est vel*


Principia coëssentialia sunt numero tria.

Quid notent desinentia in IVUM ILE ARE & IO.

hominificativus, vel hominificabilis, vel hominificans. Quanta, inquies, malùm, hæc est barbaries? At, inquam ego, barbaries illa eleganti vocabulorum latinorum periphrasi & paraphrasi est tegenda. Terminis illis barbaris non utimur in disputationibus. Neq; enim sunt termini formales, sed formativi. Id discrimen sic habet. Termini formales *sunt, quibus utimur in discursu vel* Ethico, *vel Metaphysico. Quælibet enim ars suis gaudet terminis, propriis illis.*

Termini sunt Formales vel Formativi.

Termini formativi sunt, qui docent, quomodo alios terminos debeamus formare: ut ivum, ile & are, *sunt termini formativi, i.e. docentes, quòd vox quælibet sit inflectenda hoc modo.*



Cap. 34. De principio protonoëmatico & deuteronoëmatico.

SEcunda principii affectio est, quòd sit vel protonoëmaticum, vel deuteronoëmaticum.

Principium Πρωτονοηματικὸν καὶ Δευτερονοηματικόν.

Principium πρωτονοηματικὸν est, quod fundatum est immediatè in ipsâ re: *ut ens, substantia, materia, forma.*

Principium δευτερονοηματικὸν est, quod fundatum est in re, sed mediante principio protonoëmatico: *ut genus, species, nominativus.*

Notio est prima, vel secunda.

Notio in philosophiâ est ipse conceptus rei. Estq; vel prima, vel secunda: Græcè νόημα πρῶτον καὶ δεύτερον. *Hinc docendi discendiq; causâ fiunt voces, protonoëmaticum & deuteronoëmaticum.*

Notio prima.

Notio prima *est, quæ immediatè à re extra mentem positâ sumitur, inq; eâ immediatè fundatur. Hæc repræsentat*

ſentat res ſecundùm realia attributa, prout in ſe ſunt: ideoq; conceptus *rei* formalis *appellatur, quia eſt medium, quo ea, quæ ſunt extra mentem, ponuntur in mente. Vocatur conceptus, quia mentis quaſi partus & ſoboles quædam eſt. Formalis vocatur, quia vel ultima mentis forma eſt, ut nonnulli volunt, vel, id quod malo, rem formaliter cognitam menti repræſentat. Notio enim prima eſt quidam quaſi rei portitor. Res verò propriè & immediatè per conceptum formalem repræſentata dicitur* conceptus objectivus*: quia non eſt conceptus ut forma intrinſecè terminans conceptionem, ſed ut objectum & materia circa quam formalis conceptus verſatur. v.g. homo eſt notio prima, quæ accipitur ab ipsâ naturâ humanâ, cujus imago eſt, & in eâ immediatè ut in objecto ſuo immediato fundatur. Actualis illa mentis in hominem converſio vocatur conceptus formalis. Homo autem conceptus & repræſentatus illo actu, conceptus objectivus dicitur. Conceptum formalem triplicem facit Schola, diſtinctum, confuſum, & medium.* Diſtinctus *eſt, qui determinatè & expreſſè repræſentat ſimplices entitates, ſeu non compoſitas ex naturâ communi & differentiâ contrahente (Metaphyſici vocant compoſitionem ex naturâ & ſuppoſito) aliíſve compoſitionis modis, ut ſunt eſſe & eſſentia, actus & potẽtia, materia & forma, genus & differentia, ſubjectũ & accidens. Talis conceptus nec datur, nec dari poteſt in creaturis. Hic in ſolum Deum cadit. Ille enim eſt puriſſimus actus, qui quũ ſe intuetur, omnia intuetur, non per ſpecies intelligibiles, ſed per eſſentiam. Ille enim eſt omnium rerum cauſa & exemplaris, & efficiens, & finalis, ut loquuntur.*

Conceptus formalis quis ſit?

Conceptus objectivus.

Conceptus formalis eſt triplex

I. Diſtinctus.

Modi compoſitionis.

II. Confusus: Conceptus confusus *est, qui omnes entitates simplices repræsentat confusè & indeterminatè: ut est Entis conceptus.*

III. Medius. Medius *est, qui repræsentat unam expressè & determinatè, alteram indeterminatè & implicitè, ut conceptus substantiæ. Is enim substantiam repræsentat explicitè, accidentia implicitè. v.g. quum considero hominem, considero substantiam ejus explicitè, accidentia implicitè, quatenus in homine implicantur. Ad eundem modum conceptus objectivus considerari debet.*

Primum cognitum apud philosophos est triplex. *Hinc videre est, quare philosophi nunc Deum, nunc Ens, nunc substantiam vocent primum sive primò cognitum. Talis est notio prima.*

Notio secunda. Notio secunda *est, quæ rebus per se non convenit, sed illis propter mentis dispositionem accedit, immediatè autem fundatur in notione primâ. Itaq; ut notio prima secundùm attributa realia, sic hæc secundùm attributa* τεχνικὰ, *i. e.* artificialia, *rem repræsentat.*

Conceptus objectivus consequenter. *Hic conceptus dicitur* objectivus consequenter, *Græcis* ἑπομένως, *ut conceptus formalis dicitur esse in re* ἡνωμένως. Objectivus *quidem dicitur, quia est aliquid cognitum, circa quod tanquam objectum suum mens immediatè occupatur:* consequenter *autem, quia ultimam mentis operationem, quæ est cogitationis cogitatio, consequitur.*

Modus, quo intellectus fabricat notiones secundas. *Nam postquam intellectus humanus concepit naturam humanam secundùm primam intentionem, posteà in varias partes reflexus, illius tùm convenientias, tùm differentias exquirit, incipitq; eam comparare singulis hominibus, ut Socrati, Platoni, Aristoteli. Et quum videt, quòd omnibus & singulis individuis conveniat, format alium de naturâ humanâ conceptum. Nam primò eam considera-*

derabat secundùm se, nunc autem eandem considerat, quatenus est in singulis hominibus. Iste naturæ humanæ conceptus dicitur notio secunda, qui acceptus est non immediatè ab eâ, sed ab illo intelligendi modo, quo naturam humanam intellexit omnibus hominibus convenire: & sic vocat eam genus respectu inferiorum, speciem respectu superiorum: differentiam respectu collateralium. Triplices enim istæ lineæ in prædicamentis occurrunt. Prædicamentum quodlibet est index naturæ: Prædicabilia autem ostendunt gradus rerum in prædicamentis. Deus enim naturam ita creavit, ut admittat summa, intermedia, & infima. Lineæ ascendentes continent species, descendentes genera. In illo ascensu summum quod est, nullo modo est species, similiter in descensu infimum quod est, nullo modo est genus. Interjecta quæ sunt inter summum & infimum, sunt species respectu superiorum, & genera respectu inferiorum. Lineæ collaterales continent fermè differentias. Cæterùm notiones secundæ non sunt ejusdem generis, sed pro ratione diversarum artium diversæ. Sic Grammaticæ *suæ sunt notiones secundæ, videlicet termini, quibus nullæ res in naturâ significantur, sed qui tantùm nos ad rectè loquendum informant, ut casus, participium, numerus, persona.* Neq; *enim Grammatica tradit significationes. Ad significationes puri sermonis traau. Suæ insuper notiones secundæ sunt* Rhetoricæ, *ut tropus, aposiopesis; suæ* Astronomiæ, *ut Zodiacus, Polus, Aux, Apogeum. Tractat etiam Metaphysica de notionibus secundis, quatenus aliquid entitatis habent.* In Logicâ *verò alia est notionum secundarum*

Lineę triplices in prędicamentis.

Prædicamẽtorum & prædicabilium utilitas.

Notiones secundæ sunt in Grammaticis:

Rhetoricis:

Astronomicis:


&

Logicis.

consideratio, ubi excogitatæ sunt notiones secundæ tanquam serperastræ, quæ mentem dirigunt & in cognitionem, & in cognitione rerum. Atque hinc secundæ notiones secundæ cogitationes dicuntur. Ut enim notiones primæ sunt conceptus rerum quâ res sunt: ita notiones secundæ sunt νοήματα νοημάτων, & conceptus conceptuum, i. e. conceptus ejusmodi, qui non directè adumbrant ipsas res aut aliquid in rebus adhærens, sed normas intellectuales, per quas nos rerum conceptus distinctè ordinatèque formamus. Summa huc redit. Notio prima convenit rebus immediatè, quum significet res ut sunt: secunda verò mediatè. Prima & in mente, & extra mentem est suo modo, ut animal, planta: secunda non nisi in mente est & à mente. Prima in idiotæ & ineruditi mente æquè est perfecta, atque in mente eruditi: secunda in idiotæ mente imperfectior est, si est; perfectior in eruditi. Ut prima est conceptus rei: ita secunda est conceptus τοῦ conceptus. Ut definitiones primarum notionum veræ sunt de rebus simpliciter: ita secundarum de primis, quatenus hæ illis substratæ sunt. Solent afferre hoc simile. In sciaterico est stilus seu gnomon, & umbra sparsa de gnomone. Stilus indicat horam fundamentaliter, umbra proximè. Ita notio prima est veluti stilus, secunda est umbræ simillima. Sic ergo patet, quænam principia sint πρωτονοηματικὰ, quæ δευτερονοηματικά.

Conceptus & conceptus quis sit?

Collatio notionis primæ & secundæ.



Cap. 35. De principio incomplexo & complexo.

TErtia principii affectio est, quòd sit incomplexum, vel complexum.

Prin,

Principium incomplexum est, quod consideratur extra dispositionem: *Graci vocant ἄνδυ συμπλοκῆς, ut ens, unum, verum, bonum, genus, species, casus. Aliàs dicitur simplex.*


Principium incomplexum.

Principium complexum est, quod consideratur in dispositione: *ut, Totum est majus suâ parte; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Principium complexū.

Res in naturâ ita comparatæ sunt, ut considerentur vel solæ & per se, vel cum aliis. Solæ si considerentur, terminos habent incomplexos. Si cum aliis considerentur, constituunt propositiones, quas vocant complexas. Res autem dum inter sese conferuntur, vel cohærent, vel non. Et cohærent, vel necessariò, ut homo est animal: vel contingenter, ut homo est doctus. Illæ ita cohærent, ut nunquam dividi, hæ ita, ut dividi queant. Quæ non cohærent, constituunt axioma falsum, si componantur; ut, homo est lapis. Nam inter hæc nullus est nexus. Inter ea quæ necessariò & semper cohærent, est nexus essentialis: inter ea, quæ contingenter & separabiliter cohærent, est nexus accidentalis.

Res in naturâ positæ duob. modis considerantur.



Cap. 36. De principio immediato & mediato.

QUarta principii affectio est, quòd sit immediatum vel mediatum: *Græcis ἄμεσον, καὶ ἔμμεσον.*

Principium

Immediatum est, quod est indemonstrabile.

Immediatum vel Mediatum.

Mediatum est, quod est demonstrabile.

Medium hîc nobis significat medium termi-


Medius ter-

minus quid sit.

num, ut vocat Aristoteles. Immediatum itaq; est id, quod non habet medium demonstrationis. Duo autem sunt demonstrandi genera; unum ostensivum, aliud deducens ad impoßibile. Primum per se & directè ad scientiam est requisitum, & in eo proceditur à causis ad effectus, & ab essentiâ rei ad paßiones demonstrandas. Loquimur enim hîc de scientiâ à priori. Nam quæ est à posteriori, non resolvitur in principia, sed experientiã. Secundum demonstrandi genus per se necessariũ non est, sed interdum adjungitur ꝓpter hominis defectum, ignorantiam, vel proterviam. Utile autem est, non solùm ad conclusiones, sed etiam ad prima principia persuadenda & probanda, quod in priori modo fieri non potest: quia quum sint immediata, non habent medium à priori per quod probentur; tamen ad impoßibile deducendo ostendi potest eorum veritas, & convinci intellectus ut eis assentiatur. Prima itaque principia sunt immediata, id est, demonstrari non possunt à priori, licet demonstrari poßint à posteriori, nec non probari deductione ad impoßibile. Secunda autem principia possunt demonstrari à priori. Sicut enim sunt à primis, ita per prima cognoscuntur & demonstrantur.*

Duo demõstrandi genera.

Scientia à priori & posteriori.



Cap. 37. De principio theoretico, practico, & poëtico.

QUinta principii affectio est, quòd sit theoreticum, practicum, vel poëticum.

Principium est theoreticum.

Principium theoreticum est, quod est regula sciendorum: *ut in Metaphysicâ, Physicâ, Mathesi.*

Mathesi. Aliàs dicitur speculativum & speculabile.

Principium practicum est, quod est regula agendorum: *ut in Ethicâ, OEconomicâ, Politicâ. Aliàs dicitur* activum. Practicum.

Principium poëticum est, quod est regula efficiendorum: *ut in artibus Logicis & Mechanicis. Aliàs dicitur effectivum.* Poëticum.

Aristoteles passim in suis scriptis distinguit inter τὸ θεωρητικὸν, πρακτικὸν, καὶ ποιητικόν. Ratio illius distributionis sumitur partim à subjecto doctrinali, partim à fine principiorum & disciplinarum. Nam alia principia versantur περὶ τὰ θεωρητά, alia περὶ τὰ πρακτά, alia περὶ τὰ ποιητά. Et rursus alia solam cognitionem rerum, circa quas versantur, sibi habent propositam; alia præter cognitionem, etiam actionem, alia effectionem. Hanc τειχοτομίαν ex Zabarel. lib.1. de nat. Log.cap.2. *ad διχοτομίαν revocamus hoc modo: principia sunt vel contemplatricia, vel operatricia. Et hæc rursus vel πρακτικὰ, vel ποιητικά. Hîc non moramur ineptam objectionem, quam afferunt: Nulla est ars, quæ in sola rerum, quas tractat, cognitione acquiescat, neque eam ad certum aliquem vitæ humanæ usum transferat. Ideoque quælibet ars simul est contemplatrix & operatrix. Vana enim esset omnis ars, cujus cognitio nullum haberet in vitâ humanâ usum. Non attendunt boni illi viri vim vocabulorum. Per actionem enim philosophus non intelligit quamlibet operationem, sed tantùm actionem moralem, quam principia practica dirigunt & informant: per effectionem verò, operationem artificialem, quam principia ποιητικὰ diri-* Actionis vocabulum ambiguum.

gunt & informant. Distinguendum præterea est inter usum & operationem principiorum & disciplinarum. Licet enim nulla sit ars, cujus cognitio non aliquem in vitâ humanâ usum habeat, quum qualibet ars perficiat hominem, & id quod naturæ deest, expleat: tamen non omnis ars docetur & discitur propter operationem, h. e. ut res illa scibilis, circa quam versatur, ab homine liberè operante vel agendo, vel efficiendo fiat & acquiratur: quum multa sint scibilia, quæ sub liberam & voluntariam hominis neque actionem, neq; effectionem cadant. Vide Timpler. Technolog. c. 2. problemate 1.

Cap. 38. De principio innato & acquisito.

SExta principii affectio est, quòd sit innatum, vel acquisitum.

Principium innatum est, quod vi intellectus in seipso agentis novit homo.

Acquisitum est, quod homo experiundo sibi ipse acquirit in rebus naturalibus.

Timplerus refutatur.

Timplerus lib. 3. Empsychol. de homine cap. 3. probl. 8. & l. 3. Metaph. c. 1. quæst. 9. *simpliciter negat, ulla principia esse nobis innata. Sed argumenta, quæ ille affert pro suâ sententiâ, non faciunt* πρὸς Διόνυσον. *Non advertit acutissimus vir, quid hoc in loco sibi velit vocabulum* innatum. *Innatum principium dicimus, non quòd illæ notitiæ, de quibus loquimur, homini insint statim, ut conceptus & natus est, actu exercito: sed quòd homini etiam nunc post lapsum innata sit facultas, quâ propositiones*

Actus est exercitus, vel signatus.

nes illas suo tempore intelligat, in se ipso & de se ipso ratiocinando. Hoc philosophi vocant inesse actu signato. Hâc de re apposité Scaliger l.3. poët. cap. 1. Nobiscum simul nascuntur, ait, cogitationes quædã, quæ omnibus æquè eædem, ab omnibus æquè item probantur, cujusmodi sunt propositiones illæ, quæ sunt quasi principia quædam contemplationum, qualis: De quacunq; re alterutrum verè dici potest, Est, Non est: & illa; Omne totum est majus suâ parte. *Rectè acutissime Scaliger. Innata illa principia dicimus, quæ intellectus novit in se agens. Anima enim dum seipsam intuetur, videt simul quorundam principiorum veritatem. Quâ de re eleganter* Cicero l. 1. de nat. deorũ *hinc inde*; & Joan. Calvinus Inst. l. 1. *hinc inde. Acquisita autem principia dicimus illa, quæ homo experiundo addiscit: videlicet vel per visum, vel per auditum. Sic hoc principium Mathematicùm:* circulus quilibet constat gradibus 360: *homo scit, non naturâ, sed doctus à præceptore Mathematico. De utroq; principio teneatur illud Ciceronis pro Milone.* Est enim (judices) hæc non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. *Idem* l. 1. de nat. deorũ. Nulla est, *ait*, tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio, esse Deum. *Clariùs hâc*

Innata principia quæ dicantur?

Acquisita principia quæ sint.


Insignis locus è Cicerone.

Insignis locus è Calvino.

eadē de re Calvinus loquitur l.1.Inst.c.3.ſ.3. Hoc quidem, *ait*, rectè judicantibus ſemper conſtabit, inſculptum mentibus humanis eſſe divinitatis ſenſum, qui deleri nunquam poteſt. Imò & naturaliter ingenitam eſſe omnibus hominibus hanc perſuaſionem, eſſe aliquem Deum, & penitus infixam eſſe quaſi intimis medullis, locuples teſtis eſt impiorum contumacia, qui furiosè luctando, ſe tamen extricare à Dei metu nequeunt. *Et paulò pòſt:*

Unde colligimus, non eſſe doctrinam, quæ in Scholis primùm diſcenda ſit, ſed cujus ſibi quiſq; ab utero magiſter eſt, & cujus meminē oblviſci natura ipſa patitur, quamvis huc multi nervos intendant. *Quanquam quid eſt, quòd humanas auctoritates pro verâ ſententiâ affero? Divinam poſſum afferre, quæ eſt* Rom.1.v.19. *Falſa igitur illa Ariſtotelis, qui dicit, mentem hominis eſſe velut tabulam raſam, cui nihil actu ipſo inſcriptum eſt, quidvis autem ſcribi poteſt. Nam illa principia innata ipſo actu ſunt φανερὰ in cordibus, in mentibus. Inſunt actu ſignato, non exercito. Si intelligit Ariſtoteles actū exercitum, excuſari poteſt; ſin aliter, non itē. Plura vide apud* Fonſecam in 1. Metaph.l.1.c.1.q.4. *Non poſſum quin addam quod cordatus vir* Ludovicus Vives de inventione veri *ſcriptum reliquit hanc in ſententiam.* Veriſſimum nempe eſt, ad verum cognoſcendum ſic ſemina menti noſtræ naturaliter indita fuiſſe, quemadmodum oculo vis ad colorē aſpiciendum, ſive aliis ſenſibus ad propria objecta diſcenda. Verorum autem ſunt nobis naturaliter ingenitæ informationes, atq; anticipationes, non falſorum.

Et verum eſt omnibus ad cognoſcendum expoſitum, non falſum, nempe à vero, & verorũ opifice. Quapropter quæ vera aſſequimur, ad ea deducimur naturæ face: quæ non aſſequimur, in iis naturæ deſtituimur lumine: quæ porrò falſa pro veris colligimus ratione aliquâ probabili, in iis fallimur denſitate tenebrarũ, aut fallaci aliquâ luce ſimili veræ: unde etiam veriſimilia nominantur. Falſæ igitur & philoſophorum, & Ariſtotelis ipſius opiniones aliquæ non ad lucem ſunt naturæ ſumtæ, quæ neminem decipit, ſed ad tenebras, & imaginẽ aliquam lucis copioſam: quemadmodum quæ oculus verè cernit, ex naturæ luce cernit: quæ verò ficta, & ſimulata pro ſolidis, & veris cernit, ea ex fraude & deceptione quâdam cernit, quæ fit quidẽ in naturæ luce, non tamen ex eâ ipsâ luce, ſed ex rebus interjectis luci. Sic cùm ramum integrum videor mihi intueri in aquâ fractum, ea viſio non ex luce naturæ, ſed ex deceptione oculi, propter mediũ geminũ, quod eſt contra lucem naturæ, eamq; deceptionem corrigit animus. Sic cùm Ariſtoteles argumento aliquo fallitur, non eum decipit naturalis ſplendor, ſed imbecillitas ingenii, quæ ex plagis argumẽti explicare ſe in præſens non valet; explicabitur, ubi propiùs erit admota lux, majore ſtudio, attentione, die ipsâ, monitu cujusquam, aut doctrinâ, vel ipsâ adeò regulâ fidei. Non ergo lucis naturæ copia quenquam fallit, ſed inopia. *Et hæc quidem Vives. Unde diſcere eſt, principia quædam nobis eſſe inſita, eaq; vera, è quibus concluſiones veræ eruuntur per ſe, falſæ per accidens.*



Cap. 39. De principio primo, incomplexo, immediato, theoretico.

DIctæ ſunt breviter principiorum affectiones; ſequuntur eorundem ſpecies. *Itaq;*

Principium eſt vel primum, vel ortum.

Principium primum eſt, quod commune eſt omnibus diſciplinis.

Eſtq; vel incomplexum, vel complexum.

Incomplexum eſt, quod conſideratur extra diſpoſitionem.

Eſtq; immediatum, vel mediatum: *illud firmiſsimum, hoc minùs firmum dicitur.*

Immediatum eſt vel theoreticum, vel practicum & poëticum.

Principium primum immediatū & incomplexum in theoreticis.

Theoreticum eſt Ens: *cujus Synonyma ponimus Rem & Aliquid. Non enim facimus cum Arabibus, qui hæc tria, Ens, Rem, Aliquid, diſtinguunt.* Antonius Andreas in 4. Metaph. cap. 3. q. 5. *diſertè tradit, Ens eſſe principium ſimpliciter primum.*

Ens eſt primus & ultimus omnium conceptuum: *ut oſtendunt eruditè* Keckerm. lib. 1. Metaph. cap. 1. & Timpl. Metaph. lib. 1. cap. 1.

Typus

Typus reſolutionis rerum in primum principium theoreticum incomplexum & immediatum.

Typus reſolutionis rerum in primum principium.

Exemplum primum.

1	*Petrus*	8
2	*Homo*	7
3	*Animal*	6
4	*Corpus vivum*	5
5	*Mixtum ex elementis.*	4
6	*Corpus ſimplex.*	3
7	*Subſtantia naturalis.*	2
8	*Res, ſive ens.*	1

Ordo aſcenſionis ab infimis ad ſumma. — *Ordo deſcenſionis à ſummis ad infima.*

Exemplum ſecundum.

1	*Heliotropium*	8
2	*Planta*	7
3	*Herba*	6
4	*Corpus vivum*	5
5	*Elementatum*	4
6	*Corpus ſimplex*	3
7	*Subſtantia naturalis*	2
8	*Ens.*	1

Ordo aſcendens. — *Ordo deſcendens.*

Ens itaq; eſt primum principium incomplexum, theoreticum, & immediatum: quorum terminorum definitiones è ſuperioribus illis notæ ſunt. Eſt primum: *quia eſt irreſolubile: quia eſt commune. Omnes enim diſciplinæ tractant de ente; dum ſcilicet præſcindunt ſibi entis quandam quaſi particulam. Arithmetica enim de ente numerabili, Geometria de menſurabili, Phyſica de mobili tractat. Eſt* theoreticum: *quia omnium primum. Theoretica enim ſunt priora practicis.* Eſt immediatum: *quia nullo*

Ens eſt principium incompelxū Primum

Theoreticū.

Immediatum.

medio potest probari. Hîc incidit quæstio, quomodo hîc tractetur de ente, & aliis principis Metaphysicis? Ad solutionem hujus quæstionis teneantur sequentia theoremata.

Ens quomodo sit subjectum Metaphysices?

I. Ens est subjectum Metaphysices. *Quum autem nulla disciplina suum probet subjectum, etiam Metaphysica non probabit, sed aliunde accipiet. Non autem est disciplina superior Metaphysicâ. Itaq; ab hoc præcognito precariò sumet suum objectum. Notandum hoc est probè. In scientiis contemplativis tres partes præcognosci debent, subjectũ, communes affectiones, & principia. Hoc præceptum explicatum invenies apud* Zabar. de trib. præcognit. c. 1. & l. 2. de meth. c. 6. & Keck. syst. log. l. 3. tract. 2. c. 1. *Iccirco in Metaphysicâ totidem erunt præcognoscenda. Et ut nihil jam dicam de communibus affectionibus quæ considerantur in Metaphysicâ, de subjecto & principiis Metaphysicis sic sentio. Subjectum & principia debemus præcognoscere, & quòd sint, & quid significent nomina. Iccircò hîc in Archelogiâ tractamus de Ente, & monemus quòd sit subjectum Metaphysicæ. Tractamus etiam de reliquis principiis Metaphysicis. Tractamus aũt non destinctè, ita ut recenseamus illorum species, sed indistinctè; ita ut revocemus ad certa capita, & constituamus nomina generalissima, quibus præcognitis facilè cognoscuntur principia Metaphysica. Præcognita enim juvant ipsam cognitionem.*

In scientiis contemplativis tria præcognoscenda.

Principia prima sunt αὐτόπιστα.

II. Principia prima non per alia, sed per se ipsa fidem habent, *id est, solâ terminorum cognitione approbantur. Nam ut assentiamur primis principiis, satis est sola terminorum extremorúmve cognitio: cui accedit experimentum: ut si dicam, totum est majus suâ parte, non necesse habeo operosè id probare.*

Satis est, si terminos habeam cognitos, quid sit totum, quid sit pars. Huic cognitioni confirmationis ergò accedit experimentum. Arist. 1. poster. c. 3. tex. 6. & 1. Topic. c. 1. tex. 22. & 26.

III. Communissima principia facilè intelligi possunt, quia sunt per se notissima. *Conclusiones itaq;, quæ velut partes sub illis cognoscuntur, difficilè intelliguntur: vel quia non sunt per se notæ, vel quia illarum per se nota veritas minùs nobis est perspicua.* Arist. l. 2. Metaph. c. 1. & Fonseca in d. l. Principia communissima sunt intellectu facilia.

IV. Principia omnia habent contrarium. *Ita ens habet contrarium non-ens. Ipsum tamen non-ens, quum sit negatio entis, etiam revocatur ad ens. Affirmatio namq; est mensura negationis. Omnia igitur omnino reducuntur ad ens.* Arist. 3. Metaph. cap. 2. contex. 6. & Fonseca in d. l. Principia omnia habent contrarium.

V. Principia Metaphysica etsi sunt firmissima comparatione principiorum cujusq; alterius scientiæ: tamen si ipsa inter se conferantur, unum aliquod reperietur, quod sit cæteris firmius ac certius: ac proinde firmissimum simpliciter. *Quemadmodum etsi omnia genera summa dicũtur prima comparatione aliorum, tamen si ipsa inter se comparentur, genus substantiæ invenietur primum simpliciter, cùm sit cæterorum etiam primorum fundamentum. Firmissimum autem principium incomplexũ est ens. De firmissimo complexo vide infr. De his copiosè tractat* Arist. l. 4. Metaph. c. 3. tex. 8. & seq. Firmissimũ principiorũ incomplexorum.

VI. Principia omnibus scientiis communia sunt propria Metaphysicæ; *quatenus scilicet considerantur in latitudine.* Arist. d. l. *Traduntur autem hîc ut præcognita, ut patet è 1. theor. hujus cap.*


VII. Principia Metaphysica sunt omnium firmissima & certissima. *Ratio: Ad eum artificem pertinent principia firmissima, qui est in cognoscendo accuratissimus. Hujusmodi autem est primus philosophus. Prior propositio ex eo patet, quia firmitas scientiæ ex firmitate principiorum pendet. Posterior ex* c.2.l.1.Metaph. *perspicua est.*

Principia non sunt contraria.

VIII. Principia cognitionis non sunt contraria. *Ratio: quia verum vero consonat. Ita principia naturæ & scripturæ adversa non sunt: Subordinata sunt, diversa sunt. Diversa autem non sunt adversa. Subordinata etiam non pugnant. Quid enim? Annon Deus est author & naturæ & gratiæ? Omnino? Num igitur sibi erit contrarius in principiis illis? Absit.*

Tria ad discendum requiruntur.

IX. Principia in docendo sunt potiora, quàm docendi forma & modus. *Tria enim ad docendum & discendum requiruntur, principia, modus, & aptitudo. Principia in docendo potiorem locum habent, quàm modus docendi, sine quo non docemus, & aptitudo, quæ requiritur propter cognitionem principiorum, non propter cognitionem modi docendi.*



Cap. 40. De principio primo, incomplexo, immediato, practico & poëtico.

τὸ Honestum est principium primum in practicis: Utile in practicis & poëticis.

PRincipiũ primum, incomplexum, immediatum practicum est τὸ Bonum, & quidẽ Honestũ in practicis; Utile in poëticis. *In τὸ honestum enim omnia incomplexa practica resolvuntur. Ipsum autem honestum resolvitur in Ens. Itaq; τὸ honestum in practicis incomplexis est primum & imme-*

immediatum. At si conferatur cum ente, non est primum. Quomodo τὸ Honestum sit primum in practicis, eleganter ostendit Cicero l.1.offic. *Neq; solùm prudentiæ operatrices seu practicæ habent bonum pro primo principio, sed etiam artes effectrices, in quibus primum principium est τὸ utile. Sic v.g. instrumenta Logica sunt utilia ad docendum & discendum.*


Honestum consideratur vel simpliciter, vel conjunctè. **Honestum tribus modis consideratur**

Simpliciter, quando consideratur seorsum quà tale est formaliter. **I. Formaliter.**

Conjunctè, quando consideratur vel ut utile, vel ut jucundum. **II. Conjunctū cum utili.**

Utile est quod honestè prodest.

Jucundum est quod & honestè & utiliter delectat. *Sic enim posterius à priori dependet.* **III. Conjunctū cum jucundo.**



Cap 41. De principiis incomplexis mediatis.

TRadita sunt principia incomplexa prima immediata, ens & bonum; sequuntur incomplexa mediata.

Principia incomplexa mediata sunt attributa entis & boni: *Entis primariò, boni propter ens.*

Ista attributa sunt vel subjecta, vel prædicata, vel quæstiones.

Hoc loco colligenda sunt ὡς ἐν τύπῳ *principia omnia Metaphysica, non ut cognoscantur, sed ut præcognoscantur, quid significent nomina. Hîc sequi-*

mur præscriptum Raymundi Lullii. *Ille enim sic digeßit principia omnium disciplinarum, ut vix ac ne vix quidem aliter digeri poßint.*

Subjecta numero novem.

Subjecta sunt novem: Deus, Angelus, Cœlum, Homo, Imaginativa, Sensitiva, Vegetativa, Elementativa, Instrumentativa.

Deus.

Deus est principium omnis boni in naturâ & supra naturam.

Angelus.

Angelus est principium boni, Deo subserviens proximè.

Hic Angelus consideratur quà creatura: non quà est bonus, vel malus ratione qualitatum.

Cœlum.

Cœlum est principium, influens in inferiora proportionaliter.

Homo.

Homo est principium, quod humanitatem habet.

Imaginativa.

Imaginativa est principium, quo sensus interni cognoscunt.

Sensitiva.

Sensitiva est principium, quo sensus externi cognoscunt.

Vegetativa.

Vegetativa est principium, quo vegetabilia vivunt.

Elementativa.

Elementativa est principium, quod mixta constituit.

Instrumentativa.

Instrumentativa est principium accidentale subserviens substantiali. *Huc referuntur novem prædicamenta accidentis, virtutes item & vitia.*

Prædicata

Prædicata sunt vel absoluta, vel respectiva.

Absoluta

Absoluta sunt ter trina:

Essentialia: Bonitas, Magnitudo, Duratio.
Notionalia: Potestas, Sapientia, Voluntas.
Causalia: Virtus, Veritas, Gloria.

Respe-

Respectiva sunt totidem, absolutis ex asse respondentia: & Respectiva.

Differentia,	Concordantia.	Contrarietas.
Principium,	Medium,	Finis.
Majoritas,	Æqualitas,	Minoritas.

Horum principiorum definitiones tenendæ sunt, ut per definitiones ipsa cognoscantur, & ut ipsis homo utatur affirmando & negando, ita ut definitiones maneant illæsæ. Definitiones istæ sunt nominales. Reales enim principiorum definitiones dari non possunt. Principiorũ definitiones sunt nominales. *Principia absoluta.*

Bonitas est id, cujus ratione ens producit bonum, quod est appetibile. Bonitas.

Magnitudo est id, cujus ratione bonitas & reliqua principia sunt magna. Magnitudo.

Duratio est, ratione cujus bonitas, magnitudo, & reliqua principia durant. Duratio.

Potestas est, ratione cujus reliqua principia (agunt. Potestas.

Sapientia est, ratione cujus sapiens intelligit bonitatem, magnitudinẽ, & cætera principia. Sapientia.

Voluntas est ratione cujus reliqua principia sunt desiderabilia. Voluntas.

Virtus est origo unionis bonitatis, magnitudinis, & cæterorum principiorum. Virtus.

Veritas est illud, quod est verum de bonitate, magnitudine, & reliquis principiis. Veritas.

Gloria est ipsa delectatio, in quâ bonitas, magnitudo, & cætera principia quiescunt. Gloria. *Principia respectiva.*

Differentia est id, ratione cujus bonitas, & reliqua principia sunt inconfusa atq; clara. Differentia.

Concordantia est, ratione cujus bonitas, & cætera in uno, pluribusq́; concordant. Concordantia.

Contrarietas est quorundam mutua resistentia propter diversos fines. Contrarietas.

Principium. Principium eſt id, quod ſe habet ad reliqua ratione alicujus prioritatis.

Medium. Medium eſt, quod ſapit naturam utriusq; extremi.

Finis. Finis eſt id in quo principium quieſcit.

Majoritas. Majoritas eſt per quam bonitas, magnitudo, & cætera principia ſunt excellentiora.

Æqualitas. Æqualitas eſt, per quam unum principium alteri æquale eſt.

Minoritas. Minoritas eſt, per quam unum principium eſt inferius altero.

Has definitiones oportet probè ſcire. Iis enim ignoratis nihil poteſt proficere philoſophus apud diſcipulos, vel etiam adverſarios ſuos.

Quæſtiones regulativæ decem. Quæſtionis ſunt numero decem: utrum, quid, de quo, quare, quantum, quale, quando, ubi, quomodo, cum quo.

Praxis doctrinæ Lullianæ de principiis. *Atq; hæc ſunt principia illa generalia, quæ hîc ordine tumultuario congeſſimus. Ea digerit Metaphyſicus. Sunt autem hæc principia generalia; quia in illis principia aliarũ ſcientiarũ particularium ſunt implicita & contenta, ſicut particulare in univerſali. Relucent in his principia omnium particularium ſcientiarum. Applicari aũt debent particularia generalibus, ſicuti pars applicatur ſuo toti. Omnes bonitates aliarũ ſcientiarum ad unam bonitatem generalem ſunt applicabiles. Et idem dico de omnibus magnitudinibus ad unam magnitudinem generalem. Quæſtiones etiam ſunt generales, proindeq; ad omnes quæſtiones, quæcunq; ſunt, applicabiles. Omnes enim in iſtis implicantur, ita ut hæ quæſtiones non ſine causâ à quibusdam vocentur vaſa ad omnia intelligibilia.*

Cæterùm

Cæterùm placet hoc in loco consilium Lullii, qui prænominata principia digeßit in alphabetum, quod, mutatis mutandis, sic habet.


	B	C	D	E
I. Subjecta.	*Deus.*	*Angelus.*	*Cœlum.*	*Homo*
F	G	H	I	
Imaginativa.	*Sensitiva.*	*Vegetativa.*	*Elementativa.*	
K.				
Instrumentativa.				

II. Prædicata absoluta. *Bonitas. Magnitudo. Duratio. Potestas. Sapientia. Voluntas. Virtus. Veritas. Gloria.*

III. Prædicata respectiva. *Differentia. Concordantia. Contrarietas. Principium. Medium. Finis. Majoritas. Æqualitas. Minoritas.*

IV. Quæstiones. *Utrum. Quid. De quo. Quare. Quantum. Quale. Quando. Ubi. Quomodo. Cum quo.*

Usum hujus alphabeti infrà indicabimus, ubi agemus de principiis mediatis complexis.



Cap. 42. De principio primo complexo Theoretico.

ENarrata sunt principia prima incomplexa: nunc enarrabimus principia prima complexa: quæ sunt partim immediata, partim mediata.

Principia prima complexa immediata sunt numero duo: unum theoreticum, practicum alterum. *Illud est simpliciter primum: hoc secundùm quid. Practica enim dependent à theoreticis.* Itaq; *si principium primum practicum conferatur*

cum primo theoretico, non est primum. Primum aut est, si consideretur in philosophiâ practicâ. Dicuntur immediata; qa ex incomplexis immediatis oriuntur.

Principium primum complexũ in practicis.

Principium primum theoreticum complexum est, per quod omnia probantur, quæcunq; probantur, ultimò.

Dico ultimò: quia inter conclusiones probandas & illud ipsum principium sunt interjectæ etiam alia via probandi.

Est autem principium omnium primum: *Impoßibile est idem simul esse & non esse.*

Aristoteles l.4. Metaph.c.3. *doctè, more suo, tractat de primo hoc principio. Ejus sententiam ἀφορισικῶς colligemus primùm, tùm probabimus.*

Aphorismi doctrinæ Aristotelicæ de primo principio.

Aphorismus primus. *Etsi principia Metaphysica sunt firmißima comparatione principiorum in inferioribus disciplinis occurrentium: tamen si ipsa inter sese conferantur, unum aliquod reperietur, quod sit cæteris firmius ac certius, ac proinde firmißimum simpliciter, quod à Metaphysico inprimis est notandum. Eodem scilicet modo, quo summa genera dicuntur prima comparatione aliorum. Nam si ipsa inter sese comparentur, genus seu prædicamentum substantiæ invenietur simpliciter primum, cùm sit cæterorum etiam primorum fundamentum.*

Aphorismus secundus. *Primum principium tale esse debet, ut nemo in eo falli poßit. Ratio 1. Quia quod hujusmodi est, ut nemo in eo falli poßit, necessariò est notißimum. Siquidem nemo fallitur, nisi in eo, quod ignorat. Principium autem omnium notißimum & omnium firmißimum idem sunt, cùm omnia ex notioribus confirmentur. 2. Quia quod tale est, ut nemo*

nemo in eo decipi possit, sed potiùs requiritur, ut cætera percipiantur, id, antequam quicquam aliud percipias, cognitum habeas necesse est. Quod autem necesse est cognitum haberi, ut quidvis aliud percipiatur, nullo pacto suppositio esse potest. Quod enim supponitur, nondum perspectum est. Cùm ergo solum firmissimum principium non possit esse suppositio, cùm ad omnia percipienda requiratur, efficitur, ut nemo in eo falli possit. Adde, quòd omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistat, quòd sequatur, idem simul esse & non esse. Et *quamdiu ad hoc non deducitur, non est satis demonstrata impossibilitas. Postquam verò ad hoc deducta est, ibi sistitur tanquam in ultimo resolutionis termino & principio notissimo. Adhæc hoc principium rectè vocatur primum, quia ab illo sumit firmitatem tota scientia humana.* Nam *non solùm conclusiones ex illo demonstrantur, sed prima etiã principia. Falsum autem est, quod ait* Fonseca, *per hoc nostrum principium confirmari à priori alia principia.* N*ã deductio ad impossibile non est ex causâ à priori, sed per extrinsecum medium, ut rectè docet* Franciscus Suarez. Fonsecæ *sententia est* in 4. Metaph. cap. 3. quæst. 1. sect. 3. *Summa veræ sententiæ huc redit: Illud est primum principium simpliciter, quod cùm sit necessarium, nec ostensivè, nec per deductionem ad impossibile demonstrari potest. At hoc principium est hujusmodi. Est igitur primum principium simpliciter. Major & prior pars minoris perspicuæ sunt. Posterior minoris pars ex eo probatur: Quia cujus veritas est omnium notissima, id nec ostensivè, nec deductione ad impossibile demonstratur, cùm omnis demonstratio fiat ex notioribus. Veritas aũt propositi principii est omnium notissima,*

Deductio ad impossibile fit per primum principium.

Refutatur Fonseca.

cum primo theoretico, non est primum. Primum aut est, si consideretur in philosophiâ practicâ. Dicuntur immediata; q̃a ex incomplexis immediatis oriuntur.

Principium primum complexũ in practicis.

Principium primum theoreticum complexum est, per quod omnia probantur, quæcunq; probantur, ultimò.

Dico ultimò: quia inter conclusiones probandas & illud ipsum principium sunt interjecta etiam alia via probandi.

Est autem principium omnium primum: *Impoßibile est idem simul esse & non esse.*

Aristoteles l.4. Metaph.c.3. *doctè, more suo, tractat de primo hoc principio. Ejus sententiam ἀφορεσικῶς colligemus primùm, tùm probabimus.*

Aphorismi doctrinæ Aristotelicæ de primo principio.

Aphorismus primus. *Etsi principia Metaphysica sunt firmißima comparatione principiorum in inferioribus disciplinis occurrentium: tamen si ipsa inter sese conferantur, unum aliquod reperietur, quod sit cæteris firmius ac certius, ac proinde firmißimum simpliciter, quod à Metaphysico inprimis est notandum. Eodem scilicet modo, quo summa genera dicuntur prima comparatione aliorum. Nam si ipsa inter sese comparentur, genus seu prædicamentum substantiæ invenietur simpliciter primum, cùm sit cæterorum etiam primorum fundamentum.*

Aphorismus secundus. *Primum principium tale esse debet, ut nemo in eo falli poßit. Ratio 1. Quia quod hujusmodi est, ut nemo in eo falli poßit, necessariò est notißimum. Siquidem nemo fallitur, nisi in eo, quod ignorat. Principium autem omnium notißimum & omnium firmißimum idem sunt, cùm omnia ex notioribus confirmentur. 2. Quia quod tale est, ut nemo*

nemo in eo decipi possit, sed potiùs requiritur, ut cætera percipiantur, id, antequam quicquam aliud percipias, cognitum habeas necesse est. Quod autem necesse est cognitum haberi, ut quidvis aliud percipiatur, nullo pacto suppositio esse potest. Quod enim supponitur, nondum perspectum est. Cùm ergo solum firmißimum principium non poßit esse suppositio, cùm ad omnia percipienda requiratur, efficitur, ut nemo in eo falli poßit. Adde, quòd omnis deductio ad impoßibile in hoc tandem sistat, quòd sequatur, idem simul esse & non esse. Et *quamdiu ad hoc non deducitur, non est satis demonstrata impoßibilitas. Postquam verò ad hoc deducta est, ibi sistitur tanquam in ultimo resolutionis termino & principio notißimo. Adhæc hoc principium rectè vocatur primum, quia ab illo sumit firmitatem tota scientia humana. Nam non solùm conclusiones ex illo demonstrantur, sed prima etiã principia. Falsum autem est, quod ait* Fonseca, *per hoc nostrum principium confirmari à priori alia principia. Nã deductio ad impoßibile non est ex causâ à priori, sed per extrinsecum medium, ut rectè docet* Franciscus Suarez. Fonsecæ *sententia est* in 4. Metaph. cap. 3. quæst. 1. sect. 3. *Summa veræ sententiæ huc redit: Illud est primum principium simpliciter, quod cùm sit necessarium, nec ostensivè, nec per deductionem ad impoßibile demonstrari potest. At hoc principium est hujusmodi. Est igitur primum principium simpliciter. Major & prior pars minoris perspicuæ sunt. Posterior minoris pars ex eo probatur: Quia cujus veritas est omnium notißima, id nec ostensivè, nec deductione ad impoßibile demonstratur, cùm omnis demonstratio fiat ex notioribus. Veritas aũt propositi principii est omnium notißima,*

Deductio ad impoßibile fit per primum principium.

Refutatur Fonseca.

quod patet ex falsitate oppositi pronunciati, quod est omnium absurdissimum. Meritò igitur dicit Averroës in 4. Metaph. c.3. Sine hoc pronunciato non modò possibile non esse philosophari, sed ne disputare quidem aut ratiocinari. *Sunt tamen argumenta, quæ negativam partem ostendere videntur, quòd hoc non sit primum principium, cæterarumq; dignitatum notissimum: Breviter diluamus argumenta.*

Diluti objectionum contra primum principium.

I. Objectio. *Est propositio modalis, quæ supponit priorem de inesse. Constat etiam multis vocibus neq; universalissimis, neq; admodum notis, ut sunt, idem, simul, quæ relationes significãt, quæ sunt posteriores absolutis. Omne enim respectivum fundatur in absoluto. Quum igitur hoc principium sit compositum, nullo modo potest esse primum. Simplicia enim sunt priora compositis.*

Responsio 1. *Parum refert, propositum principium habere formam modalis propositionis. Potest enim redigi in formam enunciationis de simplici inexistentiâ, ut si dicas:* Nulla res simul est, & non est. *2. Simplicitas primi principii non in eo posita est, ut constet paucioribus verbis, sed in eo, ut non possit probari per alia principia.*

Affirmatio quomodo sit mensura negationis.

II. Objectio. *Affirmatio est mensura negationis, adeoq; affirmatio est prior negatione. Propositum autem principium est negatum, cùm idem valeat impossibile, atq; non possibile. Argumentum tale erit: Inter principia intrinseca & universalissima non potest esse primum, quod est negativum. Omnis enim negatio in priori aliquâ affirmatione fundatur. Ergo datur aliud principium prius illo, in quo fundatur,*

quale

quale erit hoc: Unum contradictorium destruit alterum. *Responsio. Generatione, & ipsâ etiam enuntiatorum naturâ spectatâ, priores sunt affirmationes negationibus; at quod ad vim demonstrandi attinet, non est id verum universè. Ibi enim non omnis enunciatio negativa probatur à priori per aliam affirmativam. Alioqui negativa probatur per affirmativam, & omnis negativa includit aliam priorem, ac simpliciorem affirmativam, & particulam negativam adjectam. Si quis autem probè perpendat rem, videbit, nec principia æquipollere: unum contradictorium destruit alterum: Impossibile est aliquid simul esse & non esse: Duo contradictoria non possunt simul esse vera: Unum contradictorium destruit alterum.*

III. Objectio. *Notiora naturâ sunt priora minùs notis. Propositum autem principium est suapte naturâ minùs notum, quàm si dicas,* ens est ens. *Nulla enim enunciatio est notior & evidentior eâ, quâ aliquid affirmatur de seipso, ut* Boëtius *ait. Ea præsertim, in quâ sunt termini omnium notissimi, cujusmodi est ens. Responsio. Hoc pronunciatum,* ens est ens, *est identicum, artis expers, & penè nugatorium; ita ut nunquam assumatur ad quicquam demonstrandum. Itaq; substituerunt philosophi hoc*: Impossibile est idem simul esse, & non esse. *Principium incomplexum simpliciter primum est τὸ* ens. *Itaq; principium complexum simpliciter primum debebat esse hoc,* ens est ens. *Sed ob causas modò dictas, illud non fuit receptum. Substitutum est jam sæpè laudatum, quod æquipollet huic*: Ens non potest esse non ens.

Prædicatio identica.

O

quod patet ex falsitate oppositi pronunciati, quod est omnium absurdissimum. Meritò igitur dicit Averroës in 4. Metaph. c.3. Sine hoc pronunciato non modò possibile non esse philosophari, sed ne disputare quidem aut ratiocinari. *Sunt tamen argumenta, quæ negativam partem ostendere videntur, quòd hoc non sit primum principium, cæterarumq́ dignitatum notissimum: Breviter diluamus argumenta.*

Diluti objectionum contra primum principium.

I. Objectio. *Est propositio modalis, quæ supponit priorem de inesse. Constat etiam multis vocibus neq; universalissimis, neq; admodum notis, ut sunt, idem, simul, quæ relationes significāt, quæ sunt posteriores absolutis. Omne enim respectivum fundatur in absoluto. Quum igitur hoc principium sit compositum, nullo modo potest esse primum. Simplicia enim sunt priora compositis.*

Responsio 1. *Parum refert, propositum principium habere formam modalis propositionis. Potest enim redigi in formam enunciationis de simplici inexistentiâ, ut si dicas:* Nulla res simul est, & non est. *2. Simplicitas primi principii non in eo posita est, ut constet paucioribus verbis, sed in eo, ut non possit probari per alia principia.*

Affirmatio quomodo sit mensura negationis.

II. Objectio. *Affirmatio est mensura negationis, adeoq; affirmatio est prior negatione. Propositum autem principium est negatum, cùm idem valeat impossibile, atq; non possibile. Argumentum tale erit: Inter principia intrinseca & universalissima non potest esse primum, quod est negativum. Omnis enim negatio in priori aliquâ affirmatione fundatur. Ergo datur aliud principium prius illo, in quo fundatur,*

quale

quale erit hoc: Unum contradictorium destruit alterum. *Responsio. Generatione, & ipsâ etiam enuntiatorum naturâ spectatâ, priores sunt affirmationes negationibus; at quod ad vim demonstrandi attinet, non est id verum universè. Ibi enim non omnis enunciatio negativa probatur à priori per aliam affirmativam. Alioqui negativa probatur per affirmativam, & omnis negativa includit aliam priorem, ac simpliciorem affirmativam, & particulam negativam adjectam. Si quis autem probè perpendat rem, videbit, nec principia æquipollere: unum contradictorium destruit alterum: Impoßibile est aliquid simul esse & non esse: Duo contradictoria non possunt simul esse vera: Unum contradictorium destruit alterum.*

III. Objectio. *Notiora naturâ sunt priora minùs notis. Propositum autem principium est suapte naturâ minùs notum, quàm si dicas,* ens est ens. *Nulla enim enunciatio est notior & evidentior eâ, quâ aliquid affirmatur de seipso, ut* Boëtius *ait. Ea præsertim, in quâ sunt termini omnium notißimi, cujusmodi est ens. Responsio. Hoc pronunciatum,* ens est ens, *est identicum, artis expers, & penè nugatorium; ita ut nunquam assumatur ad quicquam demonstrandum. Itaq; substituerunt philosophi hoc:* Impossibile est idem simul esse, & non esse. *Principium incomplexum simpliciter primum est τὸ* ens. *Itaq; principium complexum simpliciter primum debebat esse hoc,* ens est ens. *Sed ob causas modò dictas, illud non fuit receptum. Substitutum est jam sæpè laudatum, quod æquipollet huic:* Ens non potest esse non ens.

Prædicatio identica.

IV. Objectio. *Principium simpliciter primũ non potest probari per aliud. At propositum principium probatur per aliud, videl.* Impossibile est, contraria inesse simul in eodem subjecto: *vel, quod idẽ est,* Impossibile est ut duæ contradictoriæ sint simul veræ, *seu,* ut idem sit, & non sit. *Resp. Primum principium à nobis positum est omnium notissimum. Non igitur erit aliud principium, quod illud reverâ notum faciat: Si quis tamen per proterviam propositum principium negaverit; si modò aliquid affirmet, licitum erit apud ejusmodi hominem illud probare per id, quod ille affirmaverit, ut docet* Arist. 4. Metaph. c. 4. *Plura vide in hanc sententiam apud* Fonsecam in 4. Metaph. c. 3. q. 1. & Francisc. Suarez in Metaph. *hinc inde. &* Timpl. l. 2. Metaph. c. 8. probl. 14. *Sed ut videas, quomodo cætera principia demonstrari possint, non ostensivè quidem, sed tamen deductione ad impossibile, hoc exemplũ habe. Primum principium est: Impossibile est idem esse & non esse. Hoc. n. negato evertitur tota natura, & nihil erit aliquid, aliquid erit nihil, verum erit falsum, falsum erit verum. Hinc probatur illud principium: Deus est. Hoc modo. Aut Deus est, aut non est. At falsum est, Deũ non esse. Nam sic ea quæ sunt in mundo, aut nullam habuerint causam, aut sibi fuerint causæ. Fieri autem nequit, ut causæ sint expertia. Nam si essent sine causâ, non possent mutari, & non essent composita. At mutari possunt, & mutantur, & sunt composita. Ab aliquo igitur superiore, qui illa mutare & componere potuerit, mutari & composita esse sequitur. Sui quoq; causæ esse nequeunt. Sic enim seipsis essent priora & posteriora. At hoc dato, evertitur primo loco positum principium. Concludimus igitur, Deum esse.*

Quomodo fiat deductio ad impossibile per primũ principium.

Cap. 43. De principio primo complexo practico immediato.


PRincipium primum complexum in practicis est vel absolutum; ut, Omne bonum est faciendum, & malum est fugiendum: vel relatũ, ut, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Quum practica in theoreticis fundata sint, rectè diximus & dicimus, theoreticum illud principium præcedenti capite expositum esse simpliciter primum. Veruntamen si practica per se considerentur, etiam habebunt principium aliquod primum. Illud aũt principium morale debet è simplicißimis terminis moralibus constare. Simplicißimi autem termini in practicis sunt bonum & malum, Deus & homo. Nam actiones morales versantur circa bonum & malum, itemq; Deum & hominem. Eapropter principium primum practicum complexum ex illis constituendum est terminis. Dices igitur, hoc esse primũ absolutum,* Omne bonum est faciendum, & malum est fugiendũ: *& hoc esse primum respectivum:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *In illo boni & mali, in hoc Dei (implicitè), hominis (explicitè), fit mentio: & hominis quidem cùm illius, qui agit, tum illius, quî cum aliquis agit. Primum illud dicimus absolutum, secundum, relatum. Meritò. Nam virtus consideratur vel in se, ut est talis formaliter, vel relatè, quatenus refertur ad hominem, quem scriptura vocat proximũ. Sic v.g. fortitudo vel refertur ad alium, id est, ad proximum, vel consideratur in forti. Ibi probatur, virtuti isti, videl. fortitudini, esse studendũ, per hoc principiũ:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Hîc, quatenus fortitudo consideratur in forti, probatur ei esse studendum; per hoc principium:* Omne

Principium primum practicum.

Virtus consideratur duobus modis.

bonum est faciendum, & malum est fugiendum. *Cæterùm in historiis est, quòd Alexander Severus Cæsar & Imperator tanti fecerit hoc dictum,* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *ut quotidie in castris altâ voce jusserit præcini militibus. Quum idem edoctus esset, Christum hujus dicti authorem celebrari, curavit illi statuam erigi in Capitolio.*

Egregium facinus Alexandri Severi.



Cap. 44. De principiis primis, complexis, mediatis.

EXposita sunt principia prima complexa immediata, *quæ oriuntur ex incomplexorum immediatorum, entis scilicet & boni, dispositione*: Sequuntur complexa mediata, quæ oriuntur ex dispositione complexorum mediatorum.

Istorum principiorum considerabimus tùm dispositionem, tùm usum.

Dispositionis ratio petenda est è superioris cap.41. alphabeto Lulliano. *Hâc de re talis apud Lullium est regula*: Unum principium illius alphabeti attribuitur alteri. *Fiant igitur combinationes literarum, hoc modo:*

Cameræ principiorũ.

BC.	*CD.*	*DE.*	*EF.*	*FG.*	*GH.*	*HI.*	*IK.*
BD.	*CE.*	*DF.*	*EG.*	*FH.*	*GI.*	*HK.*	
BE.	*CF.*	*DG.*	*EH.*	*FI.*	*GK.*		
BF.	*CG.*	*DH.*	*EI.*	*FK.*			
BG.	*CH.*	*DI.*	*EK.*				
BH.	*CI.*	*DK.*					
BI.	*CK.*						
BK.							

Hæc


Hæc est tertia figura apud Lullium; quæ composita est ex primâ & secundâ. Prima complectitur prædicata absoluta, secunda respectiva. Itaq; B. in hâc figurâ significat prædicata figuræ primæ & secundæ: & sic de aliis literis. Ipsa autem figura continet cameras XXXVI. Quælibet camera habet multa & diversa significata per duas literas in eâ contentas. Duæ istæ literæ significant subjectum & prædicatum. Sic v. g. B. significat subjectum, quod est Bonitas. Huic subjecto attribuuntur reliquæ literæ, ut patet in schemate. Exemplum habe illud. Bonitatem constitue subjectum, reliqua autem principia sunto loco prædicati.

Ex primâ figurâ		Ex secundâ figurâ	
Bonitas est	*Magna* *Durans* *Potens* *Scibilis* *Amabilis* *Virtuosa* *Vera* *Gloriosa.*	Bonitas est	*Differens* *Concordans* *Contrarians* *Principians* *Medians* *Finiens* *Majorificans* *Coæquans* *Minorificans.*

Sicut Bonitas deducta est: ita & reliqua deducuntur principia.

Usus hujus talis dispositionis est, ut intellectus cum omnibus principiis cognoscat quodlibet principium, ut ad eandem conclusionem multas adducat rationes. Artifex enim per hanc figuram inquirit medium, in quo subjectum & prædicatum conjunguntur. Ita bonitas & magnitudo conjunguntur per concordantiam & reliqua principia, quibus arti- Utilitas artis Lullianæ.

fex conclusionem suam & declarare & demonstrare potest. Nam una camera hujus figuræ non est contra aliam, sed omnes & singulæ conveniunt & veluti concurrunt in conclusione. Et hoc modo intellectus fit valde generalis ad faciendum scientias. Lullius in arte brevi c. 4. *Vis clariùs tibi dicam? Quoties offertur tibi conclusio probanda, eam deduc per principia hujus artis. V. g. Scriptura est supra Ecclesiam. Hoc probatur per principia hujus figuræ. Utrumq; enim extremum, Scriptura scilicet & Ecclesia, deducendum est per hujus figuræ principia. Ita enim disputandum est, ut principia maneant illæsa. Neq; verò est, quòd quis utatur his ipsis terminis in disputatione. Sunt enim illi inventi, ut juvent discurrentem seu disputantem, qui Latinus erit, ut possit circumloqui barbaros istos terminos.*




Cap. 45. De principiis ortis.

Pricinpium ortum.

SIc de principiis primis: orta sunt, quæ è primis oriuntur. *Talia sunt principia omnia particularia, quæ in specialibus disciplinis & facultatibus occurrunt. Hæc dicuntur principia orta. Principia quidem: quia in eâ facultate, cujus sunt propria, habentur pro principiis. Orta verò: quia si conferantur cum primis principiis, principiata potiùs & conclusiones, quàm principia dicenda sunt. Sic v. g. punctum, linea, superficies in Geometriâ sunt principia prima: sed ratione primorum principiorum sunt orta. Sic & hoc est principium in Mathesi:* Quæ uni tertio conveniunt, inter se conveniunt: *sed ratione primorum principiorum est conclusio.*

Cap. 46.



Cap. 46. De conclusionibus.

SIc de notitiis primis, sive principiis: jam de secundis, quæ dicuntur conclusiones.

Conclusio est quæ deducitur è principio cognitionis complexo. **Conclusio est**

Eaq; vel est pura, vel mixta.


Conclusio pura est, quæ semper est conclusio, nullo autem modo potest esse principium: *ut*, Socrates est philosophus. **Pura**

Conclusio mixta est, quæ ita est conclusio, ut etiam possit esse principium: ut, Deus est. *Hoc pronuntiatum est conclusio, si deducatur ex primo illo principio*; Impossibile est, idem esse & non esse. *Sed est principium, si in Theologiâ consideretur. Eadem ergo est ratio conclusionis mixtæ, quæ est generis subalterni in Logicis. Id enim respectu superioris est species, respectu inferioris est genus.* **vel Mixta.**

Utraq; conclusio, *& pura, & mixta*, est vel libera, vel digesta. **Conclusio est**

Conclusio libera est, quæ consideratur extra systema vel dispositionem quamlibet: *ut, justitia est vel universalis, vel particularis.* **Libera**

Digesta est, quæ consideratur in contextu, puta, oratione, libro, vel systemate aliquo methodico: *quales sunt conclusiones Ethicæ, Politicæ, OEconomicæ.* **vel Digesta,**



Cap. 47. De Scholâ Gratiæ.

Schola Gratiæ.

HActenus de Scholâ Naturæ; sequitur Schola Gratiæ.

Schola Gratiæ est principium cognoscendi, ubi docemur naturalia pleniùs, & insuper supernaturalia.

Schola Gratiæ hîc à nobis tractatur in genere, quatenus quilibet Christianus philosophus eam debet frequentare. Nam infrà in specie præcipiemus fusiùs de Scholâ Gratiæ, quatenus Theologus eam frequentat. Ad hæc tradimus principia communia omnibus omnino facultatibus. Sanè JCtus æquè in suis disputationibus debet respicere cynosuram S. literarum, atque Theologus: æquè debet meminisse, se esse Christianum, atque Theologus. O utinam hodie id perpenderent philosophi, JCti & Medici! Putant boni illi viri, sacram Scripturam esse principium cognoscendi Theologicum: ideoque committi μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, si illi sequantur præscriptum S. literarum. Considerare debebant, scripturam considerari communiter & singulariter. Communiter, *quatenus omnes & singuli Christiani illi operam dare debent.* Singulariter, *quatenus Theologi cumprimis illius studio sese addicere debent. Scriptura communiter considerata & naturalia pleniùs tradit, & supernaturalia naturalibus adjicit. Itaque homo & quà homo, & quà Christianus, illius normam sequi debet.*

Scriptura sacra consi-ratur Communiter & Singulariter.

In Scholâ Gratiæ (*consuetâ methodo*) considerantur Subjectum, Objectum & Medium.

Sub-

Subjectum, quod discit, est homo Christianus. Christianus informatur in Scholâ Gratiæ.

In Scholâ Naturæ subjectum est homo, qua homo, constitutus intra terminos naturæ. At in Scholâ Gratiæ homo quà Christianus est discipulus, evectus scilicet supra naturæ terminos.

Objectum, circa quod versatur Christianus, est liber Scripturæ.

Liber Scripturæ est vel parvus, vel magnus. Liber Scripturæ Parvus & Magnus.

Liber Scripturæ parvus est Catechismus, compendium religionis per quinq; capita Catechetica.

Liber Scripturæ magnus est Testamentum, sive Instrumentum vetus & novum.

Sicuti Deus Opt. Max. dedit duplicem librum Naturæ, magnum & parvum mundum: ita & dedit duplicem librum Scripturæ, magna & parva Biblia.

Uterq; liber consideratur communiter, vel singulariter.

Communiter consideratur, quatenus circa eum occupari debet Christianus in communi. *Ita hoc in loco à nobis consideratur. Nam philosophus Christianus æquè debet sequi normam Bibliorum parvorum & magnorum, atq; Theologus. Hoc enim interest inter philosophiam Christianam, & gentilem illam.*

Singulariter consideratur, quatenus circa eum occupari debet hic Christianus, putà Theologus. *Ita considerabitur à nobis infrà, ubi tractabimus de principiis Theologicis.*

Mediũ, quo utitur Christianus occupatus circa librũ scripturæ, est tùm fides, tùm notitia.

Fides est lumen supernaturale infusum.

Fides est lux illa supernaturalis, quâ mediante Christianus cognoscit principia supernaturalia.

Iccirco ut philosophi, JCti, Medici, & Theologi rectè tùm doceant tùm discant, requiritur lux illa. Sicut enim intellectus non cognoscit naturalia sine luce congenitâ: ita nec cognoscit supernaturalia sine luce superadditâ. Neq; enim scimus principia illa supernaturalia, sed credimus. Nam scire est rem per causas cognoscere. Notitia est vel principium, vel conclusio supernaturalis: *ut, Deus est unus & trinus; Virgo peperit.* Atq; hæc hoc loco præcipienda nobis fuerunt de Scholâ Gratiæ.

Cap. 48. De alphabeto philosophiæ theoreticæ.

TAlis est Archelogia generalis, de principiis, quæ omnibus disciplinis sunt communia: sequitur specialis.

Specialis est vel particularis, vel propria.

Archelogia Particularis

Particularis est, quæ tradit principia partiũ præcipuarum Encyclopædiæ: *quales sunt, philosophia theoretica, practica, & poëtica: itemq; Juridica, Medica, & Theologica.*

& Propria.

Propria est, quæ cujusq; disciplinæ tradit principia; *putà Geometriæ, Logicæ. Hæc non est hujus loci, sed pertinet ad præcognita cujusq; disciplinæ. Illi enim, qui aliquam disciplinam explicandam suscipiunt, necesse habent ejus principia præcognoscere, id est, illa κεφαλαιωδῶς in præcognitis illius disciplinæ colligere. Ita v.g. explicaturus Arithmeticam, in præcognitis Arithmeticis debet meminisse præcipuorum prin-*

principiorum Arithmeticorum. Nos deinceps persequemur archelogiam particularem, propriam illam cujusvis disciplinæ professori tractandam relicturi.

Archelogia igitur particularis explicat principia quatuor summarum facultatum, ut vulgò vocant. *Hanc archelogiam vocamus alphabetũ particulare, ut archelogiam generalem vocavimus alphabetum generale.* Quatuor illæ facultates sunt, Philosophica(*strictè sumto vocabulo*)Juridica, Medica, & Theologica. Philosophia est theoretica, practica, vel poëtica.

Philosophiæ theoreticæ archelogia sive alphabetum particulare continet subjectũ, objectum, & media. Tria ista in quolibet cujuslibet facultatis alphabeto considerandasunt. **Philosophię theoreticæ alphabetũ.**

Subjectum philosophiæ theoreticæ est homo, quoad ingenium theoricum.

Ingenium theoreticũ est, quo homo aptus natus est ad percipiendos habitus intellectuales, qui sunt, intelligentia, sapientia, & scientia: *de quibus in hexilogiâ.* Aptitudo ista est in principiis naturalibus, & adventitiis. Principia naturalia theorica sunt vel prima, vel orta. Prima sunt intellectus theoreticus, & voluntas, quâ acquiescimus in cognitis. Orta sunt notitiæ illæ speculativæ, quæ dirigunt nos in cognitione veri. Suntq; Metaphysicæ, Physicæ, & Mathematicæ. Adventitia principia sunt duo cumprimis, assuefactio ad habitus theoricos, & disputatio. *Hîc in Metaphysicis ratio, in physicis authoritas & experientia prævalet, in Mathematicis ratio.* Objectum sunt τὰ θεωρητὰ, id est, ea omnia, quæ cadunt sub contemplationem. **Ingenium theoreticũ.**

Tres conditiones τῶν θεωρητῶν.

Θεωρητὰ ſunt, quæ ſunt neceſſaria, id eſt, ſupra hominum operam & fabricam poſita.

Illorum tres ſunt conditiones.

1. Ut ſint reverâ in rerum naturâ.

2. Ut habeant propria accidentia & effecta.

3. Ut habeant principium & cauſas, quibus propria & effecta de illis demonſtrentur.

Hinc fit, ut tria ſint præcognoſcenda in diſciplinis theoricis, videlicet ſubjectum, propria, & principia.

Θεωρητὰ igitur ſunt ὁ θεὸς καὶ τὰ θεοῦ, id eſt, Deus & quæ à Deo, τὰ κτιςά.

Media hîc duo ſunt ſingularia, Admiratio & Tempus matutinum.

Admiratio eſt internum incitamentum, quod impellit ad rerum theoreticarum contemplationem.

Tempus matutinum eſt aptiſſimum diſciplinarum theoreticarum tractationi. *Hinc Ariſtoteles quas ſub emerſum Solis habebat lectiones theoreticas, vocabat* ἑωθινὰ *ſtudia.*

Studia ἑωθινὰ apud Ariſtotelē.

Cap. 49. De alphabeto philoſophiæ practicæ.

Philoſophię practicæ alphabetum.

Alphabetum philoſophiæ practicæ continet generalia, quæ concurrere debent in vitâ practicâ.

Continet Subjectum, Objectum, & Media.

Subjectum eſt homo, quoad mentem practicam.

Mens

Mens practica est, quâ homo aptus est ad sectandum & consequendum bonum practicum seu morale.

Aptitudo illa complectitur *præter generalem illam, de quâ suprà in genere,*

I. Intellectum practicum; *radicaliter liberum.* Intellectus practicus.

II. Voluntatem; *formaliter liberam: quæ intellectus imperantis jussa vel prosequitur, vel exequitur: ita ut non necesse sit statuere tertiam animæ facultatem, videl. potentiam agendi. Entia enim sine manifestâ necessitate non sunt multiplicanda.*

III. Libertatem & subjectionem. *Sunt enim hîc personæ superiores & inferiores.*

IV. Felicitatem & infelicitatem. *Hic enim est finis philosophiæ practicæ.*

Hîc paucis explicare necesse habeo, quî libertas resideat in intellectu & voluntate: quum unum numero accidens non possit esse in duobus numero subjectis. Res ita habet. Libertas est præstantissimum hominis donum. Residet igitur in præstantissimâ animæ facultate, videlicet intellectu. Et quum intellectus formaliter cognoscat, sanè libertas ei priùs tribuitur, quàm voluntati. Voluntas enim formaliter non cognoscit, sed quatenus intellectum supponit. Nihil namque est in voluntate, quod antè non fuerit in intellectu. Hinc voluntas definitur desiderium boni cum ratione. Vocatur etiam appetitus intellectivus seu rationalis. Libertas igitur, sive sit contrarietatis sive contradictionis (alii vocant specificationis & exercitii) est in intellectu, ut principe dirigente & decernente: est in voluntate, ut exequente: est in homine, ut

Libertatis δεκτικὸν quodnam sit.

adæquato agente. Alii dicunt: libertas est in intellectu originaliter & radicaliter, in voluntate formaliter: alii rectiùs: libertas est in intellectu formaliter & radicaliter, in voluntate participativè & per concomitantiam.

Cæterùm ut subjectum practicum, homo scilicet, possit edere operationes practicas, tributa sunt ei principia practica. Petrus Titus lib. Nat. p. 49. Principia practica sunt vel interna, vel externa.

Principia interna sunt prima, vel orta.

Principia interna prima sunt illa naturalia justitiæ semina homini à primâ creatione indita, ut horum culturâ consequatur perfectum Justitiæ habitum.

Suntq; in viribus hominis practicis, tùm superioribus, tùm inferioribus.

Vires superiores sunt intellectus practicus, & voluntas. In intellectu practico est 1. Judicium, *quo bonum practicũ partim cernimus, partim discernimus.* 2. Consilium, *quo modum & media bono illi adipiscendo concernimus & discernimus.*

Intellectus practicus quî differat à theoretico.

Intellectus practicus à theoretico non differt nisi fine. Arist. 3. de anima. Scalig. exer. 307. s. 23. *Et intellectus practicus atq; theoreticus principia universalia habent communia.* Namq; *ubi factum est, ut intelligam, conjunctionem humanam esse viam ad beatitudinem, & inveni justitiam ejus conservatricem, ex speculativo activus fio. Itaq; ago, quæ pertinent ad justitiam.* Scal. d. ex. s. 31. *Appetitus autem est principium practici intellectus, id est, motor practicæ dianœæ. Movetur autem intellectus theoreticus ab obje-*

objecto, in quo quiescit. Appetitum verò movet ad se objectum ipsum. Et tunc phantasia non movet sine appetitu. Non omnis verò voluntatis motus foràs fertur; sed in eo tantùm actu, quem vocant elicitum. Intus autem remanet, quoties objectum est intus. e.g. quum vult intellectus ratiocinari. Quamobrem promotio illa, quam dicimus foràs ferri, non ita exit, ut rem semper extra hominem quærat. Sed quum exit ab intellectione simplici, atque extendit sese ad aliquid agendum etiam intus. In primo genere sunt actiones civiles, quæ prudentiæ ambitu continentur. Cujus administræ sunt artes, quas specialiter sic vocant. In eodem genere, alio tamen & modo & gradu, censentur illa, quæ non tàm πρακτικαὶ quàm ποιητικαὶ nominantur. Et priorum quidem finis, opera: posteriorum verò harum finis, opus. Omnes ergo fines hi extra hominem. Sunt autem in secundo genere, putà poëticis, quædam, quæ extra contemplationem quidem sese extendunt; extra hominem haut semper exeunt: ut ars ratiocinandi. Ei namque non accidit opera exterior, sed intus secum, in seipso, ad sese, pro semet, potest homo facere syllogismum. Speculativum igitur, & activum, sunt accidentales differentiæ intellectus: sed sunt formales differentiæ habituum. Quia intellectus non differt à seipso essentiâ diversâ, cum intelligit primò, & cùm intelligendo promovet se ad velle: atque inde ad agendum. Sed habitus sunt, essentia non una, diversi: quia diversa forma est, intelligendi, & agendi. Ex quibus manifestum est: potentias ipsas intellectus accidentales distingui fine, sicuti dicebamus ex Aristotele: habitus verò non fine solo, sed formâ quoque, ut dicimus è Scaligero. Quoniam finis idem est intellectus & voluntatis,

Actus voluntatis elicitus quis sit?

Artium seu disciplinarũ poëticarum duplex genus.

putà sanitas. At forma, sive modus distinguit. Sanè intellectio, ut cognoscat per speciem: volitio, seu voluntatis actio, ut consequatur rem post speciem, & cum specie conjungat. Est ergo movens, non motum, objectum. Motum, non movens, corpus animalis ad agendum. Motum & movens, appetitus.

In voluntate est 1. Intentio boni, seu finis. *Boni, inquam, ab intellectu agniti, tùm expetendi, tùm consilia intellectus exequendi.* 2. Impulsio ad bonum. *Impulsio ista est imperium quoddam voluntatis in affectus & vires motrices ad exequendum recta intellectus consilia. Voluntatis autem actiones multos habent gradus.* Scal. exer. 307. s. 23. *Permissio, est signum remissæ voluntatis. Si quis verò dissuadet, & possit cogere: id quoq; remissi animi nota est. Si non possit cogere, est integris viribus voluntas. Faceret enim ipse, si aut deberet, aut posset. Argumentum verò efficacis voluntatis est, ubi gnaviter in id, quod volumus, incumbimus. Gnavi sumus, si nullis inhibemur difficultatibus. Sicuti cùm impensè nolumus, cognoscitur id per operam prohibentis.*

Actiones voluntatis multos habent gradus.

Vires inferiores practicæ sunt appetitus & locomotiva.

In appetitu est vis congenita affectandi bona juxta jussum voluntatis: *& in* irascente *quidē est naturalis appetitus boni, quâ gloriosum est, & aversatio mali, quâ ignominiosum est: in* concupiscente *verò est appetitus boni jucundi, cum voluptate juncti, & aversatio mali insuavis, cum dolore juncti.*

In locomotiva est vis movendi ad bonum juxta imperium voluntatis. *Vis illa movendi est duplex, tùm interna, cogitandi, tùm externa, loquendi, gesticulandi, & efficiendi.* Prin-

Principia practica interna orta sunt notitiæ illæ practicę, quas amplectitur intellectus sine ullâ institutione aut probatione, nativâ proprietate. *Hæc principia quatenus norma sunt actionum moralium, monstrantq; discrimen honestorum & turpium, vocantur lex naturæ: i. e. ejusmodi lex, quam homo non discit institutione, non accipit à magistro aut magistratu, sed ex ipsâ naturæ suæ & intellectionis proprietate. Vocantur etiam dictamen rectæ rationis: de quo Paulus* 1. Cor. 11. v. 13. 14. 15. *ubi notetur phrasis Paulina*: Annon natura ipsa vos docet? *Habitus horum principiorum vocatur συντήρησις. Vide hexilogiam.*

Lex naturæ quid sit?

Principia practica externa sunt, per quæ interna ad suos habitus perducuntur.

Ea veniunt nomine Institutionis practicæ, cujus membra sunt, Institutio quæ fit vel domi, vel peregrè, & Disciplina. Illam vocamus modum docendi, hanc modum implendi.

Modus docendi est, quo inferioribus innotescit à superioribus, quid fiet utile, quid non, ac proinde quid faciendum, quid fugiendum.

Modi docendi sunt numero novem:

Estq; vel objectivus, vel effectivus.

Objectivus est, quando quis docet proprio exemplo & vitâ honestâ. *Dicitur etiam modus docendi consequutivus. Hic debet esse omnium primus. Absq; eo enim si est, frustra est omnis institutio, omnis disciplina. Hinc dicunt*: Qui bene docet, & malè vivit, id quod unâ extruxit manu, destruit alterâ.

1. Honesta vita, seu bonum exemplum.

Modus docendi effectivus est, quando

putà sanitas. At forma, sive modus distinguit. Sanè intellectio, ut cognoscat per speciem: volitio, seu voluntatis actio, ut consequatur rem post speciem, & cum specie conjungat. Est ergo movens, non motum, objectum. Motum, non movens, corpus animalis ad agendum. Motum & movens, appetitus.

In voluntate est 1. Intentio boni, seu finis. *Boni, inquam, ab intellectu agniti, tùm expetendi, tùm consilia intellectus exequendi.* 2. Impulsio ad bonum. *Impulsio ista est imperium quoddam voluntatis in affectus & vires motrices ad exequendum recta intellectus consilia. Voluntatis autem actiones multos habent gradus.* Scal.exer. 307.s.23. *Permißio, est signum remissæ voluntatis. Si quis verò dissuadet, & poßit cogere: id quoq; remißi animi nota est. Si non poßit cogere, est integris viribus voluntas. Faceret enim ipse, si aut deberet, aut posset. Argumentum verò efficacis voluntatis est, ubi gnaviter in id, quod volumus, incumbimus. Gnavi sumus, si nullis inhibemur difficultatibus. Sicuti cùm impensè nolumus, cognoscitur id per operam prohibentis.*

Actiones voluntatis multos habent gradus.

Vires inferiores practicæ sunt appetitus & locomotiva.

In appetitu est vis congenita affectandi bona juxta jussum voluntatis: *& in* irascente *quidē est naturalis appetitus boni, quâ gloriosum est, & aversatio mali, quâ ignominiosum est: in* concupiscente *verò est appetitus boni jucundi, cum voluptate juncti, & aversatio mali insuavis, cum dolore juncti.*

In locomotiva est vis movendi ad bonum juxta imperium voluntatis. *Vis illa movendi est duplex, tùm interna, cogitandi, tùm externa, loquendi, gesticulandi, & efficiendi.* Prin-

Principia practica interna orta sunt notitiæ illæ practicę, quas amplectitur intellectus sine ullâ institutione aut probatione, nativâ proprietate. *Hæc principia quatenus norma sunt actionum moralium, monstrantq; discrimen honestorum & turpium, vocantur lex naturæ: i. e. ejusmodi lex, quam homo non discit institutione, non accipit à magistro aut magistratu, sed ex ipsâ naturæ suæ & intellectionis proprietate. Vocantur etiam dictamen rectæ rationis: de quo Paulus* 1. Cor. 11. v. 13. 14. 15. *ubi notetur phrasis Paulina*: Annon natura ipsa vos docet? *Habitus horum principiorum vocatur συντήρησις. Vide hexilogiam.*

Lex naturæ quid sit?

Principia practica externa sunt, per quæ interna ad suos habitus perducuntur.

Ea veniunt nomine Institutionis practicæ, cujus membra sunt, Institutio quæ fit vel domi, vel peregrè, & Disciplina. Illam vocamus modum docendi, hanc modum implendi.

Modus docendi est, quo inferioribus innotescit à superioribus, quid siet utile, quid non, ac proinde quid faciendum, quid fugiendum.

Modi docendi sunt numero novem:

Estq; vel objectivus, vel effectivus.

Objectivus est, quando quis docet proprio exemplo & vitâ honestâ. *Dicitur etiam modus docendi consequutivus. Hic debet esse omnium primus. Absq; eo enim si est, frustra est omnis institutio, omnis disciplina. Hinc dicunt:* Qui bene docet, & malè vivit, id quod unâ extruxit manu, destruit alterâ.

1. Honesta vita, seu bonum exemplum.

Modus docendi effectivus est, quando

quis vivâ voce, vel etiam ſcripto docet practica.

Eſtq; vel Informatio intellectus, vel Confirmatio voluntatis.

Informatio intellectus eſt, quâ is informatur tùm præceptis, tùm exemplis practicis ad dexteritatem cùm judicandi, tùm conſultandi.

Hîc excellit inſtituendi conſilii γυμνασία. Conſilii inſtituendi γυμνασία eſt duplex, generalis, & ſpecialis. In genere de conſilio & ratione conſultandi docet Logica, ut fusè & eruditè oſtendit Keckerm. in Logic. ſpeciali. *In ſpecie autem de conſultatione tractat philoſophia practica.*

Informatio illa eſt vel Narratio, vel Conceſſio.

2 Commemoratio. Narratio eſt commemoratio, vel præmonitio.

Commemoratio eſt, quâ narratur aliquid eſſe vel non eſſe, poſſe eſſe vel non poſſe.

3 Præmonitio. Præmonitio eſt, quâ ſuperior narrat, quid agere vel intermittere poſſit.

Hîc ab inferioribus requiritur fides, quam narratis habere debent.

4 Conceſſio. Conceſſio eſt, quâ ſuperiores aliquid liberum concedunt arbitrio inferiorum.

Hîc inferiores honeſtè uti debent libertate illâ, diſcernendo inter res medias, & non-medias.

Confirmatio voluntatis eſt, quâ voluntas inferiorum confirmatur ad conſtantiam urgendi intellectus conſilia.

Ejus

Ejus conſiderantur communes affectiones, & ſpecies.

Communes affectiones duæ ſunt, ſimplicitas, & conditio.

Simplicitas eſt, quando categoricè & purè, ſine conditione aliquid docetur.

Conditio eſt, quando hypotheticè aliquid docetur.

Iſta conditio eſt vel expreſſa, vel ſubintellecta.

Expreſſa: *ut, Si hoc feceris, præeris familiæ.*

Subintellecta: *ut ſi princeps dicat apparitori, Significa cras ſubditis hoc vel illud: ubi ſubauditur, niſi aliud tibi dixerim quod ſignifices.*

Species ſequuntur. Confirmatio voluntatis eſt vel legislatio, vel ſanctio.

Legislatio eſt, quâ lex fertur.

Eſtq; præceptio, & interdictio.

Præceptio eſt de faciendis. 5 Præceptio.

Interdictio eſt de fugiendis. 6 Interdictio.

Hîc notandum eſt, præcepta negativa fortiùs ligare, quàm affirmativa. Negatio enim fortiùs negat, quàm affirmatio affirmat. Præcepta negativa obligant & ſemper, & ad ſemper: affirmativa ligant quidem ſemper, ſed non ad ſemper. Armandus de Bello viſu, & Guil. Perkinſ. in armil. aureâ. *Semper obligant, & ad ſemper, i.e. ita ut nullis circumſtantiis immutari poßit ratio præcepti: Semper, ſed non ad ſemper, h.e. ita ut non omni loco, non omni tempore obligent.*

Discrimen inter præcepta negativa & affirmativa.

Sanctio est, quâ legislatio confirmatur.

Estq; promissio, comminatio, vel indulgentia.

7 Promissio. Promissio est de beneficio, quod datur propter officium.

8 Comminatio. Comminatio est de judicio propter maleficium.

9 Indulgentia. Indulgentia est, quando ad res concessas sive liberas nec promissio, nec comminatio additur.

Modi implendi sunt numero quatuor. Modus implendi sequitur, quo superiores sua dicta implent.

Estq; vel permissio, vel executio.

1 Permissio. Permissio est, quâ superiores non impediunt, quod impedire poterant.

Executio est, quâ præstatur legislatæ sanctio.

Estq; beneficium, judicium, vel latio.

2 Beneficium Beneficium est præstatio sanctionis secundùm formulam promissionis.

3 Judicium. Judicium est præstatio sanctionis secundùm formulam comminationis.

4 Latio. Latio est, quâ superiores propter res concessas & indultas nec benefaciunt, nec etiam puniunt. Hoc dicunt ferre, id est, tolerare sine præjudicio utilitatis & existimationis.

Prædicamenta practica. *Hi sunt illi modi implendi, prædicamenta illa practica, in quibus philosophus practicus triumphare potest. Ethica enim præcepta ceu communia per hos docendi implendiq; modos accommodat personis œconomicis, politicis, ecclesiasticis, & scholasticis. Si v. g. velit*

velit ostendere officium patrisfamiliâs, vel præceptoris, dicit illud contineri modis docendi & implendi, quos eo, quem indigitavimus, percurrit ordine.

Hæc de philosophiæ practicæ subjecto: objectum sequitur, videlicet res contingentes, pendentes ab hominis voluntate, ut eas possit producere, vel suspendere. *Græci vocant τὰ πρακτὰ, quæ veniunt communi* Juris & Justitiæ *nomine.*

Media hîc sunt ut supra: nisi quòd tempus pomeridianum ab Aristotele deputatum sit studiis practicis.

Hinc studia practica vocabantur δειλινά. Studia δειλινὰ apud Aristotelem.

Cap. L. De alphabeto philosophiæ poëticæ.

PHilosophiæ poëticæ alphabetum itidem habet Subjectum, Objectum & Media. Alphabetũ philosophiæ poëticæ.

Subjectum est Homo, quoad mentem & ingenium ποιητικὸν, factivum, ex peculiari temperamento dependens.

Hîc sunt principia iterum interna & externa.

Interna sunt tum prima, tum orta.

Principia interna prima sunt in viribus animi superioribus & inferioribus.

In superioribus; *putà in* intellectu, *ubi est* vis *partim* generalis *inveniendi & judicandi τὰ ποιητὰ, i.e. quæ arte produci possunt*; *partim* specialis, *numerandi, mensurandi, ponderandi, fabricandi: & in* voluntate, *ubi est appetitus & proclivitas ad τὰ ποιητά.*

In inferioribus; *putà in* auditu, viſu, & tactu.

Principia orta ſunt notitiæ illæ fabricativæ.

Artes mechanicæ sũt praxis ſcientiarum Mathematicarum.

Artes ſumunt ſua principia è ſcientiis. Scal. ex.307. ſ.31. *Sic navicularius accipit hæc principia ex aliis ſcientiis. Omnis pinus, quercus, abies, fluitat: omnis clavus coërcet duo disſita, ſi firmâ ex materiâ ſit, ſi ritè adigatur omnis ſubſcus cohibet compaginem: omnis ſtuppa obturat rimas: omnis pix prohibet aquam ſubire ligna, eaq; putreſcere. Scientia & ars fine tantùm differunt, non principiis. Habent enim principia univerſalia communia. Fine, inquam, tantùm differunt: quia ſingularibus terminatur ars.*

Scientia & ars quî differant.

Principium externum eſt aſſuefactio ad habitus poëticos.

Objectum ſunt res factibiles: eæq; tùm liberales, tùm mechanicæ.

Hinc artes ſunt liberales, vel mechanicæ.

Media ſuprà tradita facilè huc ſunt applicabilia. *Nominatim excellunt hîc analyſis & geneſis.*

Cap. 51. De Alphabeto Juridicæ facultatis.

Alphabetũ Juridicæ facultatis.

ALphabetum Juridicum continet Subjectum, Objectum, & Medium.

Subjectum eſt perſona jure ad juſtitiam obligata: cui obligationi ut reſpondeat, tributa ſunt ei principia practica, tùm interna, tùm externa, *quæ ſuprà ſunt enarrata.*

Obje-

Objectum, circa quod omnis de Jure quæstio versatur, aut in Personis est, aut in Rebus aut in Factis, vide lib. 13. Bibliothecæ selectæ Antonii Possevini. Objectum Jurisprudentiæ.

Medium præter generalia hîc est duplex: Lectio librorum Juris, & Exercitatio crebra atq; vehemens.

Libri Juris sunt vel authentici, vel non. Partitio librorum Juris.

In authenticis excellit Jus Romanum, quo multi populi utuntur. Cl. Pacius in suâ Isagoge.

Non-authentici sunt varii, de quibus Possevinus d. l. *De jure Romano hîc pauca dicere necesse habeo, ex* Isagoge Pacii, Alberici Gentilis disputationibus de libris Juris Canonici & Civilis, & Antonii Possevini l. 13 biblioth. selectæ. Itaq; Jus Romanum est partim civile seu Cæsareum, quod *ab imperiali majestate pendet*; partim Canonicum seu Pontificium, *quod pontificiâ authoritate nititur.*

Jus civile *à Justiniano Imperatore in tria redactum est volumina: primum Institutionum, quo Juris epitome isagogica continetur: alterum Digestorum seu Pandectarum, quod ex veterum JCtorum libris est compositum: tertium Codicis, quo Impp. constitutiones continentur, exceptis ipsius Justiniani Novellis, non uno tempore post compositionem Codicis promulgatis, quæ in unum volumen à nescio quo relatæ fuerunt. His subjungi solent consuetudines feudales à privatis quibusdam Dd. literis mandatæ.* Jus civile continetur Institutionibus Digestis Codice & Novellis.

In inferioribus; *putà in* auditu, viſu, *&* tactu.

Principia orta ſunt notitiæ illæ fabricativæ.

Artes mechanicæ sūt praxis ſcientiarum Mathematicarum.

Artes ſumunt ſua principia è ſcientiis. Scal. ex.307. ſ.31. *Sic navicularius accipit hæc principia ex aliis ſcientiis. Omnis pinus, quercus, abies, fluitat: omnis clavus coërcet duo disſita, ſi firmâ ex materiâ ſit, ſi ritè adigatur omnis ſubſcus cohibet compaginem: omnis ſtuppa obturat rimas: omnis pix prohibet aquam ſubire ligna, eaq; putreſcere. Scientia & ars fine tantùm differunt, non principiis. Habent enim principia univerſalia communia. Fine, inquam, tantùm differunt: quia ſingularibus terminatur ars.*

Scientia & ars quî differant.

Principium externum eſt aſſuefactio ad habitus poëticos.

Objectum ſunt res factibiles: eæq; tùm liberales, tùm mechanicæ.

Hinc artes ſunt liberales, vel mechanicæ.

Media ſuprà tradita facilè huc ſunt applicabilia. *Nominatim excellunt hìc analyſis & geneſis.*

Cap. 51. De Alphabeto Juridicæ facultatis.

Alphabetū Juridicæ facultatis.

ALphabetum Juridicum continet Subjectum, Objectum, & Medium.

Subjectum eſt perſona jure ad juſtitiam obligata: cui obligationi ut reſpondeat, tributa ſunt ei principia practica, tùm interna, tùm externa, *quæ ſuprà ſunt enarrata.*

Obje-

Objectum, circa quod omnis de Jure quæstio versatur, aut in Personis est, aut in Rebus aut in Factis, vide lib. 13. Bibliothecæ selectæ Antonii Possevini. Objectum Jurisprudentiæ.

Medium præter generalia hîc est duplex: Lectio librorum Juris, & Exercitatio crebra atq; vehemens.

Libri Juris sunt vel authentici, vel non. Partitio librorum Juris.

In authenticis excellit Jus Romanum, quo multi populi utuntur. Cl. Pacius in suâ Isagoge.

Non-authentici sunt varii, de quibus Possevinus d.l. *De jure Romano hîc pauca dicere necesse habeo*, ex Isagoge Pacii, Alberici Gentilis disputationibus de libris Juris Canonici & Civilis, & Antonii Possevini l.13 biblioth. selectæ. *Itaq;* Jus Romanum est partim civile seu Cæsareum, quod *ab imperiali majestate pendet*; partim Canonicum seu Pontificium, *quod pontificiâ authoritate nititur.*

Jus civile *à Justiniano Imperatore in tria redactum est volumina: primum Institutionum, quo Juris epitome isagogica continetur: alterum Digestorum seu Pandectarum, quod ex veterum JCtorum libris est compositum: tertium Codicis, quo Impp. constitutiones continentur, exceptis ipsius Justiniani Novellis, non uno tempore post compositionem Codicis promulgatis, quæ in unum volumen à nescio quo relatæ fuerunt. His subjungi solent consuetudines feudales à privatis quibusdam Dd. literis mandatæ.* Jus civile continetur Institutionibus Digestis Codice & Novellis.

Sed non solùm Jure civili *hodie utuntur in foro, sed etiam* Pontificio, *quod Romanos Pontifices habet authores. Aliàs dicitur* Canonicum. *Hoc jus sæpe Civili prævalet, è cujus tamen fundamentis est sumtum, & ad imitationem ejus conscriptum est. Nam Decretum Pandectis, Decretales Codici proportione quâdam respondent. Ut enim in Codice Imperiales, ita in* Decretalibus *Pontificiæ constitutiones continentur: & ut responsa parentum, seu JCtorum, in Digesta: ita Patrum placita in* Decretum *relata sunt. Decretales igitur epistolæ sunt cõstitutiones summorum, quos vocant, Pontificum, quæ vim legis habent. Hæ diversis temporibus conditæ, certis quibusdã voluminibus sunt conclusæ. Decretalium igitur aliæ sunt Gregorianæ, aliæ Bonifacianæ aliæ Clementinæ, aliæ Extravagantes.* Gregorianas *vocant, quæ jussu Gregorii Pontificis à Raymundo Capellano & Pœnitentiario in unum volumen, & in congruos titulos sunt digestæ, ab eodemq; Pontifice approbatæ sunt. Hæ* ἐξοχῇ *quâdam vocantur Decretales.* Bonifacianas *vocant, quæ Bonifacii Pontificis mandato per Guilelmum Archiepiscopum Ebrundunensem, Berengarium Episcopum Biterenensem, & Richardum Vicecancellarium recognitæ, & in sextum Decretalium relatæ sunt. Sextus dicitur, quia quinq; libris Gregorianis adjicitur.* Clementinas *verò Clemens quintus edidit magnâ ex parte in Concilio Viennensi: Johannes autem XXII. ejus in Papatu sucessor in unum volumen redegit.* Extravagantes *dicuntur novæ Pontificum constitutiones, quæ extra tria illa volumina quodammodo vagantur. Nam posteriores authores vocabant Extravagantes, quas veteres nomi-*


Jus Canonicum seu Pontificiũ continetur Decreto & Decretalibus, quæ sunt

Gregorianæ

Bonifacianæ

Clementinæ & Extravagantes.

nominabant Novellas, Græcè νεαρὰς. Sunt autem aliæ Extravagantes Johannis XXII. aliæ, quæ vocantur communes, diversorum Pontificum.



Cap LII. De Alphabeto Medicæ facultatis.

ALphabetum Medicæ facultatis continet itidem Subjectum, Objectum, & Medium.


Subjectum est homo, qui aptus natus est ad evolvendum Medicinæ librum.

Liber Medicinæ est I. Firmamentum, seu cœlum. Paracels. in labyrinth. medic. cap.2. II. Liber anatomiæ majoris, *qui docet proprietates & vires mundi majoris.* III. Liber Alchymiæ, *qui docet separare purum ab impuro.* IV. Liber Experientiæ. V. Liber anatomiæ minoris, *qui docet proprietates mundi minoris.* VI. Liber variæ lectionis. Liber Medicinæ.

Objectum est homo, partim sanus, partim æger.

Triplex philosophi faciunt objectum; informationis, tractationis, & usus. Homo in Medicinâ potest triplici illo modo considerari. Triplex objectum apud philosophos.

Medium est assuefactio crebra, *cujus partes petere licet è generali mediorum theoriâ.*



Cap. LIII. De Alphabeto SS. Theologiæ.

SUperest alphabetum sacrosanctæ Theologiæ, quod item complectitur Subjectum, Objectum &, Media. Alphabetũ SS. Theologiæ.

Subjectum est homo, qui S. literas docere debet, vel in Ecclesiâ, vel in Scholâ.

Christianus consideratur in Communi & Particulari.

Christianus consideratur vel in communi, vel in particulari. In communi, *quatenus est vel novitiolus, ut Tertullianus vocat, vel adultus. Ita debet omnis Christianus evolvere S. literas. In* particulari, *quatenus est in hoc vel illo, ut vocant, vitæ statu. Sic Theologus cumprimis debet legere S. literas, quæ sunt principium solidum. Duo autem sunt tractationum Theologicarum genera: unum prolixum, alterũ pressum. Illud est Ecclesiasticum & oratorium, hoc Scholasticum & Dialecticum.* Sadeel in præfat. oper. Theol. *Veritas presso illo genere tutissimè eruitur, involucris autem verborum sæpissimè obruitur. Quemadmodum enim jucundior est adspectus corporis humani, dum & carne vestitum & sanguine suffusum est: si quando tamen ad anatomiam veniendum est, tùm partes singulæ meliusculè dignoscuntur: ita si quis diffusarum tractationum anatomen instituat, quasi digito demonstrabit nervos nævosq́;.*

Duo tractationum Theologicarum genera.

Objectum sunt θεὸς καὶ τὰ θεοῦ, sive, ut alii dicunt, credenda, & facienda.

Objectum Theologiæ.

Scholastici dicunt, objectum Theologiæ est Deus in Nominativo & Genitivo casu. Appositè. Deus nempe, & Dei opera. Augustinus eodẽ sensu tradit, triplex SS. Theologiæ esse objectum, τὰ πιστὰ, τὰ πρακτὰ, τὰ ἐλπιστά. Vide Lamb. Danæum in exposit. Symbol. Apost. *Theologia igitur omnino est habitus mixtus, partim theoreticus, partim practicus. Est enim de sciendis & faciendis. Vide infrà in hexilogiâ.*

Media generalia facilè huic possunt applicari studio. Unum hîc excellit, videl. S. Scriptura.

Sacra Scriptura consideratur communiter, quatenus legenda est ab omni Christiano; & singulariter, quatenus præcipuè legenda est à Theologo. Hoc sensu Scriptura dicitur principium Theologiæ. Theologia.n. suas res desumit ex S. literarum armario. Ut autem pateat, quòd, & quomodo S. Scriptura sit principium Theologiæ: ea quæ suprà sparsim tradita sunt, principiorum requisita, ad scripturam accommodabimus. Sic igitur habe. Omnes disciplinæ sua habent principia quædam, ex quibus firmas rationes & præceptiones deducunt. Geometria enim, Arithmetica, Physica, & reliquæ artes atq; scientiæ omnes ex certis quibusdam principiis totum opus suum extruunt & formāt. Itaq; & Theologia sua habebit principia, neq; in eâ ulla instituetur disputatio de rebus controversis, nisi constet ex quibus principiis firma argumenta, immotæq; rationes duci possint: ut rectè concludit Bellarm. in fine præfat. suorum operum. *Si ergo Theologia sua habet principia, jam quæritur, qualia illa esse debeāt? Debēt esse* 1. Vera. 2. Immediata. 3. Causæ omniū dogmatum. 4. Priora. 5. Notiora. 6. Divina. *Talia debent esse principia Theologica, in quæ omnis discursus Theologicus resolvitur. Videamus singula.*

Sacra Scriptura duob. modis considerat.

Principiorū Theologicorum sex requisita.

I. Principia Theologica debent esse vera. *Nam si non sunt vera, falsa esse necesse est, ac proinde nil, nisi falsū ex iis efficietur.* Arist. post. analyt. l. 1. contex. 10. *Nunquam enim ex falso verum, nisi per accidens colligitur.* l. 2. prior. analyt. c. 2. *e.g. Lapides sunt baptisandi. Infantes Christianorum sunt lapides. Ergo infantes Christianorum sunt baptizandi, Hîc è falso colligitur verum, sed per accidens. Neq; hoc tantùm, sed immutabiliter vera esse oportet. Per quod enim illa, quæ immutabiliter vera sunt,*

Principia Theologica debent esse I Vera.

Subjectum est homo, qui S. literas docere debet, vel in Ecclesiâ, vel in Scholâ.

Christianus considera- tur in Communi & Particulari.

Christianus consideratur vel in communi, vel in particulari. In communi, *quatenus est vel novitiolus, ut Tertullianus vocat, vel adultus. Ita debet omnis Christianus evolvere S. literas. In* particulari, *quatenus est in hoc vel illo, ut vocant, vitæ statu. Sic Theologus cumprimis debet legere S. literas, quæ sunt principium solidum. Duo autem sunt tractationum Theologicarum genera: unum prolixum, alterũ pressum. Illud est Ecclesiasticum & oratorium, hoc Scholasticum & Dialecticum.* Sadeel in præfat. oper. Theol. *Veritas presso illo genere tutissimè eruitur, involucris autem verborum sæpissimè obruitur. Quemadmodum enim jucundior est adspectus corporis humani, dum & carne vestitum & sanguine suffusum est: si quando tamen ad anatomiam veniendum est, tùm partes singulæ meliusculè dignoscuntur: ita si quis diffusarum tractationum anatomen instituat, quasi digito demonstrabit nervos nævosq;.*

Duo tracta- tionum Theologi- carum ge- nera.

Objectum sunt θεὸς ϗ τὰ θεοῦ, sive, ut alii dicunt, credenda, & facienda.

Objectum Theologiæ.

Scholastici dicunt, objectum Theologiæ est Deus in Nominativo & Genitivo casu. Appositè. Deus nempe, & Dei opera. Augustinus eodẽ sensu tradit, triplex SS. Theologiæ esse objectum, τὰ πιστὰ, τὰ πρακτὰ, τὰ ἐλπιστά. Vide Lamb. Danæum in exposit. Symbol. Apost. *Theologia igitur omnino est habitus mixtus, partim theoreticus, partim practicus. Est enim de sciendis & faciendis. Vide infrà in hexilogiâ.*

Media generalia facilè huic possunt applicari studio. Unum hîc excellit, videl. S. Scriptura.

Sacra

Sacra Scriptura consideratur communiter, quatenus legenda est ab omni Christiano; & singulariter, quatenus præcipuè legenda est à Theologo. Hoc sensu Scriptura dicitur principium Theologiæ. Theologia.n. suas res desumit ex S. literarum armario. Ut autem pateat, quòd, & quomodo S. Scriptura sit principium Theologiæ: ea quæ suprà sparsim tradita sunt, principiorum requisita, ad scripturam accommodabimus. Sic igitur habe. Omnes disciplinæ sua habent principia quædam, ex quibus firmas rationes & præceptiones deducunt. Geometria enim, Arithmetica, Physica, & reliquæ artes atque scientiæ omnes ex certis quibusdam principiis totum opus suum extruunt & formãt. Itaque & Theologia sua habebit principia, neque in eâ ulla instituetur disputatio de rebus controversis, nisi constet ex quibus principiis firma argumenta, immotæque rationes duci possint: ut rectè concludit Bellarm. in fine præfat. suorum operum. *Si ergo Theologia sua habet principia, jam quæritur, qualia illa esse debeãt? Debẽt esse* 1. Vera. 2. Immediata. 3. Causæ omniũ dogmatum. 4. Priora. 5. Notiora. 6. Divina. *Talia debent esse principia Theologica, in quæ omnis discursus Theologicus resolvitur. Videamus singula.* Sacra Scriptura duob. modis consideratur. Principiorũ Theologicorum sex requisita.

I. Principia Theologica debent esse vera. *Nam si non sunt vera, falsa esse necesse est, ac proinde nil, nisi falsũ ex iis efficietur.* Arist. post. analyt. l. 1. contex. 10. *Nunquam enim ex falso verum, nisi per accidens colligitur.* l. 2. prior. analyt. c. 2. *e.g. Lapides sunt baptisandi. Infantes Christianorum sunt lapides. Ergo infantes Christianorum sunt baptizandi, Hic è falso colligitur verum, sed per accidens. Neque hoc tantùm, sed immutabiliter vera esse oportet. Per quod enim illa, quæ immutabiliter vera sunt,* Principia Theologica debent esse I Vera.

cognoscimus, illud ipsum immutabiliter esse verum necessum est. Principia enim quia per se talia esse cognoscuntur, magis vera, aut saltem æquè vera esse debent, atq; illa, quæ per principia cognoscuntur. Post.Analyt.l.1.cont.17.& ibid. Zabarella. *Sed Christiana dogmata, quæ sunt immutabiliter vera, per principia Theologica cognoscuntur.* Sibrandus Lubbertus l.1. de principiis Christianorum dogmatum. *Ergo ipsa principia debent immutabiliter vera esse.*

II. Immediata

II. Principia Theologica debent esse immediata. *Nam si medium habent, erunt alia principia priora, & illa rursus si medium habent, erunt alia priora, idq; in infinitum. Sed hoc est absurdum:* l.1. anal. post. cont.10. *Ergo statuimus, principia esse immediata & indemonstrabilia. Deinde, si prima principia (de iis enim nobis est sermo) medium haberent, non essent in ordine prima, neq; verum esset, nihil ante ea esse tale, neq; omnia principiata ad ea reducerentur. Sunt igitur immediata, id est, prima, & indemonstrabilia, ac proinde necessaria. Nulla enim est propositio immediata, quæ non sit necessaria, ac per se, cujus termini non necessariò cohæreant.* Post.analyt. l.1. cont.9. & ibi Zabarella. *Dogmata autem in Theologiâ sunt necessaria. Ergo & ipsa principia Theologica sunt necessaria. Fieri enim non potest, ut necessitas conclusionis sit major necessitate principiorum. Hæc enim semper vel major, vel æqualis, nunquam autem minor est:* poster. analyt. lib.1. cont.48. *Postremò quod non est necessarium, illud quandoq; est, & non est, & potest non esse. Sed dogmata Christiana necessaria semper sunt, & non possunt*

ſunt non eſſe. Si igitur principia in Chriſtianâ religione eſſent non neceſſaria, tum illud quod non eſt, poſſet ejus quod neceſſarium eſt, cauſa eſſe. Sed hoc eſt abſurdum. Poſter.analyt.l.1.cont.18. *Quod enim non exiſtit, non ſanè poteſt alterius, quod exiſtit, cauſa eſſe. Relinquitur igitur, principia Theologica neceſſaria eſſe.*

III. Principia Theologica debent eſſe omnium dogmatum Theologicorum cauſæ. *Nam propter principia dogmata ſunt, & per principia dogmata ſcimus. Nemo tamen hîc ſomniet cauſas phyſicas, per quas accidens ſubjecto ineſt, & ineſſe demonſtratur. Illas relinquimus philoſophis. Loquimur hîc de iis cauſis, per quas Chriſtiana dogmata tùm in ſe vera ſunt, tùm etiam mentibus noſtris ita obſignantur, ut certò ſciamus, ea vera eſſe, & aliter ſe habere non poſſe. Hæc principia ſunt cauſæ eſſendi, & cognoſcendi, ſeu, ut apertiùs dicam, cauſæ Rei & cognitionis.* Rei: *nam propter hæc principia, Chriſtiana dogmata neceſſariò vera ſunt.* Cognitionis: *nam propter eadem principia, ſcimus Chriſtiana dogmata vera eſſe, & aliter ſe habere non poſſe.* Sibrandus Lubbertus d.l. & c. *Sic autē definiuntur principia cognitionis* Poſter. analyt. lib. 1.cont.11. III. Cauſæ omniū dogmatū Theologicorum.

IV. Principia Theologica debent eſſe priora. *Sunt enim cauſæ rei. Sunt autem principia priora ordine, & dignitate.* IV. Priora.

V. Principia Theologica debent eſſe notiora. *Sunt enim cauſæ cognitionis. Deinde dogmata ſunt & noſcuntur propter principia. Ergo hæc magis & ſunt & noſcuntur.* Poſter.analyt. lib.1. cont.18. *Neq; tantùm principia antè cognoſci debent, quòd ſunt: ſed quòd vera ſunt. Nam ſi princi-* V. Notiora.

pia incerta sunt, etiam dogmata incerta erunt. Non enim plus certitudinis habent, quàm à principiis acceperunt. Post.analyt.l.1.cont.11. *Unde sequitur, principia esse debere certa, antè concessa, non ambigua, neq; controversa.* Rectè Basilius in psal.115. ἀνάγκη ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχάς. *Nam quod antè non concessum, & adhuc controversum est, illud non est notius. Sed principium est notius. Deinde principium est certum, & necessarium. Sed ambiguum & controversum neq; certum, neq; necessarium est. Adhæc principium est extra controversiam positum. Sed controversum est illud, de quo contenditur. Postremò quod in controversiam cadit, non potest ejus quod in controversiam cadit, principium esse. Nihil enim est sui ipsius principium, neque ambiguum per æquè ambiguum demonstrari potest. Hoc docet* Augustinus l.3.c.14. contra Maximinum. *Excipit enim contra concilium Ariminense. Nam illud erat Augustino controversum. Et promittit se Maximinum concilio Niceno urgere nolle. Nam hoc Maximino erat controversum. Disertè enim dicit, se illud facere, ne quis præjudicio prematur, & addit se velle auctoritatibus Scripturarum certare. Illas enim esse non unius partis proprias, sed utriq; communes. Unde sequitur, illa, quæ non sunt utriq; parti communia, sed alterius propria, principia esse non posse. Id* Tertullianus, Arnobius, Lactantius, & Thomas Aquinas, *cùm contra gentes disputant, suo exemplo probant. Tantùm enim argumenta ducunt ex iis principiis, quæ non erant apud gentes controversa. Quin ipse Paulus cùm* Rō.1. *contra gentes disputat, affert argumenta ex iis principiis,*

Oportet disputantes in certis convenire principiis.

cipiis quæ utrique parti erant communia, cognita, & jam antè concessa. Neque est necesse, ut hoc multis argumentis probem. Nam ipsa ratio docet, eum ridiculum esse, qui id, quod incertum est, conatur probare per id, quod æquè incertum est. Qui verò non vult cum adversario in disputationem descendere, nisi eum priùs ad controversa & iniqua principia adegerit, eum cum ratione insanire, testatur ipsa ratio. Hoc est quod ipse Bellarminus in fine præfat. fatetur, non posse quenquam cum adversario disputare, nisi in aliquo communi principio conveniant. Hinc philosophi dicunt: Oportet disputantes in certis convenire principiis. Sed controversum quod est, in eo nondum conveniunt. Ipse Servator, Jesus Christus, disputans cum Sadducæis, assumit principium non controversum. Recipiebant illi Pentateuchum tantùm. Christus igitur Matth. 12. resurrectionem mortuorum probat ex Exodo. Si quis hodie cum Judæo velit agere in negotio religionis, non est sanè quòd urgeat Novum Testamentum, quod Judæus non recipit. Colligo igitur, principia Theologica debere esse certa, præcognita, vera, necessaria, antè concessa, & extra controversiam posita.

Christus disputator optimus.

VI. Divina.

μετάβασις εἰς ἄλλο γένος est turpis.

VI. His addo; principia Theologica debent esse divina. Principia n. non debent μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Nã, ut inquit philosophus, ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀνάγκη καὶ τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι. Poster. anal. l. 1. cont. 59. Nam si dogmata erũt necessaria, termini erunt cum medio per se conjuncti, ac proinde ejusdem generis. Si verò media sumuntur ex alio genere, termini non per se, sed per accidens cohærebunt. Cùm igitur

dogmata Theologiæ sint divina; sequitur, principia, ex quibus illa extruuntur, tantùm divina esse posse.

Hæc sunt requisita principiorum Theologicorum. Jam videamus, quænam sint illa, quibus ista requisita competunt. Sic hâc de re habendum. Qualibet scientia gaudet propriis principiis, supra quæ non licet ascendere. Infinitorum enim non est scientia. Si ergò Theologum jubeas sua principia probare, quî tandem id præstabit, nisi per aliud superius? Ast id non datur. Sed & hîc est discrimen principiorum: alia sunt ἀναπόδεικτα, *alia demonstrabilia.* Sadeel in præfat. operum Theolog. *In Theologiâ igitur sic procedendum. Hoc verum est: Quia scriptura dixit. Scripturæ credendum: Quia est* θεόπνευστος, *ac proinde vera; quia id Deus dixit. Theologus ergo sua principia demonstrare non habet necesse. Si quisogganniat, adversus illũ vel non disputetur, vel convincatur argumentis ad absurdum ducentibus. Sic Mathematicus non demonstrat hoc principium:* Totum est majus suâ parte. *Id qui negat, torquendus est, usq; dum fateatur, aliud esse torqueri, quàm non torqueri.* Humana ratio non est principium Theologiæ. *Humana autem ratio non potest esse principium Theologiæ: quia non est superior quàm scriptura. Principia verò debent esse superiora. Si ergo disputemus è scripturis, ritè procedimus: si extra eas, militabunt rationes scripturæ ceu superiores.* Κοινὰς ἐννοίας, *de quibus supra fusè egimus, non repudiamus: sed iis tenebricosis radiis,* πληροφορείας *fidei lumen in animis nostris accendi posse, pernegamus. Fides est ex auditu. Homo est* ψυχικός. *Quàm latè se extendant istæ anticipatæ notiones, docet Apostolus* Ecclesię au- Rom. I. *Sed nec Ecclesiæ authoritas erit principium* Theo-

Theologicum. Ratio: quia Ecclesia Christi non potest definiri absq; fidei mentione: nec fides absq; mentione verbi Dei, quod est fidei norma. Definiens verò prius est definito, & authoritas probans probandâ. Sed, inquies, quum aliquis perperam scripturæ locum intelligit, quomodo refellendus? Respondeo, ex ipsâ Scripturâ. Novimus enim, quòd omnia in Scripturâ sunt σωαληθῆ. *Ergo omnis interpretatio erit analoga fidei, & charitati. Hîc autem non est quæstio de principiis quum quæro, quomodo scriptura sit explicanda, sed tantùm de modo interpretandi. Sicut ergo principia inter sese non sunt confundenda: ita nec principia cum conclusionibus. Conclusiones sunt illæ de modo interpretandi scripturam. Unica conclusio hîc est instar omnium, quã modò laudavi, nunc repeto:* Omnis expositio scripturæ sit analoga cùm fidei, tùm charitati: *h.e. nihil contineat contra principia Catechetica, quæ in Symbolo, Decalogo, Oratione Dominicâ, Institutione Baptismi & S. Cœnæ continentur. Ad parva hæc Biblia nobis obviæ quæq; interpretationes scripturarum examinandæ sunt. Non nova principia condenda sunt, sed condita retinenda. Omnia credenda in S. literis resolvuntur & reducuntur in ipsos articulos fidei: omnia facienda in Decalogum & Orationem Dominicam. Ipsi autem articuli non reducuntur in alia, ut docet* illustris Philippus Mornayus in præfat. lib. de Eucharistiâ. *Ex illis articulis tanquam principiis, ait idem, theoremata nostra derivamus, ex his demum problemata resolvimus, non secus ac Mathematici è suis axiomatis & postulatis. Imò tantò firmiùs, quantò in creatore quàm in creaturâ fundamentum solidius:*

[Margin: ...thoritas non est principiũ Theologiæ.]

[Margin: Regula de interpretatione S. literarum.]

in ipso universitatis legislatore, quàm in lege quam præscripsit, quam philosophi vocant naturam. Peccant ergo & vehementer peccant, qui articulos fidei hominum judicio submittunt. Sicut enim homo non potest immutare principia rationis naturâ nobis ingenerata: ita, & quidem multò minùs, potest convellere fundamentalia illa à Spiritu sancto dictata principia. Non minùs etiam peccant illi, qui confundunt metas & principia scientiarum, contra illam regulam, μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος: ab unâ ad aliam scientiam ne transeas: cùm secundùm verum Logicæ usum ratiocinatio nostra è principiis unius scientiæ theoremata: ex his corollaria ad eandem pertinentia deducere debeat. In articulos fidei impingere, idem est, quod Mathematicis deduci εἰς ἀδύνατον, exorbitare à ratione, à verâ Theologiâ, vinci & convinci. Ecclesia itaque primitiva hos nobis brevi complexa est Symbolo: cujus, quæ posteà in conciliis tradita sunt, tanquam commentarii. Symbolum nominamus, ceu primam & præcipuam Catetheseωs partẽ. Ac proinde duos canones habemus, majorem & minorem, Scripturam & Catechesin, Biblia magna & parva. Scripturam palmariam, Catechesin subsidiariam. Non quòd Catechesis sit supra Scripturam, quum sit ex illâ: sed quòd ad illam. Subservit enim memoriæ nostræ. Exempli gratiâ: est nobis res cum Arriano. E Scripturâ profert: Pater major est me. Nos regerimus. Ego & Pater unum sumus. Scriptura non loquitur contraria. Ergo distinctione opus; ita ut locus ille naturã humanã, hic divinã respiciat: ne quid contra Symbolum admittatur: Credo in Jesum Christum, filium ejus unigenitum. Nullus novus fidei articulus condi potest Itaque sic explicetur scriptura, ut ne analogia fidei ex-

Catechesis ut se habeat ad Scripturam.

Analogia fidei.

cutiatur. Mornayus d.l. *Sed & analogia charitatis est servanda. Itaq; sic explica quod in Scripturâ est arduum, ut inde conservetur charitas.* Nam *finis præcepti est charitas,* 1. Tim. 1. v. 5. 6. *Charitas autē hæc respicit quà Deum, quà proximum. Sensus hujus regulæ est: Quæcunq; in Scripturâ occurrunt, ea vel nobis præcipiunt Dei amorem, vel tradunt beneficentiā erga proximum. Servator* Matth. 22. v. 40. *docet hæc duo mandata esse compendium Scripturæ. Ergo qui dubia Scripturæ dicta ita explanat, ut Deo suum tribuat, & proximo suum, is dicat se habere explicationē ejuscemodi, quæ nec Deum, nec Ecclesiā offendat. Hanc regulam sæpè inculcat Augustinus. Vide de eâdē* Antipistorianū *propugnaculū* Christophori Agricolæ Rhæti. *Quorsum igitur, inquiunt, Ecclesia, Ecclesiæ Doctores, ratio etiam nostra? Annon & hæc possunt esse Theologiæ principia? Ut distinctè respondeā, Theologiæ partes pressè recensebo.* Theologia est partim theoretica, partim practica. Theoretica est partim naturalis, partim supernaturalis & arcana. Theologiæ naturalis *principiū primum est Ratio; adventitium sacra Scriptura. Ibi.n. primò probamus è libro naturæ, à quo devenimus ad librum Scripturæ, Tradit.n. Theologia naturalis ea, quæ homini quà homo est, sunt cognita. Theologia supernaturalis est vel compēdiosa, vel plenior. Illa venit nomine Cathecheseως, hæc locorū communiū. Illa etiā Theologia Catechetica, hæc didacticopolemica appellatur.* In Theologiâ Catecheticâ *principia sūt capita Catechetica. Ad ea.n. recurrimus in genere* διδακτικῷ, ἐλεγκτικῷ, παιδευτικῷ, ἐπανορθωτικῷ, *& deniq;* μικτῷ. *In genere* διδακτικῷ *tribus modis utimur.* 1. *In exordiis*

Analogia charitatis.

Theologiæ partitio. Partes ejus sunt sex:

1 Theologia naturalis.

2 Catechesis, & ejus praxis.

concionum, quæ sæpè desumuntur ab hisce capitibus. v.g. hic locus facit ad explicationem hujus vel illius articuli, hujus vel illius præcepti. Ergo diligenter attendite. 2. In usu & applicatione, hoc modo: hæc doctrina facit ad confirmationem fidei, & emendationem vitæ. 3. In probationibus petimus argumenta ex iis capitibus: ut, Christus est verus Deus. Quia est filius Dei. Quia in illum credimus. Quia ille judicabit mundum. Quia instituit Sacramenta. Quia in illius nomen baptizamur. In genere ἐλεγκτικῷ hic syllogismus ceu aries opponetur adversariis: Quicquid pugnat cum capitibus Catecheticis, non est verum dogma. At tale est vestrum. Hoc est, quod suprà dixi, de analogiâ fidei & charitatis. Analogia fidei exponitur in Symbolo, cujus sigilla sunt Baptismus & S. Cœna. Analogia charitatis continetur Decalogo & Oratione Dominicâ. In genere παιδευτικῷ & ἐπανορθωτικῷ sic procedamus. Sanctè vivamus. Quia ad hoc creati, redemti, & sanctificati sumus. Q. sumus in Ecclesiâ. Q. credimus vitam æternam. Q. dicimus, Pater noster. Agamus ergo quæ filios decent. Q. petimus, ut sanctificetur Dei nomen: ut det nobis panem quotidianum, quem non dabit immorigeris. Q. petimus ut liberet nos à malo. Q. hoc Deo promisimus in Baptismo. Deniq; in genere παραμυθητικῷ fontes consolationū manant è capitibus Catecheticis. v.g. è Symbolo. Deus est omnipotens, creator cœli & terræ. Ergo tibi suppeditabit necessaria ad hanc vitā. Filius me redemit. Ergo multò magis corpus meū sustentabit. Sū in Ecclesiâ. Ergo non curo mundū. Ille est Pater meus. Ergo dabit panem. Ita procedendū est in omni-

omnibus tentationum generibus. In Theologiâ Didactico-polemicâ principiũ summum est sacra scriptura: quæ quidem in Theologiâ Catecheticâ etiam est principium; sed ibi capita Catechetica supponuntur ceu nota. In Theologiâ hâc Didactico-Polemicâ occurrunt conlusiones vel puræ, vel mixtæ. Puræ sunt vel naturales tantùm, vel supernaturales. Ibi ratio, sed non tantùm; hîc scriptura tantùm est audienda. e.g. An in Deum cadat compositio? est quæstio naturalis. An in unâ essentiâ sint tres personæ? est quæstio supernaturalis. Conclusiones mixtæ sunt, quæ unum terminum naturalem, alterum supernaturalem habent. Hîc de quolibet argumento judicandum est è propriâ sede. Scriptura igitur in mysteriis dijudicandis est unica norma, id quod credimus, non probamus. Quî, inquit Gretserus, hoc potest fieri? Si enim hoc dogma de scripturâ, quòd sit verbum Dei, credendum est fide salvificâ, in quonam articulo symboli continetur? Et si est articulus fidei, non autem est in scripturâ, utiq; scriptura erit imperfecta. Respondeo: Accuratè loquendo, dogma de scripturis canonicis non est articulus fidei, sed principium fidei. Articuli enim fidei collati cum S. Scripturâ, sese habent veluti conclusiones. Alioquin articuli fidei sunt principia, eo sensu, ut paulò antè explicavimus. Principia autẽ non discuntur ex suâ disciplinâ, sed præcognoscuntur lumine superioris scientiæ. Sic in Theologiâ, disciplinarum architectonicâ, principia fidei non discuntur, nec sunt articuli fidei, sed præcognoscuntur, seu priùs discuntur, ut ait Thomas, lumine superioris scientiæ, quæ est revelatio Dei, & persuasio Spiritus sancti. Principia fidei sunt: Biblia sacra conti-

3 Loci communes.

Scripturam esse Dei verbum, est principium, quod credendum est

nere doctrinam veram de Deo, & ejus operibus: eam esse à Deo; & similia. Hæc quantum ad τὸ ὅτι, ab ignaris discuntur testificatione Ecclesiæ; sicut principia artium à discipulis percipiũtur & creduntur institutione præceptoris. Δεῖ γὰρ, ait Aristoteles, πιστεύειν τὸν μανθάνοντα: & alius; Cuilibet artifici in suâ arte est credendum: *quantum verò ad τὸ διότι, firmiter sciuntur per dictamen Spiritus sancti. Conclusiones ex his principiis deductæ, cognitæ & creditæ, dicuntur dogmata Legis & Evangelii, seu præcepta decalogi, & articuli fidei, & horum consectaria. Manet igitur, quòd primum principium Theologicum sciamus & credamus lumine superioris scientiæ, h.e. ex divinâ revelatione seu ꝑsuasione, quantũ ad τὸ διότι seu πληροφορίαν attinet: licet τὸ ὅτι partim ex Scripturis, partim ex Ecclesiæ institutione & testificatione discamus.* D. Pareus in dispp. de S. Scripturâ. *Itaq; authoritas Spiritus sancti est independens & illimitata: Scripturæ dependens & illimitata: Ecclesiæ & dependens & limitata. Quomodo aũt, inquiat aliquis, ratio nostra jam se habebit ad Scripturam? Respondeo: Ratio & fides, seu natura & gratia sunt principia subordinata. Itaq; non pugnãt. In mysteriis igitur non ratio; sed fides adhibenda est ceu norma. Quid ergo? Annon fides hâc ratione est contra rationẽ? Ratio sic dictat: Ex nihilo nihil fit. Fides ita: Deus ex nihilo fecit omnia. Respondeo. Articuli fidei non sunt contra naturam, licet sint supra eam. Gratia non destruit naturã, sed eam perficit & excolit. Captivam igitur duc rationem in puris putis supernaturalibus. Nam si ratio sufficeisset ad res supernaturales perdiscendas, Deus lumen fidei nobiscum non communicasset. Ita habendum est de Theologiæ theoreticæ principiis: sequuntur*

principia Theologiæ practicæ. Practica Theologia est vel communis, vel propria. Communis est, quæ agit de casibus conscientiæ. *Aliàs vocatur* 4
Schola tentationū & Soterologia. Hîc principium poni Soterologia
mus Evangeliū, non Legē, non rationē Propria Theo 5 Prophetica.
logia est vel Prophetica, vel Acroamatica. *Illa* 6
officium Pastoris, hæc auditoris explicat. In utrâq; illâ Acroamatica.
agnoscimus duplex principium, Scripturam, & Ecclesiam. Illa est principium dirigens, hæc applicans. Nam Ecclesia pro ratione diversâ circumstantiarum immutare potest adiaphora, & ea quæ vocant συμβεβηκότα. οὐσιώδη non potest, non debet. Semper autem Ecclesia in hujusmodi determinationibus observabit regulas Paulinas. 1. πάντα πρὸς οἰκοδομήν. *2.* πάντα εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως. *Ex his ita disputatis de principiis Christianorum dogmatum liquidò, opinor, patet, non Ecclesiam, non Concilia, non Papam esse posse normam fidei, vitæ, & vocationis nostræ, sed vocem Dei in Scripturâ. Vocem Dei dico in Scripturâ, ut notem insignem Jesuitarum malitiam, qui* Jesuitarum impudentia notatur.
pueriliter nobis objiciunt, Scripturam non esse supra Ecclesiam: eò quòd Scriptura sit scripta ab iis, qui fuerunt in Ecclesiâ, & eò quòd Ecclesia fuerit ante Scripturam. Scripturam dum dicimus, intelligimus verbum Dei, non autem materiale Scripturæ principium, literas, & syllabas. Verbum Dei, inquam, intelligimus, Scripturæ principium formale, si ita appellare licet. Scriptura se habet ad verbum Dei, ut modus ad rem. Iidem Jesuitæ magnam nobis faciunt injuriam, dum blaterant, nos susq; deq; habere authoritatem Ecclesiæ. Est enim consequens inconsequens: Ecclesiam non æquamus vel anteponimus verbo Dei. Ergo Ecclesiam contemnimus. Justitia

ſuum cuiq; tribuit. Concludamus igitur, hæc principia eſſe Chriſtianorum dogmatum: Rationem, Fidem, Scripturam, Eccleſiam, Capita Catechetica; diverſo nempe reſpectu, ut ſuprà fusè explicavimus. Scriptura autem, ſeu verbum Dei, in puris putis ſupernaturalibus eſt nobis principium principiorum.

PERORATIO ARCHELOGIÆ.

SIc per Dei gratiam abſolvimus Archelogiam; cujus ſciagraphiam & utilitatem coronidis loco adjiciemus, notatam literâ A.

UTILITAS ARCHELOGIÆ.

Archelogiæ utilitas

ARchelogia ita circumſcripta inſigniter eſt utilis. Et quidem utilitas ejus eſt duplex, una abſoluta, altera relata.

Abſoluta

Abſoluta utilitas eſt, quòd philoſophiæ naturam ratione principiorum nobis ante oculos ponit. *Miſerè enim philoſophatur, qui philoſophiæ principia non habet cognita dicam an præcognita? Ea præcognoſcuntur in & ex hâc noſtrâ archelogiâ, quæ ut nobis laborioſa fuit, ita lectori ſit fructuoſa, oro Deum Optimum Maximum; cui me & mea conſecrata volo.*

& Relata.

Relata utilitas eſt iterum gemina. Prima *eſt*, quòd hîc oſtenditur methodus præcognitorum in ſingulis diſciplinis. *Singularum enim diſciplinarum præcognita tractare debent de illarum Naturâ, & Studio. Et natura tribus partibus explicatur; archelogiâ, hexilogiâ, & technologiâ. Studium canonica explicat. Sic v.g. Metaphyſica præcognita continebunt*

I. Arche-

I. Archelogiam, *de principiis ejus, quatenus præcognoſci debent. Debent autem præcognoſci juxta generalia hujus archelogiæ.*

II. Hexilogiam, *quâ ipſius genus indicabitur.*

III. Technologiam, *quâ indicabitur, ipſius tùm objectum, tùm ſedes, quam obtinet in Encyclopædiâ philoſophicâ.*

IV. Canonicam, *ſeu* methodicam, *quâ ratio ſtudii Metaphyſici oſtendenda eſt.*

Altera utilitas relata eſt, quòd hæc archelogia oſtendit rationem cùm reſolvendi quodlibet enuntiatum in principia, tùm è principiis deducendi varias concluſiones. *Exempla prioris hæc ſint: in incomplexis theoreticis:* Sapphirus; *reducitur ad primum principium* Ens: *in practicis,* juſtitia, *reducitur ad primum principium,* bonum *vel* honeſtum. *In complexis theoreticis, hoc pronunciatum,* Deus eſt, *reducitur ad primum principium,* Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe: *in practicis, hoc pronunciatum,* Honora patrem & matrem, *reducitur ad primum principium,* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Exempla poſterioris hæc ſunt. Ex hoc principio:* Totum eſt majus ſuâ parte: *deduci poſſunt variæ concluſiones in variis artibus. Sic etiam ex iſto:* Bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum: *deduci poſſunt innumeræ concluſiones practicæ. Si quis ita procedat, non poterit non pervidere quàm divina res ſit recta ratio, atq; ita extimulabitur ad Deum laudandum, quem in extremo hujus tractatus de principiis margine exorare cum gratiarum actione liceat nobis: Agimus*


Omnia reducuntur ad prima principia.

Varia deducuntur è principiis.

tibi gratias, ô Deus, ô principium principiorum, pro bonis illis donis, quæ in nos ubertim confers nil tale merentes. Magnum est, ô magne Deus, quòd aperuisti nobis Scholā naturæ, in quâ das nobis librum, quo teipsum manifestas, & accendis lumen, quo evolvimus istum librum discußis tenebris & nebulis mentis. Majus est, ô magne Pater, quòd aperuisti nobis Scholam Gratiæ, in quâ das nobis librum Scripturæ, in quo tuam voluntatem de nobis & à nobis discimus, & accendis lumen Gratiæ, quo freti legere possumus librum illum. Maximum denique est, ô maxime Pater, quòd nos tandem aliquando deduces in Scholam Gloriæ, ubi scientia sine disciplinâ, finis sine fine, collatio sine deceßione, receptio sine acceßione, quies sine motu, triumphus sine bello. Gratias igitur tibi agimus immortales, ô gratiose, ô gloriose, ô immortalis Deus, pro tantis hisce beneficiis. Rogamus te, Clementißime Pater, præbe Ecclesiis & Scholis halcyonia, adversus Satanam & administros ejus, & nobis in iis. Benedic vitæ, valetudini, studiis, & laboribus nostris. Duc nos viâ rectâ ad metam, quæ nobis in cœlo reservatur ad divinæ tuæ gratiæ gloriam, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum & cum Spiritu sancto regnat & vivit, Deus benedictus in omne ævum, Amen Amen! Etiam Domine Jesu!

FINIS ARCHELOGIÆ.

JOH-



JOH-HENRICI ALSTEDI

HEXILOGIA:

ID EST

PRÆCOGNITORUM PHILOSOPHICORUM PARS SECUNDA:

De habitibus intellectualibus disciplinarum omnium.

Cap. I. Hexilogia definita, quoad nomen & quoad rem.

ABsoluta est, per Dei gratiam, prima præcognitorum philosophicorum pars, ἀρχηλογία: sequitur secunda, ἑξιλογία.

Hexilogia igitur est secunda præcognitorũ philosophicorũ pars de habitib⁹ intellectualibus: *Græcè non ineptè dixeris λόγον περὶ τῶν ἕξεων.* Hexilogia quid?

De Hexilogiâ duo quæruntur. 1. An sit, & si est, an necessaria sit? 2. An tradenda sit post archelogiã? Ad 1. Hexilogiam & esse, & necessariam esse, suadet cùm ratio, tùm authoritas. Ratio è multis una, quæ instar omnium, militat pro nobis isthæc: De quocunq; in naturâ posito aliquid cogitari & dici potest, de eo debet esse aliqua doctrina. Keck. l. 1. Metaph. c. 1. *Atqui multa de habitibus intellectualibus & cogitari & dici possunt, cogitata & dicta sunt, cogitantur & dicuntur.* Arist. in 1. post. cap. 26. Eth. l. 6. c. 3. Zabar. l. 1. de nat. Logic. c. 1. Colleg. Conimbr. disp. 8. in Eth. Arist. art. 1. Rubius in Logicâ Mexicanâ part. 2. ubi sunt tractatus quinq; de habitibus. *Ergo est aliqua doctrina de habitibus intellectualibus, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Si igitur est talis doctrina, illa pertinet* Hexilogiæ necessitas.

vel ad theoriam, vel ad protheoriam philosophiæ. Non ad illam: quia explicat talia vocabula, quæ in philosophiæ partibus & instrumentis occurrunt quidem, neq; tamen inibi explicari vel possunt, vel debent. Quid enim? Annon Metaphysica est sapientia? Utiq;. Hoc igitur illius genus debet esse præcognitum. Num Logica docet quid sit ars? Minimè. Definitur autem ars. Hoc igitur Logices genus est præcognoscendum. Ex his efficitur, hexilogiam pertinere ad προθεωρίαν & προδιδάγματα philosophiæ. Sicut enim Metaphysica inferioribus disciplinis assignat denominata objecta: ita hexilogia iisdem præscribit denominata genera. Authoritas est Keck. & Turnovii, *quorum hic in præfat. Metaph. conceptis, ut ajunt, verbis, hujus præcogniti meminit. Veteribus quidem, quod sciam, hoc nominis ignotum est: res autem tàm nota, quàm quæ notissima. Si igitur quibusdam hoc vocabulum novum videtur, illi sciant, æquum esse ut verba cedant atq; inserviant rebus. Excogitatum autem est vocabulum hoc* ἑξιλογία *ad normam vocum* πραξιδίκη *&* πραξικοπέω. *Alii vocant* ἑξεολογίαν *&* ἑξωλογίαν. *At, inquiat aliquis, ibi docendum est de habitibus intellectualibus, ubi agitur de prædicamentis. Prædicamenta autem sunt considerationis, & Metaphysicæ & Logicæ. Metaphysicæ quidem, quatenus considerantur ut primæ entis differentiæ, per quas ipsum ens primò dividitur. Logicæ autem, quatenus sunt notionum secundarum applicationes ad res ipsas, quæ applicatio fit per prædicabilia. Iccirco hexilogia referetur ad prædicamentum qualitatis, adeoq; ad Metaphysicam & Logicam. At, inquam ego, qui ita disputant, suam* ἀπαιδευσίαν *produnt.*

Hexilogia pertinet ad præcognita philosophica.

Prædicamẽta considerantur in Metaphysicâ & Logicâ.

produnt. Ignorant enim usum prædicamentorum præcipuum, qui est, ut sint loci communes universitatis rerum, & indices naturæ. Prædicamenta igitur ostendunt seriem & ordinem rerum quarumlibet. Num eam ob causam res singulas explicare debent? Minimè certè. Sicut igitur est inconsequens: in prædicamento substantiæ occurrit ejus divisio, in creatam & increatam: ergo de utraq; διαῤῥήδην & ex professo ibi agendum est: Ita & hoc est inconsequens: de habitibus intellectualibus agitur in prædicamento qualitatis: Ergo plenè ibi de illis agitur. Exempla tantùm generum ibi colliguntur, non autem in prædicamentis est chaos & farrago omnium omnino rerum. Sanè si Metaphysica traderet definitionem & naturam sapientiæ in prædicamentis, suum ipsius genus definiret: id quod nulla disciplinarum facit.


Prędicamentorum pręcipuus usus.

Ad 2. Si igitur hexilogia est præcognitum quoddam philosophicum, ut modò probatum est; quam, quæso, sedem in præcognitorum horum areâ obtinebit? Quatuor sunt præcognita philosophica, Archelogia, Hexilogia, Technologia, Canonica. Qualis inter ea erit ordo? Adesdum, dictator Logice, & pro me responde. Lex methodi vult, ut præcedant generalia. Generalia autem sunt, quæ sine sequentibus intelligi possunt, & sine quibus sequentia intelligi non possunt. Sic v.g. in Grammaticis doctrina de literis, est generalior doctrinâ de syllabis. Illa sine hâc potest, hæc sine illâ non potest intelligi. Iam verò archelogia potest intelligi sine hexilogia. Illa igitur hâc est generalior. Probatur minor. In hexilogia fit mentio theoriæ, praxeωs, & poëseωs, item principiorum & conclusionum: quæ omnia definiuntur in archelogiâ.

Generalia quæ sint?

Præterea Technologia & Canonica non possunt intelligi sine Hexilogiâ. Hæc ergo est illâ & istâ generalior. His ita positis, relinquitur, Hexilogiam esse

1. Necessariã. 2. Præcognitum philosophicum. 3. Secundam esse in ordine præcognitorum philosophicorũ.



Cap. II. De habitibus intellectualibus in genere, quid sint?

Habitus intellectuales qui sint.


HAbitus intellectuales sunt, qui disponũt intellectum, ut hoc vel illo modo se habeat in ordine ad intellectionem: eodemq; sensu habitus mentis *dicti sunt*. Rubius tract. 1. de habit. intel. quæst. 1.

Habituum intellectualium necessitas.

Habitus isti inhærent intellectui, tanquam potentiæ cuidam, quam proximè disponunt ad operationẽ. Hujusmodi habitus ponendos esse in potentiâ intellectivâ, universa Peripateticorum Schola tenuit. Arist. 1. post. c. 26. & 6. Eth. c. 3. Lombard. in 1. dist. 25. Thom. 1. 2æ. q. 49. art. 4. & q. 50. art. 4. *cujus verba sic habent:* Operativa, *inquit*, potentia duplex est: una non solùm ad unum actum determinata, sed ad unum modum, eum eliciendi, ut lapis ad unum motum deorsum, quem semper uno modo exequitur. Et tales potentiæ nullo indigent habitu, quo determinentur ad operandum, vel quò faciliùs operentur, sed cùm naturalis sit omnibus modis earum operatio, nullam facilitatem exercitio comparant. Aliæ sunt potentiæ, non solùm circa diversa operari valentes, sed diversis modis, bene videlicet, vel malè: ut voluntas circa bonũ vel malum per appetitum, vel fugã; intellectus circa

verum

verum vel falſum, per aſſenſum, vel diſſenſum, per verum aſſenſum, aut erroneũ. Quæ proinde aliquo determinante indigent, ut conveniẽti modo operentur, & ejusmodi determinans ſuperadditũ potentiæ vocatur habitus, cùm ſit diſpoſitio potentiæ ad bene vel malè operandũ, & neceſſariò quidem ponendũ in quâcunq; potentiâ indifferenti ad operandũ circa diverſa, vel diverſo modo circa idem. *Sic Thomas. His contrà eunt quidã, qui putant ſpecies intelligibiles præſtare id, quod modò diximus è Thomâ præſtare habitus intellectuales. Sed produnt illi ſuam inſcitiam. Habitus namq; intellectuales in intellectu diſtincti ponendi ſunt à ſpeciebus intelligibilibus. Quod illorum, & iſtarum officium efficaciter probat. Nam officium ſpeciei intelligibilis eſt, ſolùm unire objectum intelligibile cum potentiâ intellectivâ, ex quâ unione ſequitur apprehenſio ejus, quæ eſt prima operatio intellectus, vel, ſi mavis, unio ipſa eſt apprehenſio. Unde ſequitur, ſpecies intelligibiles ſolùm ad apprehendum objecta proximè deſervire. Sed cùm poſt apprehenſionem ſequatur judicium de veritate, aut falſitate propoſitionum: in quo principaliter conſiſtit ſecunda operatio intellectus: & in quo poteſt eſſe aliqua indifferentia, aut etiam difficultas, ad jucandũ; additur alius habitus ab Ariſtotele, & omnibus interpretibus realibus, ſolis exceptis nominalibus, qui ſpecies ipſas intelligibiles, dicunt eſſe habitus, & ideo, nihil aliud præter illas ad judicandum ponunt.* Philoſophi Reales & Nominales. Rubius in Logic. Mexic. tract. 1. quæſt. 1. de habitu principiorum.



Cap. 3. Summaria habituum intellectualium, quantum satis ad nostrum institutum, divisio.

Habituum intellectualium sufficientia.

HAbitus intellectualis est vel simplex, vel mixtus.

Simplex est, qui unicam potentiam, vel intellectivam, vel volitivam tantum determinat.

Estq; vel verus, vel falsus.

Verus est talis vel necessariò, vel contingenter.

Necessariò verus est vel naturalis, vel supernaturalis.

Habitus intellectuales sunt numero sedecim.

Naturalis est vel theoreticus, vel practicus, vel poëticus.

Theoreticus est Intelligentia, Scientia, Sapientia.

Practicus est Synteresis, vel Prudentia.

Poëticus est vel Intelligentia organico-mechanica, sive poëtica vel Ars.

Supernaturalis est vel Gratiæ, dicitur Fides divina; vel Gloriæ, Visio Dei:

Contingenter verus est Opinio, Fides humana, Dubitatio, Suspicio. *Dicitur aliàs habitus intellectualis imperfectus.*


Habitus falsus est Error.

Mixtus habitus est, qui determinat utramq; potentiam, & intellectum, & voluntatem: qualis est Philosophia, & Theologia.

His ita præmissis, liquidò liquet, sedecim esse locos quasi

quasi communes hexilogiæ, hoc ordine. 1. Intelligentia. 2. Scientia. 3. Sapientia. 4. Synteresis. 5. Prudentia. 6. Intelligentia organico-mechanica. *7. Ars. 8. Fides divina. 9. Visio Dei. 10. Opinio. 11. Fides humana. 12. Dubitatio. 13. Suspicio. 14. Error. 15. Philosophia. 16. Theologia. De his deinceps* ξὺν θεῷ *agemus. Antequam autem* κατὰ μέρη *&* κατὰ πόδας *singulos habitus percurramus, necesse habemus præmittere apologiā hujus numeri & catalogi. Insurgent enim indubiè adversus nos nonnulli Aristotelis interpretes, qui nos accusabunt, quòd à mente & methodo præceptoris nimiùm quantum recesserimus. Nam præceptor locis suprà citatis recenset duntaxat quinq; habitus intellectuales, hoc ordine*; intellectus, scientia, sapientia, prudentia, ars. *Tres priores ita sunt rerum simpliciter necessariarum & æternarum, ut extra eas nullum locum habeant: duo posteriores contingentium, quæ in nostræ voluntatis arbitrio constitutæ sunt. Præter hos nullum alium habitum intellectualem posuit Aristoteles.* Zabarel. l.1.de nat.Logic.c.1. *Sed sciendum est, Aristotelem fuisse ethnicum, cui principia religionis nostræ ignota fuerunt. Iccirco non est, quòd hîc sequamur Aristotelem. Adhæc Aristoteles nullo in loco plenè tractavit de habitibus intellectualibus, sed incidenter. Satis igitur habuit, indicare eos habitus, qui erant necessarii eo in loco, ubi de iis tractat. Nobis autem stat sententia omnes & singulos habitus intellectuales persequi: ob id scilicet, quia vocabula, quibus illi indicantur, in artibus occurrunt. Hîc igitur ea præcognoscimus.*

Quinq; habitus apud Aristotelem



Cap. 4. De intelligentiâ.

HAbitus intellectualis (*placet hîc resumere præcepta cap. 3. proposita*) est vel simplex, vel mixtus.

Simplex est verus, vel falsus.

Habitus verus est talis, vel necessariò, vel contingenter.

Necessariò verus est qui ita verus est, ut nunquam possit esse falsus.

Estq; naturalis, vel supernaturalis.

Naturalis est, quo inclinamur ad assentiendum iis, quæ homo cognoscit, quâ homo.

Habitus quidam sũt naturales.

Habitus quosdam dicimus naturales, eodem sensu, quo principia diximus esse naturalia. Sunt igitur naturales. 1. Quia inchoativè nobis ingeniti sunt. Sic enim intellexerunt Capreolus *&* Vignerius, *qui disertè professi sunt, habitus quosdam nobis esse ingenitos. Habitus namq; considerantur vel quâ inchoati, vel quà consummati. Habitus certè inchoativè considerati nobis ingeniti sunt. Consummati aũt non sunt innati, sed magno labore & difficultate comparantur. 2. Quia isti habitus competunt in hominem, quatenus est homo. Et ita naturale non contradistinguitur acquisito, sed supernaturali. Hoc sensu naturale dicitur, quod homo constitutus intra naturæ terminos discit in Schola naturæ è libro naturæ, collustratus lumine naturæ: supernaturale verò, quod homo discit, evectus supra naturæ terminos, in Scholâ Gratiæ vel Gloriæ, è libro Scripturæ, illustratus lumine Gratiæ vel Gloriæ. 3. Quia causa habituum principiorũ est naturalis. Vera autem & propria causa habituũ principiorum*

Habitus sunt inchoati, vel consummati.

rum est lumen intellectus, quo cernimus prædicata esse immediata subjectis. Fonseca. in 1. Metaph. c. 1. q. 4. s. 5. *Hâc de re agit Paulus* Rom. 2. *ubi docet legē quandam esse scriptam in cordibus. Et appositè* Hieronymus in epist. ad Demetriadem: Est, *inquit*, in animis nostris quædam sanctitas naturalis à Deo impressa, quę veluti in arce animi residēs, pravi & recti judicium exercet. *Hæc quidē & similia, non de habitu, quòd intellectui superaddatur, interpretanda sunt. Fateor id quidē. Sed q͞a de lumine intellectus, tàm theoretici, quàm practici, loquuntur, bonâ consequentiâ evincere possum, habitus ipsos esse naturales, saltē inchoativè: id quod ꝓbandū sumsi. De hoc lumine intellectus dubitant, an sit substantia, vel accidens. 4. Quia principia, quæ habitibus hujusmodi percipimus, per se ac vi terminorū suorum adeò conspicua sunt, ut eis necessariò quoad speciē actus assentiamur, neq; mēte ea inficiari possumus.* Thom. 1. 2æ. q. 5. art. 1. & l. 2. cont. gent. c. 78. Col. Con. in l. 3. Arist. de an. c. 8. q. 1. art. 3. *Sic, opinor, patet, quomodo quidam habitus vocentur naturales.* Estq; (*habitus naturalis*) theoretic⁹, practicus, vel poëticus. *Latini vocant contemplativum, activū, & factivum.*

Ratio præcepti est. Habitus naturalis dividitur ratione τȣ̃ δεκτικȣ̃, Subjecti, *quod vocant,* inhærentiæ. *Habituum autem naturalium subjectum recipiens est intellectus. Intellectus aūt triplex est, θεωρητικὸς, de sciendis; πρακτικὸς, de agendis, putà faciendis & fugiendis; ποιητικὸς, de efficiendis. Intellectus enim sic dividitur, non tàm ratione principiorum, quàm ratione finis. Deinde habitus naturalis ita dividendus est, ut dividitur objectum intelligibile, circa*

Subjectum inhæsionis quid? Intellectus triplex.

quod versatur intellectus. Id autem omnino triplex est; vel simpliciter νοητὸν, *vel insuper* πρακτὸν *&* ποιητὸν: *ut è suprà traditis patet. Non autem hîc contra nos militat, quod quidam afferunt & asserunt, habitum intellectualem esse speculativum, activum, factivum, & mixtum, adeoq; divisionem non esse adæquatam. Nos enim habitum divisimus in simplicem & mixtum. Simplicem nominamus eum, qui ratione finis ultimi est vel theoreticus tantùm, vel practicus tantùm, vel poëticus tantùm.*

Habitus theoreticus, *contemplativus*, est, quo quis inclinatur ad assentiendum rebus necessariis.

Res necessariæ quæ sint. *Res necessarias dicimus, quæ non pendent à nostrâ voluntate, quæ non possunt à nobis fieri. Eas pertractat philosophia theoretica, quæ in nudâ veritatis cognitione versatur. Nam philosophus theoricus scit, ut sciat.*

Estq; triplex; Intelligentia, Scientia, & Sapientia.

Aristoteles vocat νοῦν, ἐπιστήμην *καὶ* σοφίαν. *Ratio præcepti est ista. Quoniam diversi sunt actus habitus intellectualis, diversæ quoq; ejus species ponendæ sunt. Accedit, quòd diversa habitus hujus sunt objecta, principia putà & conclusiones è principiis deductæ. Alius igitur erit habitus, quo principiis theoreticis; alius, quo conclusionibus fidem habemus.*

Intelligentia quid sit? Intelligentia (*Aristoteli* νοῦς, *aliis intellectus* ἐξαιρέτως, *quâdam* ἐξοχῇ) est habitus contemplativus, quo quis inclinatur ad assentiendum firmiter & evidenter primis principiis: *cujusmodi sunt hæc: Omne totum est majus suâ parte: Si ab*

Si ab æqualibus demas æqualia, residua erunt æqualia: Deus est. Si mavis, habe istam definitionem: Intelligentia est habitus principiorum, quo potentia intellectiva determinatur ad assensum principiorum firmum & per se evidentem, ad eum etiam facilè eliciendum. *De hoc habitu quatuor explicabuntur.*

I. An sit? *hoc est, an præter potentiam intellectivam, & species intelligibiles, per quas principia, i.e. immediatas propositiones apprehendimus, ponendus sit habitus, per quem facilè possit intellectus judicare de veritate eorum, eisdemq; assensum præbere?*

II. Quid sit habitus iste?

III. An sit naturalis?

IV. An sit unus secundùm speciem, pro principiis omnium scientiarum, vel diversus pro diversis principiis?

Decisio harum quæstionum per theoremata.

I. Lumen naturale, *quod est ipsa potentia intellectiva,* non sufficit ad assentiendum primis *principiis*: *ut volunt* Durandus in 3. de 33. q. 1. ad finem, & Sotus l. 1. de justitiâ & jure q. 4. art. 2. Ad quæst. 1.
Utuntur hoc argumento. Ad operationes naturales, in quibus nulla est indifferentia, vel libertas, non ponuntur habitus: ut in potentiâ visivâ: imò nec in voluntate respectu finis ultimi, in quem naturaliter tendit per amorem. Sed intellectus naturaliter assentitur principiis, cùm sint veritates immediatæ ac necessariæ: ita ut eis propositis, non possit non assentire. Ita enim se habet ad illa, sicut voluntas ad ultimum

finem, vel visus ad colores. Ergo nullo indiget habitu, ad eis assentiendum. Resp. ad minorem, distinguendo, quòd intellectus naturaliter assentiatur primis principiis. Nam id verum est, quantum ad specificationem: *quia præsuppositâ apprehensione debitâ principiorum, si judicium ferat circa illa, non potest esse judicium dissensus, sed assensus est. Quantum verò attinet* ad exercitium, *libertatem habet circa illa, dependenter à voluntate, & ideò potest assensum suspendere. Hanc libertatem non habent sensus, nec voluntas circa bonum in communi. Nam visus non potest non videre visile, voluntas non potest non velle τὸ appetibile. Ideò sensus & voluntas non sunt capaces habitus. Intellectus autem potest bene vel malè operari circa prima principia. Indiget ergo habitu ad bene operandum. Et ideo necesse est eum ponere.* Rubius tract. 1. de princip. quæst. 1. *Intellectum autem indifferenter se habere ad bene, vel malè operandum, circa principia, quàm plurima exempla docent. Sic v.g. hoc est principium*, Deus est. *Quàm malè intellectus operetur circa hoc principium, exemplo est diversitas religionum. Iccircò cùm intellectus possit utroque modo operari, determinari debet ad benè operandum: id quod fit per habitum. Nam habitus, ut constat è Logicis, est dispositio subjecti, per quam benè vel malè se habet, in ordine ad propripriam naturam, vel operationem. Adhæc si intellectus non indiget habitu ad assentiendum principiis; quia sunt evidentia, & naturaliter eum movent: sequitur, nec indigere habitu ab assentiendum conclusionibus. Ratio consequentiæ; quia habito assensu principiorum,*

Intellectus consideratur quoad Specificationem, & Exercitium.

Indifferentia intellectus circa prima principia.

piorum, evidentem veritatem continet conclusio in eis contenta, & etiam naturaliter movet intellectum. Sed est habitus conclusionū, ut tenet opposita opinio. Ergo etiam necessariò ponendus est habitus pro principiis, vel circa ea. Concludamus igitur nostram sententiam verbis Thomæ in comment. in 6. Ethic. c.3. Intellectus hîc accipitur, non pro ipsa intellectiva potentia; sed pro habitu quodā, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis, naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia. *Confer ea quæ habet in hanc sententiam* 1.2. q.94. art.1. *Vide insuper* Henricum quodlib. 5.28. Cajetanum 1. 2. quæst. 51. art.2. *& modernos omnes.*

II. Natura & essentia hujus habitus, ex proprio actu, & objecto, circa quod versatur, intelligitur. *Ab his enim sumunt speciem potentiæ & habitus, ut docet* Arist. l.2. de ani. c.4. Proprium itaque, & formale intelligentiæ objectum est veritas immediata. *h. e. propositio evidens, cujus prædicatū absq; ullo medio inhæret subjecto, sive universalis sit illa, sive particularis. Utraq; enim sub ratione formali objectivâ hujus habitus comprehēditur.* Proprius autem modus tendendi in objectum hujus habitus, *à quo sumitur ratio formalis*, est per immediatam comparationē ad ipsam rei veritatem, & immediatā evidentiam & claritatem. *Hanc enim sine ullo medio respicit. Alii enim habitus utuntur mediis, vel* discursus, *sive sit evidens, sive probabilis; vel* testimonii *& authoritatis. Unde, sicut alii habitus intellectuales constituuntur, & distinguuntur specie, per tale vel tale medium*

Ad quæst. 2.

Veritas immediata quid sit.

assentiendi: ut scientia per medium apodicticum, demonstrativum, & necessarium: opinio per medium dialecticum, seu probabile: fides per testimonium, humana quidem fallibile, divina autem infallibile: ita intelligentia, habitus ille principiorum, talis est in propriâ specie, & à cæteris habitibus distinguitur, quia per se immediatè comparatur ad evidentiam veritatis. *Itaq;* proprius actus ejus est, sine ullo medio assentire; *sicut actus scientiæ, assentire per medium demonstrativum. Iccircò rectè dicunt;* principia prima theoretica non tàm scimus, quàm intelligimus. *Rationem adfert philosophus: quia scire est rem per causam cognoscere. Principia autem prima sunt* ἀναπόδεικτα. *Et principia, quà principia, nullo modo possunt demonstrari, neq; à priori, neq; à posteriori. Nam dum principia demonstrantur à posteriori, id non fit, quatenus sunt principia, sed quà conclusiones fiunt, respectu simpliciter primi principii, quod ad ravim usq; inculcavimus:* Impossibile est idem esse & non esse. *Præterea* actus intelligentiæ duplex est; apprehensio videl. terminorum simplicium, & judicium. *Primus dicitur in Scholis materialis, secundus formalis. Nam apprehensio propter judicium est, ad quod suâ naturâ ordinatur. His ita positis, emergit & salvatur, ut loquuntur, definitio hujus habitus suprà proposita secundo loco.*

Principia prima intelliguntur, non sciuntur.

Intelligentiæ actus duplex.

III. Habitus principiorum est partim naturalis, partim acquisitus. *Naturalis est: quia maximum in naturâ principium habet. Acquisitus: quia per proprios acquiritur actus. Nam propria ratio hujus habitus sumitur per immediatam comparatio-*

Ad quæst. 3. Intelligentia est habitus partim naturalis, partim acquisitus.

ratio-

rationem, ad ipsam veritatem per se evidentem: quam nec respicit, neq; attingit per aliquod medium; sed solùm indiget notitiâ terminorum: quam item habet per species terminorum, ex quibus principia ipsa componuntur. Istæ autem species producuntur ab intellectu agente, & imprimuntur intellectui paßibili, mediis speciebus sensibilibus objectorum, quæ vocari phantasmata suprà non semel indicatum est. Operatio porrò sensuum, & ejusdem intellectus agentis, per quam efficiuntur species, naturalis est, & sine habitu efficitur. Informatus autem intellectus patiens per has species principiorum, & intellectâ per eas significatione terminorum, sine ullâ arte vel industriâ; sine ullo medio, vel discursu assentitur principiis: & per talem assensum, generatur habitus principiorum: qui posteà intenditur & perficitur per frequentem repetitionem ejusdem assensus. Et ideò, tàm ex parte specierum, naturaliter productarum, quàm ex parte assensus principiorum, dicitur habitus iste naturalis: quamvis sit liber (id est, non coactus) assensus, & ex consequenti, liberè producatur habitus per eum. Et tandem, quia assensus principiorum, & habitus ipse, producuntur sine medio, sine discursu, sine arte, solùm per naturale lumen ejusdem intellectus: ideò non est nomen aliud ei inditum, sed nomine ejusdem intellectus significatur, dum dicimus, esse intellectum principiorum. Hæc autem non habent alii habitus intellectuales, ut habitus scientiæ. Is enim præter operationem intellectus agentis, præter species conclusionis, quas imprimit intellectui patienti, prærequirit artem, per quam disponantur principia: prærequirit assensum eorum, tanquam medium formale,

Species intelligibiles producuntur ab intellectu agente.

quo intellectus assentitur conclusioni, & per talem assensum generatur. *Et ideò neq; habitus scientia, neq; alii similes eo modo naturales dicuntur, quo intellectus. Patet igitur, quomodo intellectus vocetur & sit naturalis, quomodo itē acquisitus.* Naturalis *quidē, dum à naturâ habetur, ut ait* Thom.1.2.q.1.art.1. *sive secundùm inchoationem.* Acquisitus *verò, dum per proprios actus acquiritur, sine ullâ tamen arte, sine ullo medio, per solam operationem & virtutem intellectus agentis & patientis, & sensuū, quorum naturales operationes præsupponuntur.* Rubius loco antè citato. *Huc pertinet autoritas* Thomæ d.l. *ubi ait*: Puer quidem habet hunc habitum inchoativè, quia naturalis hoc modo est: non tamen utitur propter defectum ætatis; quia non habet formaliter, quousq; per assensum primorum principiorum in eo generetur, & per sequentes act⁹ perficiatur. *Confer* Ferrar.2.contr. gent.c.78. *Alii simpliciter naturalem esse statuunt: in quibus sunt* Conradus 1.2.q.94. art.1. & Bannes 1.p.q.1.art.6.not.3. *Sed* Cajet.1.2.q.51.art.1. d.l. *negat hunc habitum ullo modo esse acquisitum.*

Ad quæst.4. *IV. Duabus conclusionib. quartū theorema constabit.* 1. Habitus principiorum speculativorū, & practicorum, specie distinguuntur. Thom.1.p. q.79.art.12. *Ratio hujus: quia habitus & actus specie distinguuntur, per diversa objecta. Sed veritas speculativa, quam continent principia speculativa, & circa quam versantur habitus speculativi, tanquam circa proprium objectū, specie diversa est à veritate practicâ, quam continent principia practica, & circa quam versantur habitus practici, tanquam circa proprium obje-*

Veritas theoretica differt specie à practicâ.


objectum. Nam illa ex propriâ naturâ ordinantur ad sciendum: hæc verò ad operandum. v.g. principia practica sunt: Bonum est prosequendum, & malum fugiendum; virtus est amplectenda, & vitium fugiendum: *quæ per se patet ordinari ad operandum. Speculativa sunt:* Totum est majus suâ parte: homo est animal rationale: *& similia; de quibus manifestum est, nullum ordinem dicere ad operandum.* 2. Habitus principiorum speculativorum distinguuntur specie; quatenus in diversis materiis inveniuntur. *Nam habitus principiorum unius scientiæ distinguitur specie ab habitu principiorum alterius. Diversa sunt principia, & quidem specie. Ergo etiam diversi specie habitus pro principiis sunt ponendi: ita, ut sit alius habitus, per quem assentimur huic principio:* Quodlibet est, vel non est: *ab eo, per quem assentimur illi:* Totum est majus suâ parte. *Ut conclusio fiat dilucidior, sic habe. Habitus distinguuntur per diversos actus; & actus sunt diversi per diversa objecta. Sed assensus principiorum unius scientiæ, specie distinguitur ab assensu principiorum alterius scientiæ: & assensus unius principii universalissimi, distinguitur etiam specie, ab assensu alterius. Ergo habitus etiã erunt distincti specie. Suadetur minor: quia diversa principia continent diversã veritatem quam respiciunt assensus, tanquam objectũ proprium: ut, diversam veritatem specie continet hoc principium:* homo est animal rationale: *ab illo:* Natura est principium motus & quietis, ejus in quo est. *Ergo efficiunt assensus specie distinctos, in intellectu; & diversi assensus, efficient habitus etiam diversos. Et idem exemplum adduci potest, in diversis principiis universalissimis.*

Habitus distinguuntur per actus: actus per objecta.

Intellectus assentitur primis principiis, intellectâ significatione terminorũ. Ratio assentiendi Generica

Quamvis autem intellectus omnibus principiis assentiatur, intellectâ significatione terminorum, sine ullo medio; modus tamen iste assentiendi, & ratio formalis est generica: sicut etiam generica *est in scientiis, assentiri conclusionibus, per medium demonstrativum. Sicut ergo in scientiis, specie distincta est ratio assentiendi, secundùm distinctam rationem principiorum, per quæ assentitur intellectus conclusionibus, hujus aut illius scientiæ: & sicut per hanc distinctam rationem specificam, distinguuntur habitus scientiæ specie: ita in assensu principiorum, distincta est ratio assentiendi specifica; secundùm distinctionem* specificam *diversarum veritatum, quas diversa principia continent. Nam ratio assentiendi principiis, ipsamet veritas principiorum per semet ipsam est, & non per aliud medium. Diversa igitur veritas immediata cùm sit, diversa etiam ratio assentiendi erit, & diversum assensum secundùm speciem efficiet: & diversi assensus secundùm speciem, diversos habitus principiorum generabunt.* Rubius tract. 1. de habit.

& Specifica.



Cap. 5. De Scientia.

Scientia.

SCientia est habitus, quo quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus necessariis per proprias causas, non autem per primas.

Theoremata ejus sunt.

An sit?

I. Habitus conclusionum theoreticarũ differt ab habitu principiorum. *Ratio: Habitus distin-*

distinguuntur per actus: actus per objecta. Actus autem in intellectualibus sunt ipsi assensus. Sed assensus principiorum ejusdem scientiæ, & conclusionum ejus distinguuntur specie. Ergo ad habitus specie distinctos, quos generabunt, pertinere debent. Probatur minor: quia assensus distinguuntur specie per diversas rationes formales assentiendi. Sed assensus conclusionum habet diversam rationem ab assensu principiorum. Ratio: quia intellectus assentitur principiis sine ullo medio, conclusionibus verò propter principia in demonstratione disposita. Ergo assensus ipsi distinguentur specie. Errant igitur vehementer, qui faciunt vnum eundemq; & principiorum & conclusionum habitum. Nam habitus principiorum distinguitur ab habitu conclusionum: tanquam causa à suo effectu. Etenim principia, quibus per talē habitum assentimur, sunt ratio formalis, propter quam assentimur conclusionibus. Illorum ergo habitus necessariò præsupponitur. Et sicut intellectus inclinat ad assentiendum principiis sine medio: ita scientia inclinat ad assentiendum conclusionibus, mediantibus principiis.

Assensus principiorū differt ab assensu con clusionum.

II. Evidentia & certitudo est scientiæ intrinseca. Rubius tract.3.de habit.q.2. *Hoc probatur ex* 1.post.c.2. *Vnde talem scientiæ definitionem colligimus:* Scientia, est cognitio vera, & certa rei necessariæ, per propriam causam. *Hujus definitionis* ἀνατομὴν *instituemus, ut qui sciamus, prædicata essentialia cujusq; rei ex ejus definitione constare. In eâ* Cognitio *habet rationem generis: quia in eâ convenit scientia cum cæteris actibus intellectus.* Cognitio autem est duplex; a-

Scientia est cognitio, & evidens, & certa-

Cognitio est

Actualis vel Habitualis.

ctualis, & habitualis. Actualis est assensus conclusionis: Habitualis verò, habitus per eam generatus. *De utraq; potest cognitio hoc in loco sumi. In communi autem modo loquendi, pro habituali potiùs sumitur.* Reliquæ verò particulæ ponuntur loco differentiæ, *ut per eas distinguatur à reliquis habitibus intellectus.* Nam Vera *dicitur cognitio, ut distinguatur ab errore:* Certa, *ut distinguatur ab opinione, & cæteris habitibus contingenter veris, quibus non repugnat subesse falsum.* Per Rem necessariam, *separatur à Prudentiâ & Arte, quæ versantur circa contingentia. Particula denique* per causam, *distinguit scientiam ab habitu principiorum, qui non procedit per medium, sed immediatè assentitur veritati, habitâ notitiâ terminorum. Per eandem particulam distinguitur à scientiâ, quæ habetur à posteriori, per effectum. Eam enim hoc loco non intelligit Aristoteles, sed tantùm scientiam perfectam, quam vocant* à priori, & propter quid. *De hâc definitione movent interpretes quæstionem, an sit completa, vel desit ei particula,* evidens, *saltem subintelligenda? Hæc quæstio ut enodetur, explicandi sunt tres illi termini, Certitudo, Necessitas, Evidentia.* Rubius 2. tract. de habit. q. 1. *Itaq;*

Scientia quomodo differat ab Errore Opinione Prudentia Arte, & Intelligentiâ, & Scientiâ à posteriori.

Certitudo quid sit?

Certitudo, *est firma adhæsio intellectus alicui objecto absq; dubitatione, vel formidine: ut illam definiunt Dd. Scholastici,* in 3. d. q. 26. Thom. q. 2. art. 4. Bonavent. q. 4. Durand. in 4. dist. 37. q. 8. *Cæterùm firma ista intellectus adhæsio duplex est;* apparens & vera. Apparens *est, quando intellectus, ex aliquâ ratione probabili, atq; ex efficaci applicatione voluntatis, tenaciter inhæret alicui objecto:*

Certitudo duplex I. Apparens.

jecto: de quâ loquitur Arist. 7. Eth. cap. 3. ita firmiter adhærent nonnulli suis opinionibus, falsis, aut erroribus, sicut alii adhærent scientiis. *De hâc adhæsione non intelligitur definitio scientiæ, sed de* Verâ, *qua intellectus propter ipsam rei veritatem, aut solidam ac firmam rationem, vel etiam infallibilem authoritatem, adhæret alicui objecto. De hâc loquitur definitio.* 2. Vera.

Necessitas, *quatenus in ordine ad propositionem sumitur, de quâ nunc loquimur, est determinatio intellectus ad veritatem: & propositio necessaria erit, quæ ita est vera, ut repugnet esse falsam.* Necessitas scientiæ quid sit?

Evidentia *denique, addit supra firmam adhæsionem manifestationem veritatis, sub claritate alicujus luminis: ita ut evidens dicatur objectum, quasi clarum, perspicuum, & manifestum. Hanc evidentiam seu claritatem habent principia ex sese, scientiæ verò participatam à principiis. Et de certitudine atque necessitate nemo potest dubitare, quin sint essentiales scientiæ, cùm utraque sit expressè posita in definitione. De solâ igitur evidentiâ, quum non sit expressa, quæstio est:* an sit scientiæ essentialis, *& ideò in definitione subintelligenda. Et dicitur, quòd sic.* Ratio: *quia si quis demonstrat conclusionem per causam, vel effectum, cognitum per lumen naturale intellectus; necesse est habeat evidentiam præmissarum; cùm ei sint manifestæ sub claritate luminis naturalis: & consequentia eodem modo, etiam ei est evidens. Probatur consequentia: quia ex causâ per se, omni ex parte evidenti, evidens quoque effectus debet sequi. Sed ex tali assensu conclusionis*

Evidentia scientiæ qualis?

Evidentia est scientiæ essentialis.

evidenti, generatur habitus ſcientiæ. Ergo erit etiam evidens eſſentialiter. Ariſtoteles autē non expreſſè poſuit hoc eſſentiale ſcientiæ prædicatum in definitione: quia ſuppreſſè & implicitè ibi continetur. Quod ſi quis velit adjicere, per nos licet.

Scientia quomodo ſit rerum ſingulariū.

Scientiæ vocabulum eſt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων.

Notitia intuitiva.

III. Scientia eſt rerum ſingularium, & non eſt. *Hoc theorema ut intelligamus, excutienda eſt homonymia ſubjecti & prædicati.* Subjectum, ſcientia, *tribus modis ſumitur. I. Pro certâ & evidenti cognitione rei per diſcurſum habita, vel ſine eo, per ſimplicem intuitum. Hoc ſenſu, ſcientia verſatur circa ſingularia quæcunque. Nam Deus, & Angeli (ut habet communis Dd. opino) per notitiam intuitivam, ſine diſcurſu, perfectiſſimè cognoſcunt ſingularia. Et talis eorum notitia intuitiva, perfectiſſimam habet rationem ſcientiæ. Nos quoque de Deo & Angelis habere poſſumus, & habemus, ſcientiam: & mediis ſenſibus, habemus intuitivam notitiam ſingularium ſenſibilium: quæ ſecundùm hanc acceptionem vocari poteſt ſcientia.* Rubius d.l. *II. Pro ſolâ diſcurſivâ, habitâ per evidentem conſequentiam, ſive vera ſit demonſtratio, ſive non. III. Pro diſcurſivâ, habitâ per verā demonſtrationem. Prædicatum,* ſingularia, *his modis ſumitur.*

Scientia diſcurſiva.

Singularia ſunt Incorruptibilia.

Singularia ſunt vel incorruptibilia, vel corruptibilia. Incorruptibilia *ſunt, quæ ita ſunt ſingularia, ut ſimul ſint ſpecies, vel eminenter & perfectiſſimè continent perfectionem ſpecificam: ut, Deus & Angeli. Nam in Angelis, ut multi tenent, & pro ratione afferunt, non diſtingui differentiam ſpecificam ab individuali: falſum eſt. Angeli enim compoſiti ſunt è naturâ & ſuppoſito, ex genere & differentiâ, ex eſſe & eſſentiâ. Verum autem eſt,*

eos

eos esse entia singularia incorruptibilia. Et de his singularibus certum est, haberi posse scientiam. Alia sunt singularia corruptibilia, *in quibus distinguitur differentia individualis à specificâ, & extra rationem illius est. Et de his potest esse dubium*: an possint esse objecta scientiæ? *Vulgò enim dicunt*, scientiam solùm esse posse de universalibus. *Item*: Scientia est eorum, quæ se aliter habere nequeunt. *Dubium igitur procedit, an de singularibus corruptibilibus haberi poßit scientia discursiva secundo & tertio modo accepta? Respondetur distinguendo. Singularia corruptibilia considerantur duobus modis.* Primo, *ut participant naturam specificam in quâ conveniunt, putà humanam, vel aliam.* Secundo, *ut sunt distincta per proprias differentias individuales: & hoc est, considerare ea, ut singularia sunt formaliter, & reduplicativè. Si primo modo considerentur, certum est, etiam de illis posse esse aliquo modo scientiam. Nam cùm de specie poßit esse, per se primò, & immediatè scientia; erit etiam de singularibus per participiationem, & applicationem ejusdem scientiæ de specie, ad illa. Quia, si de homine probatur, per demonstrationem, quòd sit risibilis, etiam probari potest de Petro, aut Johanne, applicando eandem demonstrationem ad illum, probandoq́ per eam, quòd sit risibilis, hoc modo: Omnis homo est risibilis. Johannes est homo. Risibilis igitur. Et hoc modo in Theologiâ demonstrantur multa de Christo, ut homine, ex principiis fidei, & propositionibus simul evidentibus.* Tota ergo difficultas est *de eisdem singularibus, ut singularia sunt, & distincta per proprias differentias individuales*: an de illis possit esse

Corruptibilia.

Singularia corruptibilia considd. duobus modis.

Singularia formaliter & reduplicativè considerata.

ſcientia discurſiva, ſecundo, aut tertio modo ſumta? *Et negativa eſt vera: videl. ſcientiam discurſivam, quæ habetur per veram definitionem, de ſingularibus ſic acceptis nullo modo eſſe poſſe. Probatur hoc evidenter: quia vera demonſtratio, eſt verus Syllogiſm⁹, diſpoſitus in modo & figurâ, & procedens ex principiis univerſalibus indemonſtrabilibus, cujus medium eſt vera definitio, compoſita ex genere & differentiâ. Sed hæc non poteſt fieri è terminis ſingularibus. Ergo nec poteſt de ſingularibus haberi ſcientia discurſiva per veram demonſtrationem. Quid? Proprietates ſingularium à nobis non poſſunt perfectè ſciri, naturaliter ſcilicet. Ergo ꝓprietates ſingulares non poſſumus per aliquã conſequentiam probare de ſingularibus. Et hanc ob cauſam Ariſtoteles & nota Schola ſæpè pluribus ſuæ doctrinæ locis absq; ullâ diſtinctione negant, quòd ſcientia poſſit eſſe de ſingularibus.*

Demonſtratio quid ſit?

IV. De nullo ente per accidens, ut ens per accidens eſt, dari poteſt ſcientia. *Explicabimus ſingula. Dicimus: de* ente per accidens. *Ens per accidens vocatur illud, quod componitur ex pluribus entibus actu: ut album eſſe & muſicum. Dicimus inſuper,* de nullo ente per accidens. *Nam ens per accidens eſt quadruplex. Eſt vel concretum, vel collectivum, vel caſuale, vel fortuitum.* Concretum *eſt, quod reſultat ex duobus naturaliter concurrentibus & unitis, ut album & quantum.* Collectivum *eſt vel inordinatum, vel ordinatum.* Inordinatum, *quod componitur ex duobus vel pluribus entibus actu, per modum aggregationis, nullo in eis ordine obſervato: talis eſt cumulus, qui eſt aggregatus ex multis actualibus. Hoc dicitur unum per accidens*

Ens per accidens quid?

Ens per accidens eſt quadruplex. I Concretum II. Collectivũ.

omnibus

omnibus modis. Ordinatum *est, quod constat duobus, vel pluribus ordinatis, nempe uno ut determinabili, alio ut determinante.* Casuale *vocatur illud, quod ex duobus casu concurrentibus constat: ut, quòd æstivum tempus, frigidum sit, ac pluviosum: quòd musicus sit ædificator.* Fortuitum *deniq; est, quod fit ex duobus, à fortunâ, ut vulgò dicitur, concurrentibus: ut inventio thesauri cum effossione terræ. Videamus singula. Concretorum potest esse scientia: quia est eorundem definitio. Sed quatenus sunt entia per accidens, non sunt scibilia. Ideò adjecimus in definitione:* de nullo ente per accidens ut ens per accidens est. *Concreta autem cognoscuntur per abstracta. Unde enim aliquid habet ut sit, inde etiam habet ut cognoscatur, ut scibile sit. Alii dicunt, concreta licet sint entia per accidens secundùm esse, tamen per se posse considerari ab intellectu, per se etiam definiri, & per se posse demonstrari passiones de illis. Nam album definimus, quòd sit disgregativum visus: & quantum, quòd sit corpus habens partes extensas. Collectivorum inordinatorum nullo modo esse potest scientia. Vocantur enim entia per accidens omnibus modis. Ratio, quia nec habent ullo modo unam naturam, nec unam rationem. Quare non possunt unâ definitione explicari, nec habere determinatas passiones, quæ de illis demonstrari possint. Si verò considerentur collectiva ordinata, sunt scibilia. Licet enim sint illa entia unum per accidens entitate: sunt tamen unum per se ordine. Et ideò possunt definiri unâ definitione, quo pacto est definitum album, & quantum illis definitionibus, quas adduximus. Potest etiam habere determinatas pas-*

III. Casuale.

IV. Fortuitum.

Ens omnibus modis per accidens.

Unũ per accidens entitate, potest esse unum per se ordine.

ſcientia diſcurſiva, ſecundo, aut tertio modo ſumta? *Et negativa eſt vera: videl. ſcientiam diſcurſivam, quæ habetur per veram definitionem, de ſingularibus ſic acceptis nullo modo eſſe poſſe. Probatur hoc evidenter: quia vera demonſtratio, eſt verus Syllogiſm⁹, diſpoſitus in modo & figurâ, & procedens ex principiis univerſalibus indemonſtrabilibus, cujus medium eſt vera definitio, compoſita ex genere & differentiâ. Sed hæc non poteſt fieri è terminis ſingularibus. Ergo nec poteſt de ſingularibus haberi ſcientia diſcurſiva per veram demonſtrationem. Quid? Proprietates ſingularium à nobis non poſſunt perfectè ſciri, naturaliter ſcilicet. Ergo ꝓprietates ſingulares non poſſumus per aliquā conſequentiam probare de ſingularibus. Et hanc ob cauſam Ariſtoteles & nota Schola ſæpè pluribus ſuæ doctrinæ locis abſq; ullâ diſtinctione negant, quòd ſcientia poſſit eſſe de ſingularibus.*

Demonſtratio quid ſit?

IV. De nullo ente per accidens, ut ens per accidens eſt, dari poteſt ſcientia. *Explicabimus ſingula. Dicimus: de* ente per accidens. *Ens per accidens vocatur illud, quod componitur ex pluribus entibus actu: ut album eſſe & muſicum. Dicimus inſuper,* de nullo ente per accidens. *Nam ens per accidens eſt quadruplex. Eſt vel concretum, vel collectivum, vel caſuale, vel fortuitum.* Concretum *eſt, quod reſultat ex duobus naturaliter concurrentibus & unitis, ut album & quantum.* Collectivum *eſt vel inordinatum, vel ordinatum.* Inordinatum, *quod componitur ex duobus vel pluribus entibus actu, per modum aggregationis, nullo in eis ordine obſervato: talis eſt cumulus, qui eſt aggregatus ex multis actualibus. Hoc dicitur unum per accidens omnibus*

Ens per accidens quid?

Ens per accidens eſt quadruplex.
I Concretum
II. Collectivū.

omnibus modis. Ordinatum *est, quod constat duobus, vel pluribus ordinatis, nempe uno ut determinabili, alio ut determinante.* Casuale *vocatur illud, quod ex duobus casu concurrentibus constat: ut, quòd æstivum tempus, frigidum sit, ac pluviosum: quòd musicus sit ædificator.* Fortuitum *deniq; est, quod fit ex duobus, à fortunâ, ut vulgò dicitur, concurrentibus: ut inventio thesauri cum effoßione terræ. Videamus singula. Concretorum potest esse scientia: quia est eorundem definitio. Sed quatenus sunt entia per accidens, non sunt scibilia. Ideò adjecimus in definitione*: de nullo ente per accidens ut ens per accidens est. *Concreta autem cognoscuntur per abstracta. Unde enim aliquid habet ut sit, inde etiam habet ut cognoscatur, ut scibile sit. Alii dicunt, concreta licet sint entia per accidens secundùm esse, tamen per se posse considerari ab intellectu, per se etiam definiri, & per se posse demonstrari paßiones de illis. Nam album definimus, quòd sit disgregativum visus: & quantum, quòd sit corpus habens partes extensas. Collectivorum inordinatorum nullo modo esse potest scientia. Vocantur enim entia per accidens omnibus modis. Ratio, quia nec habent ullo modo unam naturam, nec unam rationem. Quare non possunt unâ definitione explicari, nec habere determinatas paßiones, quæ de illis demonstrari poßint. Si verò considerentur collectiva ordinata, sunt scibilia. Licet enim sint illa entia unum per accidens entitate: sunt tamen unum per se ordine. Et ideò possunt definiri unâ definitione, quo pacto est definitum album, & quantum illis definitionibus, quas adduximus. Potest etiam habere determinatas paſ-*

III. Casuale.

IV. Fortuitum.

Ens omnibus modis per accidens.

Unũ per accidens entitate, potest esse unum per se ordine.

ſiones, quæ de illo probentur. Ita *Muſica tractat de numero ſonoro, & Perſpectiva de lineâ viſuali, tanquam de propriis objectis: quæ ſunt veræ ſcientiæ. Deniq; caſualia & fortuita conſiderantur vel in communi, vel in particulari. In communi, quatenus ſunt caſualia, aut fortuita. Et de iis hoc modo conſideratis poteſt eſſe ſcientia: quia ratio caſualis, aut fortuiti in communi conſiderati, per ſe una eſt, & per ſe conſiderabilis.* Ideò Ariſt. *de caſu & fortunâ ſic conſideratis agit* l.2.phyſic. *Sed de eiſdem conſideratis in particulari, nulla ſcientia dari poteſt: quia nullam habent rationem per ſe conſiderabilem, ſed prorſus contingentia ſunt, & per accidens. Quare nec definiri per ſe poſſunt, nec ullam habere paſſionem, de ſe demonſtrabilem.*

Scientiæ ratio tribus abſolvitur: Subjecto Paſſionibus & Principiis.

V. Tribus completa ſcientiæ ratio continetur: *videl.* 1. Subjecto, *quod eſt ſcibile, circa quod tanquam ſcopum verſatur.* 2. Paſſionibus, *naturam ejus conſequentibus, ac de eo demonſtrabilibus.* 3. Principiis, *ex quibus demonſtrationes conſtituuntur, eaſdem paſſiones de ſubjecto eodem oſtendentes. Et nihil aliud, præter hæc tria reperitur, quod ad ſcientiæ ſubſtantiam ſpectare poßit.* Zabarella & omnes Peripatetici multis in locis.

VI. Scientia opinioni opponitur, ut perfectum imperfecto; ignorantiæ autem, aut ut habitus privationi, aut ut contrarium contrario. Petr. Molin. l.2. Logic. part. 2. c.1. *Sunt enim duæ ſpecies ignorantiæ, ut teſtatur philoſophus.* 1. poſt. c.12. *videl.* ἄγνοια καθ' ἀπόφασιν καὶ κατὰ διάθεσιν. *i.e. ignorantia ſimplicis ſeu puræ negationis, & pravæ diſpoſitionis ſeu affectata. Illa eſt mera ſcientiæ priva-*

privatio, qualis est in pueris & idiotis; vocatur aliàs ignorantia negativa, *& secundùm negationem. Hæc est falsa scientiæ persuasio, quæ errori suo prætendit rationem, sese inferens sub specie demonstrationis: qualis est Turcarum de religione sententia, itemq; Sophistarum, qui quum nil sciant, simulant se scire. Hæc est ignorantia habitu contracta. Prior opponitur scientiæ ut privatio, posterior ut contrarium.* Keckerm. præcog. philos. l. 1. c. ulti.

Cap. 6. De Sapientia.

SApientia est, quâ quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus necessariis, per primas & supremas causas. Sapientia.

Theoremata.

I. Ad sapientiæ naturam cognoscendam tres acceptiones observitandæ, quibus Aristoteles eam insignivit. *Nam* primò *sapientia accipitur pro omnium, vel certè plurium scientiarum cognitione, in quibus excellit quispiam. Sic accipit* Aristot. l. 1. Metaph. c. 5. Secundò *accipitur sapientia pro excellentiâ cujusq; artis vel scientiæ, in quo sensu quemlibet vocamus sapientem, qui non vulgarem alicujus artis peritiam consecutus est, sed ad perfectionis culmen pervenit.* Tertiò *accipitur pro unâ aliquâ scientiâ absolutißimâ, omniumq; excellentißimâ, à quâ simpliciter nominatur sapiens, qui eam assecutus est.* Arist. l. 6. Eth. c. 7. & l. Metaph. c. 1. circa finem. *Ea est Metaphysica, quæ tractat omnium disciplinarum prima principia.*

Sapientiæ vocabulum tribus modis accipitur.

II. Sapientia eſt habitus aggregatus, nempe ex intellectu, & ſcientiâ, *i.e. ex habitu principiorum, & concluſionum. Rectè itaq;* Zabarella in 1. poſt. analyt. c. 26. *tradit, quòd Sapientia nihil aliud ſit, quàm ſcientia cum intellectu conjũcta, id eſt, habitus quidã ex his duobus habitibus conſtans. Iccircò de ſcientiâ prius docendũ fuit, quàm de ſapientiâ.*

III. Sapientiæ dignitas extenditur ſupra dignitatem intelligentiæ, quamvis hujus modus procedendi ſit ſimplicior. Rubius in Logic. Mexic. tract. 3. de habitibus. *Ratio hujus theorematis patebit è ſequenti.*

Sapientis ſex attributa.

IV. Sapientis, (*adeoq; ſapientiæ*) ſunt ſex attributa; *quæ Ariſtoteles* l. 1. Metaph. c. 2. *Metaphyſico quàm rectiſſimè accommodat. Id quod veteres quidam interpretes non adverterunt, qui hæc attributa aliis adſcripſerunt. Eapropter ſingula perpendamus.*

Perverſus ſenſus primi attributi.

Ac primum quidem attributum eſt: omnia ſcire. *Id priſci ſic intelligebant, ut neminem putarent eſſe ſapientem, niſi qui ſciret omnia ſingulatim, hoc eſt, ad infimas uſq; ſpecies. Quocirca cùm eorum multi ſapientes haberi vellent, neceſſe erat, ut omnia minutatim & ſpeciatim ſe ſcire profiterentur, & (quod conſequens erat) nullam quæſtionem, de quâcunq; tandem re ea proponeretur, reſpuerent. Verùm hi cùm ſæpè exagitati eſſent à Socrate, Platone, & ejus ætatis philoſophis, contendentibus, fieri non poſſe, ut ullus mortalium hoc pacto omnium rerum cognitionem conſequeretur: proinde eam cognitionem, quam illi ſibi arrogabant, non eſſe veram & germanam ſapientiam, ſed fucatam ſcientiam, nomine*

Sophiſtarũ nomen ex quo tempore contemtui habitũ.

mine Sophistarum, quod antè ipsis erat honorificum, contemtui & ludibrio cæteris philosophis esse cœperunt. Et quia verborum præstigiis in disputando illudebant incautis, ei parti Dialectices, quæ de sophistarum redargutionibus inscribitur, suo vitio nomen dederunt. Plato in sophistâ, Protagorâ, Euthydemo, & Gorgia. *His exactis, successerunt Grammatici, qui non theatralibus disputationibus, ut sophistæ, sed privatis scriptionibus omnia se scire profitebantur. Quorum plurimos hodie invenire licet, in quos conveniat illud Homeri in Margitē:* Multa quidem noverat, sed malè noverat omnia. *Hi Grammatici, ut* Plato in Alcibiade *refert, longè dissimiles erant priscis illis Grammaticis, quibus cum Criticorū nomine atq; titulo honorario concessa erat potestas de omnium scriptis judicandi, quòd non modò in literis humanioribus essent doctissimi, sed in omnibus philosophiæ partibus cum laude versatissimi. Hos itaque damnat Aristoteles, cùm ait:* Sapientis esse, scire omnia, non singulatim, sed quoad fieri potest. *Potest aūt fieri, quoad primos sciendi fontes, quæ est primarum causarum & principiorū cognitio, quam qui tenet, de rebus omnibus, tanquā architectus, judicare potest.* Fons. in d. l. *Secundum attributū est:* scire non quævis, sed homini difficilia. *Hoc sibi sumunt Genethliaci, Astrologi illi judiciarii; & planetarii, qui ex natali cujusq;, & ex astrorū aspectu de totâ hominis futurâ vitâ judicāt, & libera hominū opera vaticinantur; Magi etiā, qui rerū absentiū & secretarum scientiā profitentur. Hi eam scientiæ opinionē apud barbaros & imperitos sibi conciliarūt, ut soli habeantur sapientes. Hæc.n. rerum cognitio difficilima*

Grammaticorum quorundam insolentia.

Critici qui olim dicti.

Quo pacto omnia scire possimus.

Secundi attributi perversus sensus.

Contra Genethliacos, Judiciarios, & Magos.

judicatur omnium, quæ apud nos sunt. Verùm hi non profitentur homini difficilia, sed impoßibilia, quæ à Cacodæmonibus discunt. At Aristoteles per difficilia hoc in loco intelligit quæ humanâ operâ & induſtriâ percipi poſſunt. Et quoniam primorum principiorum & cauſarum cognitio eſt hoc pacto omnium difficilima, rectè concludit ex hoc attributo, Metaphyſicam verſari circa primas cauſas & principia.

Difficilium nomine quid intelligat Ariſtot.

Tertium ſapientis attributum eſt, quòd in accuratâ demonſtrandi ratione totus ſit. *Hoc ſibi proprium faciunt Mathematici, Arithmetici ſcilicet & Geometræ, qui penes ſe totam demonſtrandi rationem eſſe credunt. Sed ſciant boni illi viri, accuratam demonſtrandi rationem, quam hoc loco Ariſtoteles ſapienti tribuit, non ad perſpicuitatem, non etiam ad rerum dignitatem, ſed ad independentiam principiorum referendam eſſe: tametſi cum independentiâ principiorum conjuncta eſt, rerum non ſolùm nobilitas maxima, ſed etiam ſumma ex naturâ rei perſpicuitas. At principia Mathematicarum ex Metaphyſicis pendent, eaq; ſupponunt. Nam & ſimplicia hæc, Punctus, Linea, & ſimilia includunt communiſſima rerum prædicata, de quibus Metaphyſicus agit: & complexa illa inſigniora & propria, quibus utuntur:* Omne totum eſt majus ſuâ parte; unitas nec multiplicat, nec dividit: *Metaphyſica ſunt planè, ſi non ſumantur contracta ad quantitatem. Quod ſi ſumantur contracta, jam ſupponunt alia priora, quæ in Metaphyſicis traduntur. Itaq; ſi demonſtrandi rationem metiri libet perſpicuitate, ſi dignitate rerum, ſi deniq; independentiâ principiorum, offendes Matheſin* δὶς διὰ πασῶν *à Metaphyſicâ diſtare.*

Tertium attributum qui non rectè ſibi tribuant. Adverſus Mathematicos.

Accurata demonſtrãdi ratio quę ſit.

Quar-

Quartum attributum est, maximam ad docendum habere aptitudinem. Id Plato l. 7. de Repub. *Dialecticæ videtur tribuere, quòd ea sola videatur omnia ad prima usq; principia & causas revocare. Hinc eam solam simpliciter sapientiam vocat, cæteras verò, quas dicimus scientias, non scientias esse dicit, sed opiniones, nec cæteros artifices philosophos, sed φιλοδόξους appellat, h.e.* opinionis amatores. *Verùm tenendum, quòd Plato Dialecticam non semel acceperit pro Metaphysicâ, ut videre est* 5. de Rep. *Quod si quis hoc attributum eâ ratione Dialecticæ convenire velit, quòd ea sola doceat, quo pacto docendum sit (nulla enim aptior disciplina ad docendum videtur dari posse, quàm quæ doceat, quo pacto sit docendum: unde & Dialectica κατ' ἐξοχὴν dicitur τρόπος παιδείας καὶ ἐπιστήμης, eò quòd istum τρόπον doceat) is sciat, in docendo priorem & potiorem locũ habere principia, ex quibus docemus, quàm modum docendi, sine quo non docencus: aptitudinem verò ad docendum, quæ in hoc attributo traditur, propter cognitionem principiorum, non propter cognitionem modi docendi tribui sapienti. Id quod Aristoteles apertè explicat, cùm ait,* eam scientiam aptiorem esse ad docendum, quæ magis versatur in causarum consideratione.

Quartum attributum qui non rectè percipiant.

Quintum attributum est, quòd maximè expetenda sit. *Hoc forsan eâ ratione videatur Astrologiæ tribuendum, quòd principes eam penè solam, aut maximè suo studio dignam ducant. Ea enim videtur per se studio dignissima, quæ est digna studio maximè liberorum hominum, quales censentur principes. Verùm nec principes sunt maximè liberi, nisi quemad-*

Quinti attributi perversa attributio.

Principes quando dicendi liberi.

modum cæteris hominibus, ita etiam propriis affectibus dominentur, & omnia, quæ vani & effœminati in pretio habent, pro nihilo ducant: nec Astrologia est maximè liberorum hominum studio dignissima. Nam *etsi inter Mathematicas, imò etiam inter omnes liberales artes nulla est scitu dignior, quòd ea sola de rebus cœlestibus disserat: dignior tamẽ est ea, quæ ipsam cœlestium rerum naturam, causasq; considerat: hæc verò est philosophia naturalis. Siquidem Astrologia non agit de naturâ cœlestium corporum; sed de eorũ numero, magnitudine, & quantitate motus.* Hâc *ipsâ ratione concedebatur olim hoc attributum naturali philosophiæ, & qui in eâ versabantur, primi philosophi sapientesq; habebantur. Sed non rectè: quum sit aliud quoddam genus rerum superius, quod illi aut non agnoscebant, aut non tractabant, rerum, inquam, omnis materiæ ac mutationis expertium, quæ sunt omnium cognitu dignissimæ. Quæ omnia præclarè explicat* Aristoteles c.3.l.4.Metaph.tex.7.

Physica non est sapientia.

Sexti attributi non recta accommodatio.


Sextum deniq; attributum est, omnibus præcipere. *Id nonnulli putant convenire politicæ: quòd præcipere sit actus practicus. Politica verò sit suprema inter practicas, eademq; imperet contẽplativis. Ad scientiã.n.de* Reip.*administratione pertinet præscribere scientias etiam contemplativas, quibus sit danda opera, eisq; modum imponere, & ad commune bonum dirigere. Hinc Lycurgus, Solon, & cæteri primi legũ conditores,* sapiẽtes *dicti sunt. Et* Plato 5.deRep. *planè concludit:* in morum disciplinis positam esse sapientiam, quarum principem esse politicam, nemini dubium est. *Deniq; de hâc philosophiâ Socrates pronunciat*, felices fore Resp. si aut reges philo-

philoſophentur, aut philoſophi Remp. adminiſtrent, in idemq; civilis potentia & philoſophia concurrant. *Falluntur tamẽ & hi, ut ait Fonſeca. Oportet enim ſuperiorem aliquã ſcientiam concedere, cujus ſit ultimum finem quærere ac tradere. Politica enim non illum tradit, ſed ſupponit, atq; ad eum omnes humanas actiones practicè dirigit. Itaq; ille ſuperior præcipit Politicæ: non practicè tamen, ſed contemplativè, quæ eſt præceptio minimè omniũ negotioſa: & ut de primo motore canit Boëtius,* Præceptio minimè negotioſa quæ ſit.

—— ſtabiliſq; manens dat cuncta moveri:

ita Metaphyſica eâ ratione cæteris ſcientiis & prudentiis imperat, eaſq; quodãmodo movet, quatenus purâ putâ contemplatione propriâ omnium communem finem oſtendit. Et talem præceptionem, contemplativam ſcilicet, non autem practicã, hoc in loco intellexit Ariſtoteles. Quanquam verò Politica dirigit homines, quoad uſum omnium ſcientiarum, etiã contemplantium, dum illum quibuſdam concedit, aliis negat, & interdum præfigit terminum, quem tranſilire, ſive in tradendis ſcientiis contemplativis, ſive in capeſſendis non licet, ipſas tamen ſcientias contemplativas dirigere non poteſt, cùm hæ ab illâ non pendeant, potiſſimùm verò Metaphyſica. Et hanc ob præceptionem, practicam ſcilicet, primi legum conditores appellati & habiti ſunt ſapientes. Hæc ſunt ſex ſapientis attributa, ab Ariſtotele rectè annotata. Statuere enim, quid ſit ſapiens, (*ut Ciceronis verbo utar Acad. q. 1.*) vel maximè videtur, eſſe ſapientis. *Quanquã verò horum attributorum ſingula pro ſingulis deſcriptionibus ſapientis haberi poſſunt, ex omnibus tamen multò luculentiorem illius explicationem colligere poteris.*

Præceptio eſt theoretica, vel Practica.



Cap. 7. De Synteresi.

Habitus practici qui sint?

EXpositi sunt tres habitus theoretici; sequuntur practici, quibus aliquis inclinatur ad assentiendum propositionibus practicis, quæ agunt, non de cognitione veri, ut theoretici, sed de actione boni moralis.

Bonum philosophi faciunt triplex, naturale, morale, & spiritale. Habitus practici inclinant intellectum ad apprehensionem & dijudicationem boni moralis.

Suntq; numero duo, Synteresis, & Prudentia.

Synteresis quid?

Synteresis est habitus practicus, quo quis redditur propensus ad assentiendum primis & communissimis principiis practicis: *quale est illud*: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Colleg. Conimb. in Eth. Arist. q. 3. art. 1. *Dicitur aliàs intelligentia practica.* Hemmingius de lege naturæ.

Sicut propositiones theoreticæ sunt vel principia, vel conclusiones: ita & propositiones practicæ sunt duûm generum, ac proinde duo illarum habitus.

De eâ sunt theoremata.

Synteresis unde dicta?

I. Synteresis dicta est παρὰ τὸ συντηρεῖν, à conservando: quia scilicet conservat in mente judicium, & discrimen boni & mali.

Sicut intelligentia conservat in mente discrimen veri & falsi: ita Synteresis discrimen boni & mali: Synteresis illa est intelligentia, sive intellectus, principiorum

cipiorum practicorum in intellectu practico, habitus nempe distinctus, & supperadditus ipsimet intellectui practico, sicut intelligētia superaddita est intellectui theoretico: ut docet Thomas in 3. dist. 33. quæst. 2. art. 4. *Intellectus theoretici objectum per se est verum, falsum per accidens, sed intellectus practici objectum per se est bonum, malum autem per accidens.*

II. Synteresis, lex naturæ, & conscientia differunt. *Audiamus hoc de discrimine* Thomam, qui in 3. dist. 33. q. 2. art. 4. Patet, *inquit*, qualiter differant, Synteresis, lex naturalis, & conscientia; quia lex naturalis nominat ipsa universalia principia juris: Synteresis verò nominat habitum ipsorum, seu potentiam cum habitu: conscientia verò nominat applicationem quandam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cujusdam. *Aurea sanè verba, &, ut poëta canit,* — Synteresis, lex naturæ, & conscientia differūt.

——— inscribi dignissima cedro.

Fusiùs singula percensere fert animus.

III. Lex naturæ consideratur juxta definitionem nominis, & rei. — Lex naturę.

Definitio nominis continet notationem, & synonymorum collectionem. — Definitio nominis legis naturæ.

De notatione nominis *ita habendum. Lex Græcis dicitur* νόμος, *ex eo, quòd suum cuique tribuat, ut Platoni & Ciceroni placet. Latinis ab eligendo appellatur. Illi ad finem Legis, nempe justitiam, hi ad consilii facultatem & eligendi potestatē respexerunt. Ut ita lex sit, quæ non solùm quid singulis tribuendum sit doceat: verùm etiam normam tradat de eligendis justis, & fugiendis contrariis. Debet itaque lex* — Νόμος unde? Lex unde?

omnis commendatrix virtutum, & emendatrix vitiorum esse. Alii legem dictam volunt à ligando, quia obligat ad obedientiam eum cui fertur. Naturæ *nomen additur epitheti loco, vel potius, διακρίσεως ἕνεκα. Eo enim monstratur hujus legis, de quâ nobis sermo est, forma. Nam cùm dicitur lex naturæ, duo innuuntur: 1. Quòd sit alia quàm scripta. Illa ordine prior, hæc posterior: illa fontis, hæc rivulorum habet rationem: illa hujus causa, hæc illius effectus existit. 2. Quòd sit omni homini insculpta, i. e. cōmunis intelligentia, quæ virtutes in honestis, & turpia in vitiis ponit. Hanc igitur legem qui negat, naturam negat, seipsum negat: ac proinde cum naturâ, & secum dissidet ipse. Ut nihil dicam de testimoniis philosophorū, & quæ est omni exceptione major, authoritate Pauli Apostoli* Rom. 1. & 2. Synonyma colligenda *jam veniunt. Insignitur autem hæc naturæ lex variis nominibus. Cicero eam vocat nunc* Jus naturæ, *propterea quòd humanis mentibus naturaliter impressa sit: nunc* Jus gentium, *quia omnibus hominibus longè lateq; per orbem terrarum sparsis eadem est. Nam nō ut oratio, ita ratio apud homines variat. Nunc* Jus divinū, *eò quòd Deus hujus legis sit author: quo sensu Paulus vocat* veritatem, & jus Dei. *Interdum* Jus æternum, *idq; eâ de causâ, quòd ejus norma sit constans & perpetua: quâ de re sic loquitur* Cicero pro Milone: Est. n. hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus: ad quā non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. Sophocles *vocat* ἄγραπτον καὶ ἀσφαλὲς θεοῦ νόμιμον. Arist. δίκαιον ἔμψυχον, *à quo omnis lex scripta vim suam mutuatur;*

Lex est non scripta, & scripta.

Lex naturæ, dicitur:

Jus naturæ,

Jus gentiū,

Jus divinū,

Jus æternū.

interdum λόγον, *interdum* νοῦν *vocat: quas duas voces Cicero conjungens ait, quòd hæc lex sit ratio mensq́ sapientis, videlicet* ἀποσκιασμάτιον, ἀποσπασμάτιον, *& radius quidã divinæ justitiæ in mente lucens: id* quod Euripides *eleganter his verbis expreßit:* Tanta lux, *inquit,* de cœlo nobis affulsit, ut etiã Hespero Luciferoq́; splendidior sit: quæ verò huic adversantur, è profundis emersere tenebris. Demosthenes *hanc legẽ dicit* εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν. *Est.n.veluti fundamentũ, cui lex scripta inniti debet.* Definitio rei, *eaq́ plenior, sic habet:* Lex naturæ est divinitus impressa mentibus hominum notitia certa, principiorũ cognitionis & actionis, atq; conclusionũ ex istis principiis demonstratarum proprio fini hominis congruentiũ, quas ex principiis necessaria cõsequentia ad humanæ vitæ gubernationẽ extruit ratio, ut homo ea quæ recta sunt cognoscat, velit, eligat, agat, viteté; contraria, quorũ omnium & testis & judex est conscientia hominibus divinitus attributa. *Hæc definitio totidẽ verbis est apud doctißimum* Hemmingium de lege naturæ. *Hujus definitionis analysin instituere placet. Principiò hæc definitio meminit originis legis naturæ, quam ad Deum refert, qui ipsam impreßit mentibus.* Rom.1.v.19. τὸ γνωςὸν τοῦ θεοῦ & c.2. v.15. γραπτὸν ἐν καρδίαις αὐτῶν: *q.d.* Quod est cognobscibile Dei (*sic vertit* Petrus Martyr *sup hũc locum*) scriptũ est in cordibus illorum. *Est igitur quidã veluti radib. divinæ mentis & sapientiæ. Itaq́ si Deus huj⁹ legis author est, utiq́ est omniũ antiquißima, dignißima, & æquißima, ita ut quicq̃d juxta hãc*

Definitio rei legis naturæ.

Author legis naturæ Deus.

legem sit, rectè fiat. Quicunque igitur hanc legem violat, non solùm cum naturâ, verùm etiam cum Deo *ipso pugnat. Quare admodum rectè veteribus philosophis θεομαχεῖν dicuntur, quicunque hujus legis limites perversè transiliunt. Hoc enim est peccare. Peccare, ait* Cicero in paradoxis, *est limites transilire. Proinde peccatum à pecude dictum, ut annotat* Franciscus Junius de peccato Adami primo. *Et θεομάχοι, qui lege hâc spretâ pro suâ vixerunt libidine, dicti sunt. Hîc deploranda est humana perversitas, protoplastorum lapsum secuta. Nam cùm Sol, Luna, astra, & omnes creaturæ divinæ ordinationi obtemperent, & agant juxta leges sibi impositas, solus homo in medio constitutus veluti speculator quispiam, solus contumaciæ reus peragitur, ut qui legi & ordinationi divinæ non velit esse subjectus. Tanta est perversitas, tanta contumacia hominis adversus naturæ opificem & architectum. Talis est origo legis naturæ: sequitur, quòd lex naturæ sit notitia, eaque certa. Nam normæ legis naturæ, neque sunt opiniones ambiguæ, neque sententiæ ἀκατάληπτοι,* quæ percipi non possint: *sed sunt firmæ rerum expetendarum & fugiendarum perceptiones, quas firmâ assensione ἄνευ ἐποχῆς Academicorum amplecti oportet. Huc pertinent ea, quæ* part. I. *disputata sunt copiosè de notitiâ sensitivâ & intellectivâ.*

Peccatum unde dictũ?

Perversitas naturæ humanæ jam corruptæ.

In definitione sequitur materia notitiæ circa quam. Notitia illa naturalis versatur circa principia cognitionis & actionis, ex quibus eliciuntur conclusiones. De principiis illis dictum est parte I.

Objectum legis naturæ.

Sequitur in definitione finis hominis, ad quem omnes actiones referendæ sunt. Est autem finis cujusque

Finis hominis.

jusq;

jusq; rei triplex: unus spectatur ex statu rei cujusq; perfectissimo: alter ex propriis rei cujusq; actionibus intelligitur: tertius, qui & finis bonorum existit, ex ordine rerum sumitur. Hemmingius acutissimus d.l. Primus finis non egreditur extra rem, sed in eâ manet; estq; status uniuscujusq; rei in suo genere perfectissimus: ita finis ignis est, esse maximè calidum & siccum, aquæ esse maximè frigidam & humidam. Ita, inquam, finis cujusq; rei est, perfectissima absolutissimaq; illa habere, quæ illi tribuit in suo genere Deus, ad quæ & acquirenda, & conservanda, Deus ea ordinavit bona, quæ Græci vocant συμφέροντα: ut cibus, potus, & recta ratio. Cibus & potus corporis incolumitati serviunt, recta ratio animæ confert, ut ipsa sit sana in corpore sano. Sunt autem duo gradus ad utriusq; corporis & animæ, atq; adeò totius hominis, incolumitatem necessarii. Primus gradus est, ut corpus animæ imperio se subjiciat. Ita enim naturâ ordinatum est, ut perfectiora imperfectioribus imperent. Jam verò anima longo intervallo est præstantior corpore. Illa λογικὴ, hoc ἄλογον: illa immortalis, hoc caducum. Itaq; secundum naturam est, si anima corpori imperet. Si enim corpus animæ imperet, idem profectò accidit, quod in Republicâ, in quâ mali bonis imperant. Ibi enim id fit, quod in navi, quæ amoto perito navarcha committitur ventis. Ut igitur status hominis bonus sit, omnium primò requiritur, ut se animæ imperio eoq; non politico, sed despotico, corpus subjiciat. Secundus autem gradus, ad conservandum hominis statum necessarius, est, ut facultates animæ sua tueantur officia, & nil contra naturæ ordinem faciant. Sunt autem tres facultates huc spectan-

Finis cujusq; rei est triplex:

Bona συμφέροντα quæ?

Duo necessaria ad hominis incolumitatem.

Tres facultates hominis.

tes, quarum nec similis est dignitas, nec æqualis in agendo authoritas. Facultates autem hæ sunt, τὸ λογικὸν, τὸ θυμικὸν, τὸ ἐπιθυμητικόν; *vel* λόγος, θυμὸς, ἐπιθυμία *i. e.* ratio, vis irascibilis, & concupiscentia. Melanchth. in l. de animâ. *Harum*

I. Λόγος. *dignitas ita æstimatur. Quò sunt menti propiores, eò digniores.* λόγος *proinde, qui est menti proximus,* τῇ ἐπιθυμίᾳ, *quæ corpori est proxima, & à mente remotissima, imperitare debet. Hic ordo si turbatur, hominis status concutitur, & metuenda est hominis eversio.* Nam *si* ἐπιθυμία, *excusso rationis imperio, imperet, fieri non potest, quin magnum aliquod ma-*

II. Θυμὸς. *lum sequatur. Est enim imperium concupiscentiæ contra naturam, ut fœminæ in virum. Deinde* θυμὸς, *si vel rationi imperet, vel concupiscentiæ subjiciatur, naturæ leges violantur. Hic enim est ordo:*

ANIMA		CORPUS
1	*2*	*3*
Λόγος.	Θυμὸς.	Ἐπιθυμία.

III. Ἐπιθυμία.

Ut igitur θυμὸς *est infra* λόγον *dignitatis gradu: ita est supra* ἐπιθυμίαν. *Natura ergo monet, ut* θυμὸς *rationi obtemperet, & concupiscentiæ imperet, sed ex rationis præscripto. Itaque* λόγος πέφυκε *tantùm imperare,* ἐπιθυμία *tantùm parére,* θυμὸς *nunc parére, nunc imperare. Et* λόγος *habet* ἀρετὴν ἀρχικὴν, vim imperandi, *quæ vocatur* φρόνησις, prudentia, *quæ Platoni appositè dicitur* ἡγεμὼν τοῦ ὀρθῶς πράττειν. *Prudentia siquidem est, quâ ratio ipsa, & sibi, & θυμῷ, & ἐπιθυμίᾳ, præfinit actionum modos.* Ἐπιθυμία *habet* σωφροσύνην, temperantiam, *juxta quam rationi paret, ut ne homo aliquid faciat abreptus voluptate, dolore, aliáve per-*

ve perturbatione. Θυμὸς, intermedius inter λόγον & ἐπιθυμίαν, duplicem virtutem habet. Si enim ἐπιθυμίαν respiciat, imperandi facultatem habet, quæ ἀνδρεία, fortitudo, dicitur: quâ & θυμὸς seipsum servat, ne à se vulneretur ipse, & concupiscentiam reprimit. Si verò rationem θυμὸς respiciat, præditus est τῇ σωφροσύνῃ, quâ obtemperat rationi, cujus consilium si spernat,

——— ——— præceps
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Quando igitur tres istæ facultates juxta naturæ ordinem agunt, emergit justitia. Atque hic est ille suavissimus concentus facultatū animæ in homine. In his.n. rebus absolutissimus hominis status consistit: videlicet, ut corpus animæ imperio subsit, & deinde ut facultates animæ suum quæque tueantur ordinem. Sic fit

——— ut sit mens sana in corpore sano.

Verùm, quū homo sit ζῶον πολιτικὸν, ut ait Plato, & veluti parva quædam respublica, fit ut virtutes illæ animæ, quibus incolumitas hominis status conservatur, ad societatem transferantur. Societatem, dico, œconomicam & politicam. Istis.n. quatuor cardinalibus, ut vocant, virtutibus, prudentiâ, temperantiâ, fortitudine, & justitiâ conservatur societas humana. Secundus finis rei cujuslibet, est quem ex propriis actionibus, quæ oriuntur ex propriis facultatibus cujusque rei, spectare debemus. Hic variat, pro facultatū conditione variâ, quas Deus rebus in naturâ contulit, ita ut pro facultatum ratione varii actionum gradus æstimentur. Hic aūt finis, qui in actione cujusque rei est positus, hoc pacto colligitur. In Natura, ut ajunt, nil fit frustrà, sed ad certum finē omnia diriguntur. Hoc axioma inductione collegerunt physici, quòd morales

Homo est ζῶον πολιτικόν & parva quædam Respublica.

Virtutes cardinales.

Moralis philosophus multa accipit à Naturali.

philosophi à physicis accipientes, doctrinam morum inde extruunt. Proinde facultates peculiares cujusque rei, destinantur peculiaribus actionibus & propriis, quæ proprios rerum fines spectant. Hic enim est ordo. 1. Res. 2. Facultas. 3. Actio. 4. Finis. *Et sicuti communes facultates rerum sunt propter communes actiones, pertinentes ad communem naturæ conservationem: ita facultates propriæ destinantur actionibus propriis, quæ proprios rerum fines spectant. Itaque quum sint peculiares in homine facultates, quæ non sunt in aliis naturis, efficitur, esse in eodem peculiares actiones, quæ sunt ejus finis.*

Peculiares in homine facultates tres sunt.

Peculiares autem in homine facultates sunt tres: videl. δύναμις γνωστικὴ, προαιρετικὴ, πρακτικὴ: *quæ non sunt in aliis naturis. Proinde actiones harum facultatum sunt finis hominis, si modò eum finem spectes, qui in actionibus est positus, de quo nos loquimur hoc loco: Jam verò* δύναμις γνωστικὴ *veritatis inquisitioni:* προαιρετικὴ, *boni electioni:* πρακτικὴ *virtutum actioni destinatur. Hinc conficitur talis demonstratio. Actiones propriæ hominis, sunt finis hominis. Atqui inquisitio veri, electio boni, & actio virtutis, sunt propriæ hominis actiones. Igitur hæ actiones sunt finis hominis. Verùm quia inter has actiones supremum gradum occupat virtutis actio, cui* γνῶσις & προαίρεσις *serviunt, rectè philosophi collocarunt finem hominis in actione virtutis. Falsi igitur sunt* Epicuréi, *qui finem hominis posuerunt voluptatem.* Ea *non potest esse finis hominis: quum non sit propria hominis actio.* Nam *ei communis est cum brutis.*

Tertius denique finis est, qui ex rerum ordine spectatur, quâ ratione omnia inferiora referuntur ad superiora,

periora, tanquam ad suos fines. Philosophi vocant finem objectivum. Sic enim Deus naturam condidit, ut deteriora melioribus serviant. Ex quo relinquitur, quòd Deus sit ultimus omnium finis. Est enim summè bonus. Ergo si bonum & finis convertuntur, etiam summum bonū & summus finis convertuntur. Creaturæ autem quò propiores sunt Deo, eò perfectiores. Omnes autem creaturæ sunt vel invisibiles, vel visibiles. Et visibiles habent, vel esse tantùm, ut elementa, mineralia, & lapides: vel esse & vivere, ut gramina, herbæ, plantæ, arbores: vel esse, vivere, & sentire, ut jumenta, pisces, volatilia: aut habent hæc omnia simul, & prætereà τὸ intelligere, ut homines. In his rerum gradibus, prout consummatior natura, & eminentiore aliquâ formâ specificâ existit: ita ei res, quæ minùs perfectæ sunt, destinantur, & ad eam suas facultates, actiones, adeoq; se totas referre debent. Proinde homini res omnes inferiorum graduum destinantur, ejusq; usibus serviunt. Quoniam verò Deus est supra omnes gradus, illi utiq; ad Deum referuntur, ut is certus constituatur finis hominis, ultimus & primus, si ordinem rerum spectemus: ita, ut Stoici rectè docuerint, omnia propter hominem esse, & hominem propter Deum. Debent itaq; omnes hominis actiones ad Deum referri, ut is agnoscatur rectè, & rectè agnitus rectè colatur. Nam supremæ facultatis in homine suprema actio, versans circa supremum objectum, est propria hominis actio. Atqui agnoscere Deum, & agnitum colere, est supremæ facultatis in homine suprema actio, versans circa supremum objectum. Ergo agnoscere Deum, & agnitum colere, propriissima hominis actio est. Quare homo meritò

Deus est finis objectivus, non formalis.

Divisio creaturarum.

Propriissima hominis actio quæ sit?

felix & beatus est, quando in hâc actione occupatur: contrà miser & infelix, quando ab hâc alienus est. Ad præsentis demonstrationis conclusionem, homo naturâ duce, etiam in hâc corruptâ naturâ deducitur, ex quâ cùm ad praxin descendere cœperit, mox ut cæcus palpitat, & propriis ratiociniis fallitur, adeò ut à januâ, quod dicunt, aberret; & gloriam Dei invisibilis mutet in similitudinem creaturarum visibilium. Rom.1.v.23.

Tales sunt hominis actiones, quæ variant pro vitæ generibus, quæ nobis nunc distinguenda sunt, & singulis suus proprius finis ex illis tribus compositus, accommodandus est: quâ sanè contemplatione nulla erit jucundior, nulla in vitâ communi utilior, nulla deniq; dignior aut amplior.

Vitæ genus duplex.

Vitæ itaq; genus duplex est, theoreticum & practicum, *ut è superioribus intelligi potest, &* Aristoteles in Ethicis *testatur.*

Theoreticum vitæ genus in contemplatione & inquisitione veri versatur. Practicum vitæ genus actionem boni spectat. Estq; quadruplex, œconomicum, politicum, ecclesiasticum, & scholasticum. *Hoc universum genus habet finem, qui est conservatio ipsius per proprias actiones, Deum, ut ultimum finem, respicientes. Ultimum dico finem, quem alii ultimatum. Rectè enim monent philosophi, triplicem cujusq; rei esse finem; ultimum, gloriam Dei; intermedium, conservationem* τοῦ παντὸς, Universi; *proximum, conservationem suiipsius. Sic v.g. lapis ad triplicem illum finem collineat, appetitu scilicet innato; homo & innato, & elicito.*

Triplex est cujusq; rei finis.

Vita œconomica.

Vitæ proinde œconomicæ finis est conservatio familiæ,

milia,per actiones œconomicas, Deum ut finẽ bonorũ & finium respicientes. Hîc igitur debet λόγος præesse, ἐπιθυμία subesse rationi, θυμὸς denique ut παραστάτης adesse rationi. Ille prudentiâ, ista temperantiâ, hic fortitudine. His omnibus accedit justitia temperatrix,quæ facit, ut maritus & uxor, dominus & servus,pater & materfamiliâs,sibi officia debita reddant, ut ita domus dulcissimâ harmoniâ composita servetur incolumis. Hoc tali demonstratione probatur: Quicquid conservat statum œconomicum incolumem, præcipitur lege naturæ. Atqui si conjuges mutuo se complectantur amore,si gignant, si natos educent,tueantur, instituant bonis moribus,& rursus nati revereantur parentes, & similia,conservant statũ œconomicum. Igitur hæc præcipiuntur lege naturæ. Major principium immotum est. Minor ex contrariis & consequentibus ostenditur. Nam,ut ubi hæc officia violantur , familiæ corruunt, quemadmodum multa tragica exempla ostendunt: ita his officiis videmus familias florere. Ex hâc demõstratione fluunt præcepta œconomica, quæ plurima extant apud Xenophontem, Aristotelem, Plutarchum,& alios insignes philosophos, Hæc,inquam, demonstratio est fons, unde œconomicus philosophus principia & conclusiones petere debet. Vitæ politicæ finis est politiarũ pacificus status p̱ actiones politicas, quæ omnes eò referri debent,ut Deus in politicâ societate tanquã ultimus finis constituatur. Ne igitur hoc fine excidamus, eædem virtutes hîc requiruntur, quas suprà percensuimus, videl. prudentia, temperantia, fortitudo,& justitia. Et quidem hoc ordine, ut λόγος imperet,id est,prudentia, θυμὸς autem & ἐπιθυμία

Vita politica.

ſuo quæq; loco & ordine obtemperent, ut Plato docet. In harum enim facultatum & virtutum harmoniâ conſiſtit, quod eſt in vitâ difficilimum, videlicet, τὸ εὖ ἄρχειν, ϗ τὸ εὖ ἄρχεσθαι. Omnes .n. hæ virtutes requiruntur, cùm in eo qui imperat, tùm in eo, qui paret. Qui imperat, opus habet fortitudine, quâ cives in officio contineat, & noxia à civibus avertat: opus habet temperantiâ, ne affectibus pravis indulgens harmoniam ſocietatis humanæ disſolvat: opus habet juſtitiâ, quâ contractus regat, honores & operas diſtribuat, præmia conferat, ſupplicia ordinet, ſervatâ in ſingulis debitâ proportione, in aliis Geometricâ, ut in officiis & præmiis, in aliis Arithmeticâ, ut in contractibus. His omnibus prudentiam moderatricem adhibere neceſſe eſt. Nec minùs ad bene & legitimè parendum requiruntur quatuor iſtæ virtutes. Nam hæ virtutes utrinq; ſervatæ τὴν ἰσότητα Geometricam & Arithmeticam, ſine quibus ſtare Reſpublicæ nequeunt, conſervant. Ex his conficitur talis demonſtratio: Quicquid conſervat ſtatum politicum, lege naturæ præcipitur. Atqui ordo ſuperiorum & inferiorum conſervat. Ergo lege naturæ præcipitur. Minor probatur. Nam ſi ἀναρχία eſt contra naturam, utiq; ordo eſt ſecundùm naturam, ordo, inquam, ſuperiorum & inferiorum. Iſte autem ordo non poteſt obſervari niſi quatuor illæ virtutes concurrant. Eapropter quatuor iſtæ virtutes lege naturæ in politicâ ſocietate requiruntur.

Proportio eſt Geometrica, vel Arithmetica.

Vitæ eccleſiaſticæ finis eſt ejus conſervatio per actiones huic vitæ congruentes; quales ſunt, Deum agnoſcere, & agnitum colere. Ad hanc vitam œconomicus ſtatus & politicus tanquam ad ultimum finem referri debent. Ad hujus vitæ con-

Vita eccleſiaſtica.

ſervatio-

servationem itidem requiruntur suprà memoratæ virtutes quatuor. Demonstratio talis est. Quicquid conservat statum vitæ ecclesiasticæ, lege naturæ præcipitur. Deum agnoscere, conservat statum illius vitæ. Ergo præcipitur lege naturæ. Major est axioma, pendens ex principiis antea recitatis. Minor suadetur hoc modo. Finis hominis ultimus conservat statum Ecclesiasticum. Atqui agnitio Dei est finis hominis ultimus, sive suprema actio. Ergo conservat statum vitæ ecclesiasticæ. Minor iterum probatur. Status optimæ vitæ in felicitate est positus. Hæc autem felicitas in tribus consistit: in actu altissimæ potentiæ in homine quæ est intellectus: in habitu nobilissimo, qui est virtutis: in objecto dignissimo, quod est Deus. Hucusq; humana ratio rectà progreditur. Verùm cùm ex conclusione positæ demonstrationis, actiones huic vitæ congruentes extruere molitur, totâ errat viâ. Itaq; ubi desinit ratio, ibi incipit verbum Dei. Ex his ita disputatis facilè est judicare de vitâ Scholasticâ. Hæc dicta sunto de vitâ œconomicâ, politicâ, & ecclesiasticâ. Si placet addere scholasticam, non repugno, ut dixi. Jam quia lex naturæ plenissimâ epitome proponitur in Decalogo, ostendendũ erat, quomodo hactenus dicta congruant ad Decalogi præcepta. Sed non est præsentis id operæ. Vide, si placet, Hemming. nervosissimum scriptorem de lege naturæ. *Summa huc redit: Quicquid homini convenit secundùm rectam rationem, expetendum est, & quod cum ratione pugnat, fugiendum. Virtutes conveniunt, vitia minimè. Ergo ut illæ expetendæ, ita hæc fugienda sunt. Major est principium suprà, non dico demonstratum, sed declaratum. Minor colligitur ab enume-*

Felicitas in tribus consistit.

Lex naturæ continetur in Decalogo.

ratione effectuum. Virtutes enim stabiliunt œconomias, politias, ecclesias, & scholas, quas vitia funditùs evertunt.

Nũ omnia, quæ concluduntur è principiis legis naturæ, sint necessaria?

Hîc incidit quæstio gravis juxtà & utilis: num omnia, quæ concluduntur ex principiis legis naturæ, sint necessaria nec ne? Respondeo *distinguendo: omnia quidem necessaria esse, sed alia in genere, alia in specie. Conclusiones* in specie *immotæ & necessariæ sunt, quæ rectè extruuntur è principiis, ita ut quidquid statuitur ab ullo homine contra conclusiones rectè extructas, sit contra legem naturæ. Ita lex fuit lata à Semiramide, ut cognati cognatas ducerent in uxores, hoc fine, ut sui filii complexu frueretur, à quo occisa est. Qui huic legi obtemperarunt, lege naturæ damnati sunt. Aliæ conclusiones sunt necessariæ* in genere, *non in specie. Hæ mutari possunt in specie, manente genere. Hujusmodi sunt plurimæ imperatorum & principum leges, qui semper respiciunt ad incolumitatem Reipublicæ, & ad eam confirmandam suas leges ordinant. Sit e.g. hæc lex:* nemo peregrinus vallum conscendat. *Hæc lex in genere est necessaria, non in specie. In genere, quatenus ad commune bonum facit, & ad conservandam* Reip. *utilitatem. In specie autem non est necessaria, quia hæc determinatio non directè concluditur ex axiomatis naturæ. Poterit enim incidere casus, ut lex feratur, quâ peregrinus obligetur ad conscendendum vallum, quæ sanè cum priori pugnat, sed in specie, nō in genere. Addamus & hoc exemplum. Lex aliquando fuit:* Nemo usuram accipiat. *Hæc lex in genere necessaria est, non in specie. In genere quidem, quatenus incolumitati* Reipubl. *servit, & commoda est civibus. In specie*

Conclusiones sunt necessariæ
I. In specie, seu simpliciter.
II. In genere, seu secundùm quid.

In specie autem non est necessaria, quia fieri potest, ut vitio hominum non sortiatur finem propositum, h.e. ut nec Reip. utilis sit, nec civibus commoda. Si ergo, ut majori incommodo occurrat magistratus, permittit moderatam usuram, ut accipere quinque, vel sex de centum, ut hac ratione juventur cives, & consulatur Reip. non evertit priorem legem in genere, licet ferat promissionem in specie. Ideo diligenter spectandum est, quæ hypotheses sint necessariæ in specie, seu ἁπλῶς, & quæ in genere tantùm, seu κατά τι. Hæc distinctio multas quæstiones diluere potest, & ostendit, quòd tametsi omnes honestè leges extruantur ex axiomatis legis naturæ, non tamen sit necessarium, ut nos easdem leges habeamus cum Gallis, Italis, aut Polonis in specie. Quilibet enim magistratus αὐτοπάθως poterit leges utiles suæ Reipubl. condere, modò nihil contra naturæ normam faciat. Imò verò idem magistratus potest alias leges in aliis habere ditionib. si id vel conditio hominum, vel ratio proprietatum exigere videtur. Quæ diversæ leges tametsi in specie variant: tamen pulcherrimè in genere conveniunt, & minimè sibi invicem adversantur. Hoc tamen ita intelligi volo, ut in bene constitutis Rebuspublicis non temerè legum fiat mutatio. Nam leges longo tempore & veterum authoritate confirmatæ, jam sacrosanctæ haberi debent, ut nefas sit eas immutare. Si tamen interdum mutandæ sunt nonnullæ, huc diligentia magistratus incumbat, ut leges & consentientes legi naturæ, & utiles saluti Reipublicæ ferat. Sunt qui ad propositam quæstionem ita respondent: Natura tribus modis aliquid dictat. Quædam dictat necessariò facienda.

Unus idémque magistratus potest diversas habere leges, in diversis ditionibus.

Natura tribus modis aliquid dictat.

Quædam rursus indicat necessariò fugienda. Quædam deniq; in medio relinquit. *Quæ necessariò dictat facienda natura, ea cùm fiunt, justa sunt ubiq; & apud omnes; idq; naturâ, non opinione. Hujus generis sunt omnium virtutum actiones propriæ, quæ è principiis naturæ per demonstrationē extruuntur. Quæ necessariò natura cavenda judicat, ea cùm fiunt, injusta sunt, ubiq; & apud omnes, idq; naturâ, non opinione. Hujusmodi sunt omnes actiones, quæ deflectunt vel minimùm à virtutum propriis actionibus. Quæ in medio relinquuntur, sunt libera, ita ut nec justus, nec injustus dicatur quis, sive ea faciat, sive omittat. Græci vocant μέσα, ἀδιάφορα, ἐπαμφοτερίζοντα, id est,* media, indifferentia, *& talia, quæ nec in virtutibus, neq; in vitiis ponenda sunt. Sunt enim hæc media non participationis, sed negationis. Ita v. g. vallum urbis conscendere, vel non conscendere, naturæ lex liberum relinquit. At ubi decretum magistratus accesserit, quo interdicitur, ne quis vallum conscendat, justitiæ & legis transgressor habendus est, qui contemto magistratus decreto vallum conscendit, & contrà qui abstinet propter magistratus edictum, justus in eâ legis parte censendus est. De hoc tertio genere quæri potest, nū latâ lege injustum sit naturâ vallum conscendere? Si non est naturâ injustum, videtur opinione tantùm injustum esse. Dicimus, naturâ fuisse liberum, ideoq; nec justum, nec injustum: sed postquam accessit vox magistratus, quæ finem naturæ spectans, h. e. incolumitatem Reip. interdixit quod liberum erat, naturæ terminos transgreditur, qui hanc legem violat, & factum pronuncio injustum naturâ, non quidem ἁπλῶς, sed*

κατά τι, h.e. ob finem, quem natura spectat in actionibus pertinentibus ad conservandam incolumitatem societatis humanæ. Satis de lege naturæ. Sequitur quartum hujus capitis theorema, de Synteresi.

IV. Synteresis est habitus principiorum legis naturæ. *Atq; hæc est illa melior animi pars, ut ait Aristoteles, quæ semper hortatur ac provocat ad meliora. Hæc συντήρησις propositiones illas immediatas practicas suppeditat. Earum enim est custos & conservatrix. Earum, inquam, notitiarum, quæ nobis innatæ sunt de rectè factis ac secus. Hæc semper attendit, quid expediat, quidve non expediat. Atq; eâ de causâ suppeditare propositiones Syllogismis practicis dicitur: quales sunt,* honesta sunt facienda: turpia fugienda. *Hæc sunt duo axiomata prima, quæ de actionibus ex lege naturæ promit συντήρησις, ex quibus posteà plurimæ extruuntur hypotheses, quæ Syllogismo practico præbent propositiones majores. Cum συντηρήσει est κριτήριον, h.e.* judicium. *Hoc enim illam sequitur, veluti umbra corpus.* Κριτήριον, *est facultas judicandi, quæ judicat de factis, an ea laude, an vituperio, præmio an pœnâ digna sint. Hoc ergo κριτήριον majori propositioni, quam suppeditat συντήρησις, addit judicium, & etiam concludit in Syllogismo practico generali. Sed deinceps de conscientiâ.*

Synteresis est melior animi pars.

Κριτήριον sequitur συντήρησιν.

V. Conscientia est cognitio practica, quâ nostræ actiones aut defenduntur, aut accusantur. *Est, inquam, testimonium, quod unusquisq; in seipso sentit de officio aut facto, aut neglecto. Conscientiæ igitur officium est duplex, assumere & concludere, in Syllogismo practico speciali. v.g. Συντήρησις suppeditat hanc propositionem: Qui homi-*

Conscientia.

ſuo quæq; loco & ordine obtemperent, ut Plato docet. In harum enim facultatum & virtutum harmoniâ conſiſtit, quod eſt in vitâ difficilimum, videlicet, τὸ εὖ ἄρχειν, καὶ τὸ εὖ ἄρχεσθαι. Omnes .n. hæ virtutes requiruntur, cùm in eo qui imperat, tùm in eo, qui paret. Qui imperat, opus habet fortitudine, quâ cives in officio contineat, & noxia à civibus avertat: opus habet temperantiâ, ne affectibus pravis indulgens harmoniam ſocietatis humanæ disſolvat: opus habet juſtitiâ, quâ contractus regat, honores & operas diſtribuat, præmia conferat, ſupplicia ordinet, ſervatâ in ſingulis debitâ proportione, in aliis Geometricâ, ut in officiis & præmiis, in aliis Arithmeticâ, ut in contractibus. His omnibus prudentiam moderatricem adhibere neceſſe eſt. Nec minùs ad bene & legitimè parendum requiruntur quatuor iſtæ virtutes. Nam hæ virtutes utrinq; ſervatæ τὴν ἰσότητα Geometricam & Arithmeticam, ſine quibus ſtare Respublicæ nequeunt, conſervant. Ex his conficitur talis demonſtratio: Quicquid conſervat ſtatum politicum, lege naturæ præcipitur. Atqui ordo ſuperiorum & inferiorum conſervat. Ergo lege naturæ præcipitur. Minor probatur. Nam ſi ἀναρχία eſt contra naturam, utiq; ordo eſt ſecundùm naturam, ordo, inquam, ſuperiorum & inferiorum. Iſte autem ordo non poteſt obſervari niſi quatuor illæ virtutes concurrant. Eapropter quatuor iſtæ virtutes lege naturæ in politicâ ſocietate requiruntur. Vitæ eccleſiaſticæ finis eſt ejus conſervatio per actiones huic vitæ congruentes; quales ſunt, Deum agnoſcere, & agnitum colere. Ad hanc vitam œconomicus ſtatus & politicus tanquam ad ultimum finem referri debent. Ad hujus vitæ conſervatio-

Proportio eſt Geometrica, vel Arithmetica.

Vita eccleſiaſtica.

servationem itidem requiruntur suprà memoratæ virtutes quatuor. Demonstratio talis est. Quicquid conservat statum vitæ ecclesiasticæ, lege naturæ præcipitur. Deum agnoscere, conservat statum illius vitæ. Ergo præcipitur lege naturæ. Major est axioma, pendens ex principiis antea recitatis. Minor suadetur hoc modo. Finis hominis ultimus conservat statum Ecclesiasticum. Atqui agnitio Dei est finis hominis ultimus, sive suprema actio. Ergo conservat statum vitæ ecclesiasticæ. Minor iterum probatur. Status optimæ vitæ in felicitate est positus. Hæc autem felicitas in tribus consistit: in actu altissimæ potentiæ in homine quæ est intellectus: in habitu nobilissimo, qui est virtutis: in objecto dignissimo, quod est Deus. Hucusq; humana ratio rectà progreditur. Verùm cùm ex conclusione positæ demonstrationis, actiones huic vitæ congruentes extruere molitur, totâ errat viâ. Itaq; ubi desinit ratio, ibi incipit verbum Dei. Ex his ita disputatis facilè est judicare de vitâ Scholasticâ. Hæc dicta sunto de vitâ œconomicâ, politicâ, & ecclesiasticâ. Si placet addere scholasticam, non repugno, ut dixi. Jam quia lex naturæ plenissimâ epitome proponitur in Decalogo, ostendendũ erat, quomodo hactenus dicta congruant ad Decalogi præcepta. Sed non est præsentis id operæ. Vide, si placet, Hemming. nervosissimum scriptorem de lege naturæ. *Summa huc redit: Quicquid homini convenit secundùm rectam rationem, expetendum est, & quod cum ratione pugnat, fugiendum. Virtutes conveniunt, vitia minimè. Ergo ut illæ expetendæ, ita hæc fugienda sunt. Major est principium suprà, non dico demonstratum, sed declaratum. Minor colligitur ab enume-*

Felicitas in tribus consistit.

Lex naturæ continetur in Decalogo.

ratione effectuum. Virtutes enim stabiliunt œconomias, politias, ecclesias, & scholas, quas vitia funditùs evertunt.

Nũ omnia, quæ concluduntur è principiis legis naturæ, sint necessaria?

Hîc incidit quæstio gravis juxtà & utilis: num omnia, quæ concluduntur ex principiis legis naturæ, sint necessaria nec ne? Respondeo distinguendo: omnia quidem necessaria esse, sed alia in genere, alia in specie. Conclusiones in specie *immotæ & necessariæ sunt, quæ rectè extruuntur è principiis, ita ut quidquid statuitur ab ullo homine contra conclusiones rectè extructas, sit contra legem naturæ. Ita lex fuit lata à Semiramide, ut cognati cognatas ducerent in uxores, hoc fine, ut sui filii complexu frueretur, à quo occisa est. Qui huic legi obtemperarunt, lege naturæ damnati sunt. Aliæ conclusiones sunt necessariæ* in genere, *non in specie. Hæ mutari possunt in specie, manente genere. Hujusmodi sunt plurimæ imperatorum & principum leges, qui semper respiciunt ad incolumitatem Reipublicæ, & ad eam confirmandam suas leges ordinant. Sit e.g. hæc lex:* nemo peregrinus vallum conscendat. *Hæc lex in genere est necessaria, non in specie. In genere, quatenus ad commune bonum facit, & ad conservandam Reip. utilitatem. In specie autem non est necessaria, quia hæc determinatio non directè concluditur ex axiomatis naturæ. Poterit enim incidere casus, ut lex feratur, quâ peregrinus obligetur ad conscendendum vallum, quæ sanè cum priori pugnat, sed in specie, nõ in genere. Addamus & hoc exemplum. Lex aliquando fuit:* Nemo usuram accipiat. *Hæc lex in genere necessaria est, non in specie. In genere quidem, quatenus incolumitati Reipubl. servit, & commoda est civibus.*

Conclusiones sunt necessariæ
I. In specie, seu simpliciter.
II. In genere, seu secundùm quid.

In specie

In specie autem non est necessaria, quia fieri potest, ut vitio hominum non sortiatur finem propositum, h.e. ut nec Reip. utilis sit, nec civibus commoda. Si ergo, ut majori incommodo occurrat magistratus, permittit moderatam usuram, ut accipere quinque, vel sex de centum, ut hac ratione juventur cives, & consulatur Reip. non evertit priorem legem in genere, licet ferat promissionem in specie. Ideo diligenter spectandum est, quæ hypotheses sint necessariæ in specie, seu ἁπλῶς, & quæ in genere tantùm, seu κατά τι. Hæc distinctio multas quæstiones diluere potest, & ostendit, quòd tametsi omnes honestè leges extruantur ex axiomatis legis naturæ, non tamen sit necessarium, ut nos easdem leges habeamus cum Gallis, Italis, aut Polonis in specie. Quilibet enim magistratus αὐτοπόθως poterit leges utiles suæ Reipubl. condere, modò nihil contra naturæ normam faciat. Imò verò idem magistratus potest alias leges in aliis habere ditionib. si id vel conditio hominum, vel ratio proprietatum exigere videtur. Quæ diversæ leges tametsi in specie variant: tamen pulcherrimè in genere conveniunt, & minimè sibi invicem adversantur. Hoc tamen ita intelligi volo, ut in bene constitutis Rebuspublicis non temerè legum fiat mutatio. Nam leges longo tempore & veterum authoritate confirmatæ, jam sacrosanctæ haberi debent, ut nefas sit eas immutare. Si tamen interdum mutandæ sunt nonnullæ, huc diligentia magistratus incumbat, ut leges & consentientes legi naturæ, & utiles saluti Reipublicæ ferat. Sunt qui ad propositam quæstionem ita respondent: Natura tribus modis aliquid dictat. Quædam dictat necessariò facienda.

Unus idémq; magistratus potest diversas habere leges, in diversis ditionibus.

Natura tribus modis aliquid dictat.

Quædam rursus indicat necessariò fugienda. Quædam deniq; in medio relinquit. *Quæ necessariò dictat facienda natura, ea cùm fiunt, justa sunt ubiq; & apud omnes; idq; naturâ, non opinione. Hujus generis sunt omnium virtutum actiones propriæ, quæ è principiis naturæ per demonstrationẽ extruuntur. Quæ necessariò natura cavenda judicat, ea cùm fiunt, injusta sunt, ubiq; & apud omnes, idq; naturâ, non opinione. Hujusmodi sunt omnes actiones, quæ deflectunt vel minimùm à virtutum propriis actionibus. Quæ in medio relinquuntur, sunt libera, ita ut nec justus, nec injustus dicatur quis, sive ea faciat, sive omittat. Græci vocant* μέσα, ἀδιάφορα, ἐπαμφοτερίζοντα, *id est*, media, indifferentia, *& talia, quæ nec in virtutibus, neq; in vitiis ponenda sunt. Sunt enim hæc media non participationis, sed negationis. Ita v. g. vallum urbis conscendere, vel non conscendere, naturæ lex liberum relinquit. At ubi decretum magistratus accesserit, quo interdicitur, ne quis vallum conscendat, justitiæ & legis transgressor habendus est, qui contemto magistratus decreto vallum conscendit, & contrà qui abstinet propter magistratus edictum, justus in eâ legis parte censendus est. De hoc tertio genere quæri potest, nũ latâ lege injustum sit naturâ vallum conscendere? Si non est naturâ injustum, videtur opinione tantùm injustum esse. Dicimus, naturâ fuisse liberum, ideoq; nec justum, nec injustum: sed postquam accessit vox magistratus, quæ finem naturæ spectans, h.e. incolumitatem Reip. interdixit quod liberum erat, naturæ terminos transgreditur, qui hanc legem violat, & factum pronuncio injustum naturâ, non quidem* ἁπλῶς, *sed*

κατά

κατά τι, h.e. ob finem, quem natura spectat in actiobus pertinentibus ad conservandam incolumitatem societatis humanæ. Satis de lege naturæ. Sequitur quartum hujus capitis theorema, de Synteresi.

IV. Synteresis est habitus principiorum legis naturæ. *Atq; hæc est illa melior animi pars, ut ait Aristoteles, quæ semper hortatur ac provocat ad meliora. Hæc συντήρησις propositiones illas immediatas practicas suppeditat. Earum enim est custos & conservatrix. Earum, inquam, notitiarum, quæ nobis innatæ sunt de rectè factis ac secus. Hæc semper attendit, quid expediat, quídve non expediat. Atq; eâ de causâ suppeditare propositiones Syllogismis practicis dicitur: quales sunt,* honesta sunt facienda: turpia fugienda. *Hæc sunt duo axiomata prima, quæ de actionibus ex lege naturæ promit συντήρησις, ex quibus posteà plurimæ extruuntur hypotheses, quæ Syllogismo practico præbent propositiones majores. Cum συντηρήσει est κριτήριον, h.e.* judicium. *Hoc enim illam sequitur, veluti umbra corpus.* Κριτήριον, *est facultas judicandi, quæ judicat de factis, an ea laude, an vituperio, præmio an pœnâ digna sint. Hoc ergo κριτήριον majori propositioni, quam suppeditat συντήρησις, addit judicium, & etiam concludit in Syllogismo practico generali. Sed deinceps de conscientiâ.*

Synteresis est melior animi pars.

Κριτήριον sequitur συντήρησιν.

V. Conscientia est cognitio practica, quâ nostræ actiones aut defenduntur, aut accusantur. *Est, inquam, testimonium, quod unusquisq; in seipso sentit de officio aut facto, aut neglecto. Conscientiæ igitur officium est duplex, assumere & conconcludere, in Syllogismo practico speciali. v.g. Συντήρησις suppeditat hanc propositionem: Qui homi-*

Conscientia.

nem occidit, peccat. Jam conscientia subsumit: Atqui *tu hominem occidisti.* Concludit *igitur accusationem, quâ te convincit peccasse, adeoq; pœnâ afficiendum esse. Et sic quidem accusat. Si verò* συντήρησις *promat hoc principium: Qui honorat parentes, benedicetur à Domino: Conscientia pii filii ita subsumit:* Tu *honorasti parentes. Et demum concludit:* Ergo *benedicêris à Domino. Est igitur conscientiæ actus, de factis nostris testificari, & ea judicare, id est, accusare, ubi malum perpetratum est, excusare ubi bonum.*

Conscientia nunquam dictat falsum.

Conscientia enim nunquam dictat falsum. Falsum ergo est, quod docent Dd. scholastici: Tripliciter, *inquiunt,* aliquid dictare potest conscientia: secundùm legem Dei, præter legem Dei, & contra eam. Secundùm legem Dei, ut cùm dictat, non esse furandum. Præter legem Dei, ut si dictet, necessarium esse ad salutem, festucam è terra levare. Contra legem Dei, ut si dictet, furandum esse, ut eleëmosyna detur. *Verùm falsa est hæc sententia. Etenim conscientia non nisi secundùm legem Dei dictat, sive illam inscriptam cordi, de qua* Rom. 1. & 2. *sive scriptam. Hinc illud dictum:* Qui peccat contra conscientiam, ædificat ad gehennam.

Syllogismus practicus quî constituatur.

Sed quia mentionem fecimus syllogismi practici, pleniùs declaremus. Vulgò enim vel non proponunt hanc doctrinam, vel malè proponunt, vel non plenè proponunt. Plenè autem & bene (absit jactantia dicto) sic proponimus.

Quatuor requiruntur ad constitutionem syllogismi practici: lex naturæ, synteresis, κριτήριον, *& conscientia. Lex naturæ dictat ipsa principia practica.*

Ea con-

Ea conservat synteresis, & ex iis facit majorem in syllogismo practico: videl. Nihil illicitum est faciendum. Jam lex naturæ assumit: fornicatio est illicita: quia scilicet inhonesta est, ex ratione lucis naturalis. Hinc jam sequitur conclusio, quam infert κριτήειον, hoc est, facultas judicandi, *quæ jam ita informata nobis dictat, quòd fornicatio nobis non sit committenda. Hic est primus syllogismus practicus, quem sequitur secundus. Hîc synteresis format iterum propositionem, quam sumit ex conclusione primi syllogismi practici, hoc modo. Fornicatio non est committenda ei, qui vel hominis, vel Christiani nomen tueri cupit. Jam conscientia assumit: Atqui tu commisisti. Et illa ipsa concludit: Ergo non hominis, nedum Christiani nomine dignus es. Sic igitur syllogismus practicus (quod nemo hactenus observavit, quod quidem sciam) est duplex; primus generalis, qui manet in thesi: secundus specialis ille, qui descendit ad hypothesin. Appositione exemplorum, quod dixi, illustrabo.*

Syllogismus practicus duplex.

Σωτήρησις Hectori hanc propositionem suppeditat: Honesta facta sunt digna laude. Lex naturæ subsumit: Defendere patriam, & pro ea fortiter mori, est honestum factum. Τὸ *κριτήειον, seu judex concludit: Ergo patriam defendere, & pro ea fortiter mori, est dignum laude. Hic est primus syllogismus practicus, adhuc generalis. Jam synteresis è conclusione ista talem format propositionem: Qui patriam defendit, & pro ea cupit fortiter mori, est laude dignus. Conscientia Hectoris subsumit: Atqui tu defendis patriam, ita ut pro ea etiam mortem appetere velis. Eadem conscientia con-*

Syllogismus practicus excusans.

cludit: Ergo laude dignus est. Hic est secundus Syllogismus practicus, specialis ille. Hunc Syllogismum specialem in mente Hectoris secuta est lætitia, quæ ipsius animum in gravissimis periculis non parum leniebat, imò liberabat adeò, ut mori pro patriâ jam non pertimuerit. Nam cùm à vate Polydamante admoneretur, ne bellum contra Græcos iniret, respondit:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Adeò præstans ille heros conscientiâ facti fretus, se adversus ærumnas in periculis pro defendendâ patriâ susceptis erexit. Nam cùm vates volatum avium significare tristem eventum nunciaret, Hector animosè respondit: sive dextrorsum aves ortum versus, sive sinistrorsum ad occasum volent,

Ἡμεῖς δὴ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ.

Consilium Jovis appellans impetum animi heroicum, quo ad rem præclarè & honestè gerendam impellebatur. Non enim putabat ullum tempus esse, quo ea, quæ honesta sunt, non sint facienda, persertim cùm salus patriæ agitur. Nam juxta Euripidis sententiam, τὸ καλὸν φίλον ἀεί.

Syllogismus practicus accusans.

Rursus συντήρησις *OEdipo hanc propositionem suppeditavit: Turpissima facta gravissimis pœnis sunt digna. Lex naturæ formavit hanc minorem: Incestus cum matre concubitus & parricidiū sunt turpissima facta.* τὸ κριτήριον *conclusit: Ergo incestus cum matre concubitus & parricidium dignissima sunt gravissimis pœnis. Hic est Syllogismus practicus primus, adhuc generalis: quem statim sequitur specialis, in quo* συντήρησις *resumit conclusionem Syllogismi generalis,*

nice-

& ex eâ format hanc propositionem: Qui commisit incestum & parricidium, gravissimis pœnis est dignus. Conscientia assumit: Atqui tu fecisti. Eadem concludit accusationem. Hunc Syllogismum in mente OEdipi regis Thebanorum, tantus consecutus est dolor, ut impatiens turpitudinis à se perpetratæ, sibi ipse præ dolore oculos erueri t. Verè itaq; Menander cecinit:

Ὁ συνιστορῶν αὐτῷ τι κἂν ᾖ θρασύτατος
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ, h.e.

Qui sibi aliquid conscius est, etsi audacissimus,
Conscientia tamen facit eum timidissimum.

Conscientiæ qualitas variat.

Conscientiæ vocabulum ambiguum.

Variat ergo conscientiæ qualitas pro factorum conditione: quod ut meliùs intelligatur, hîc paucis monebo de variâ vocabuli, conscientia, acceptione. Sumitur autem propriè, & figuratè. Propriè, ut jam à nobis expositum est pro eâ facultate mentis, quæ assumtiones Syllogismo practico suppeditat, & accommodat factum ad regulam. Figuratè autem accipitur tribus modis. 1. Pro toto syllogismo practico, & motu cordis syllogismum practicum consequente; idq; per synecdochen. 2. Metonymicè, pro ipsâ conclusione Syllogismi practici, h. e. pro judicio mentis de facto, quemadmodum accipitur Rom. 2. 3. Per metalepsin pro motu, qui excitatur in corde ex cogitatione Syllogismi practici, h. e. pro dolore vel lætitiâ comitante Syllogismum practicum. Ratione hujus acceptionis potissimùm capit differentias, ut hæc bona, illa mala dicatur conscientia. Bona quidem, quia jucunda est actæ honestè vitæ recordatio, cum spe & expectatione læti eventus: mala verò, quia est tristis ac crucians turpiter actæ vitæ recordatio, conjuncta cum metu

Duæ sunt affectuum συζυγίαι in homine.

pœnæ impendentis. Hîc videre est duas συζυγίας affectuum in hominibus; in una συζυγίᾳ sunt lætitia & spes, in altera sunt ægritudo & metus: utraq; memoriæ beneficio cõservatur, sed habet alia alias causas. Honestè enim transacta vita lætitiam & spem copulat: at contrà turpiter acta vita est causa posterioris συζυγίας, ægritudinis & metus. Ut ergo recordatio bene transactæ vitæ est læta, & habet spem jucundam de futuro: ita recordatio malè transactæ vitæ est molesta, & habet metum, qui est trepidatio mentis de futuro malo & periculo. Hi affectus sunt veluti quidam divinitùs hominibus dati testes, qui de lege naturæ testantur, eamq; obsignant in cordibus hominum. Atq; hæc conscientia est bene & malefactorum testis & judex. Est *sanè mirandum* Dei *opificium in hominibus conscientia, quæ juxta proverbium, instar mille testium est.* Hæc *non solùm testatur de lege naturæ, quæ honesta præcipit, & illis contraria prohibet, quemadmodum hactenus à nobis explicatum fuit: sed etiam nos quasi ad tribunal* Dei *sistit, aliâs excusans, aliâs accusans.* Hoc *est illud tribunal, quod* Deus *erigit in cordibus mortalium. Etsi autem interdum conscientia veluti sopita delitescit: tamen adversis perinde atq; flagello crebriùs excitatur, juxta illud Sophocléum.*

Conscientia est tribunal Dei in homine.

Παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες.


Cùm affligimur, conscientia scelerum excitatur.

Erynnes.

Huc pertinet fabula de Erynnibus. Erynnes *enim nihil aliud sunt, quàm animi perturbationes ex mala conscientia, quæ perpetuò comitantur turpia facta, atq; ea de causa* Erynnes *dicuntur* μνήμονες, memores, *quia nunquam obliviscuntur justæ pœnæ ob*

scelera

scelera perpetrata. Dicitur autem Erynnis, ut quidam volunt, ἀπὸ τῆς ἔειδ@ καὶ νοῦ, *quasi lis & contentio animi, cujus meminit poëta* 2. Æneid. *Mirabile hîc in conscientia aliquid adnotes, quòd sit judex, actor, reus, scriba unus & idem in hoc foro.*



Cap. 8. De prudentia.

Prudentia est habitus practicus, quo quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus practicis. Prudentia.

Ejus theoremata sunt.

I. Prudentis est applicare, seu determinare, sapientis explicare. *Methodum philosophi faciunt duplicem, sapientiæ & prudentiæ, exquisitam & popularem. Methodus sapientiæ est, quæ naturam rei sectatur, &* τὰ γνωριμώτερα φύσει *observat. Methodus prudentiæ est, quæ ordinem melioris doctrinæ observat, &* τὰ γνωριμώτερα ἡμῖν *præmittit.* Methodus est duplex.

II. Licet prudentia etiam externos actus regat, circa internos tamen, unde externi manant, præcipuè versatur. *Itaq; externum bonum opus non tam virtus est, quàm virtutis declaratio, & malum opus non tam vitium, quàm vitii declaratio.*

III. Prudentiæ disponuntur methodo analyticâ: ut sapientiæ & scientiæ syntheticâ.

Proinde in prudentiis tria considerantur: finis, subjectum, & media.

Duæ sunt affectuum συζυγίαι in homine.

pœnæ impendentis. Hîc videre est duas συζυγίας affectuum in hominibus; in una συζυγίᾳ sunt lætitia & spes, in altera sunt ægritudo & metus: utraq; memoriæ beneficio cõservatur, sed habet alia alias causas. Honestè enim transacta vita lætitiam & spem copulat: at contrà turpiter acta vita est causa posterioris συζυγίας, ægritudinis & metus. Ut ergo recordatio bene transactæ vitæ est læta, & habet spem jucundam de futuro: ita recordatio malè transactæ vitæ est molesta, & habet metum, qui est trepidatio mentis de futuro malo & periculo. Hi affectus sunt veluti quidam divinitùs hominibus dati testes, qui de lege naturæ testantur, eamq; obsignant in cordibus hominum. Atq; hæc conscientia est bene & malefactorum testis & judex.

Conscientia est tribunal Dei in homine.

Est sanè mirandum Dei opificium in hominibus conscientia, quæ juxta proverbium, instar mille testium est. Hæc non solùm testatur de lege naturæ, quæ honesta præcipit, & illis contraria prohibet, quemadmodum hactenus à nobis explicatum fuit: sed etiam nos quasi ad tribunal Dei sistit, aliâs excusans, aliâs accusans. Hoc est illud tribunal, quod Deus erigit in cordibus mortalium. Etsi autem interdum conscientia veluti sopita delitescit: tamen adversis perinde atq; flagello crebriùs excitatur, juxta illud Sophocléum.


Παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες.
Cùm affligimur, conscientia scelerum excitatur.

Erynnes.

Huc pertinet fabula de Erynnibus. Erynnes enim nihil aliud sunt, quàm animi perturbationes ex mala conscientia, quæ perpetuò comitantur turpia facta, atq; ea de causa Erynnes dicuntur μνήμονες, memores, *quia nunquam obliviscuntur justæ pœnæ ob*

scelera

ſcelera perpetrata. Dicitur autem Erynnis, ut quidam volunt, ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ νοῦ, *quaſi lis & contentio animi, cujus meminit poëta* 2. Æneid. *Mirabile hîc in conſcientia aliquid adnotes, quòd ſit judex, actor, reus, ſcriba unus & idem in hoc foro.*



Cap. 8. De prudentia.

PRudentia eſt habitus practicus, quo quis inclinatur ad aſſentiendum concluſionibus practicis. Prudentia.

Ejus theoremata ſunt.

I. Prudentis eſt applicare, ſeu determinare, ſapientis explicare. *Methodum philoſophi faciunt duplicem, ſapientiæ & prudentiæ, exquiſitam & popularem. Methodus ſapientiæ eſt, quæ naturam rei ſectatur, &* τὰ γνωριμώτερα φύσει *obſervat. Methodus prudentiæ eſt, quæ ordinem melioris doctrinæ obſervat, &* τὰ γνωριμώτερα ἡμῖν *præmittit.* Methodus eſt duplex.

II. Licet prudentia etiam externos actus regat, circa internos tamen, unde externi manant, præcipuè verſatur. *Itaq; externum bonum opus non tàm virtus eſt, quàm virtutis declaratio, & malum opus non tam vitium, quàm vitii declaratio.*

III. Prudentiæ disponuntur methodo analyticâ: ut ſapientiæ & ſcientiæ ſyntheticâ. Proinde in prudentiis tria conſiderantur: finis, ſubjectum, & media.

Cap. 9. De intellectu organico-mechanico.

EXplicati ſunt habitus theoretici & practici: ſequuntur ποιητικοὶ, factivi, quibus quis inclinatur ad aſſentiendum propoſitionibus factivis.

Suntq; duo, intellectus organico-mechanicus, & ars.

Intellectus organico-mechanicus. Intellectus organico-mechanicus eſt habitus factivus, quo quis inclinatur ad aſſentiendum principiis factivis: *aliàs intelligentia poëtica.*

De eo ſunt theoremata.

I. Intellectus, ſeu intelligentia organico-mechanica malè eſt prætermiſſa ab Ariſtotele. *Ratio. Sicuti datur intelligentia theoretica & practica: ita & ποιητικὴ danda eſt. A pari enim ad par valet conſequentia. Etiam artes habent ſua principia. Itaq; illorum habitus erit conſtituendus. Hunc habitum vocamus ἕξιν ποιητικὴν κατ' ἐξοχὴν, itemq; intelligentiam organico-mechanicam.* Organicam *quidem, quia reſpicit principia artium organicarum, ut ſunt Logicæ illæ.* Mechanicam *verò, quia reſpicit* Artes ſellulariæ. *principia artium mechanicarum, quas alii vocant ſellularias. Si quis velit ſimpliciter appellare intelligentiam factivam, per me licet. Ita conſtituetur intelligentia triplex, theoretica, practica, & poëtica. Illa ſimpliciter vocatur à philoſophis intelligentia, iſta ſynteresis, hæc deniq; caret nomine, quod nos indidimus. Indidimus autem, quia vidimus principia poëtica*

poëtica differre à principiis aliarum disciplinarum. Sicuti enim practica à theoreticis differunt, ita poëtica & ab istis & ab illis. Non igitur adstipulamur Suarezio, qui author est, Metaphysicam tradere instrumentorum Logicorum causas & radices; & ideò nil opus esse, ut constituatur habitus pro principiis artium organicarum. Antecedens verum est. Sed consequentia nulla. Quamvis enim Metaphysicus probet principia Logica: nihilominus tamen Logica habet sua principia, videlicet notiones secundas. Quod de Logicâ dixi, etiam de Grammaticâ, & reliquis artibus organicis intelligi velim. Nam de similibus simile judicium. Sanè notiones secundas non considerat Metaphysica, cujus objectum adæquatum est ens, in quantum ens reale. Dialecticus sanè definire & dividere docet: quæ sunt instrumenta Logica. Sed non potest è propriis principiis hæc instrumenta declarare. V.g. Definitio declarat essentiam rei: sed rationem essentiæ declarare ad Metaphysicum pertinet. Ita divisio declarat distinctionem rerum: sed de rerum distinctionibus agere, est Metaphysicæ. Sic dum Dialecticus ait: Quæ sunt eadem uni tertio, inter se sunt eadem. Hæc principia sunt propria Metaphysices, ad quam pertinet tractare de eodem & diverso. Profectò Metaphysicus probat principia omnium disciplinarum. An igitur disciplinæ non habebunt propria principia? Habent sanè. Ita non est consequens: Metaphysicus probat principia artium Logicarum. Ergo artes Logicæ non habent propria principia. Grammatica tractat has notiones secundas, Nominativum, Genitivum, speciem, declinationem, & similes. Rhetorica metonymiam, metaphoram, reliquos tropos,

Notiones secundę ubi considerentur.

Metaphysices objectũ adæquatũ.

Metaphysicæ & Dialecticæ collatio,

item figuras: Dialectica syllogismum, methodum, & ejus notæ notiones secundas, sive instrmenta disserendi. Sed de his in Metaphysica altum silentium. Præterea hic occurritur nobis à Mathematicis, qui volunt artes mechanicas non habere propria principia, sed ea ex Mathesi mutuari. His respōdemus, artes mechanicas habere principia propria, quæ probātur ex Mathesi.

Principia mechanica probantur in & è Mathesi.

II. Intelligentia poëtica conservat principia poëtica. *Ideoq; potest appellari synteresis poëtica. Suppeditat enim majorem in syllogismo poëtico.*

Cap. 10. De arte.

Ars.

ARs est habitus poëticus, quo quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus poëticis, Arist.l.6.Eth. ad Nicomach. c.4. artē *definiens, dicit* esse habitum recta cum ratione effectivum. *&* l.2.Phys. *dicit*, artem esse principium operationis in alio: *quo discrimine artem separat à naturâ. Natura enim est principium operationis receptæ in eo ipso, in quo natura inest, quam vocant operationem immanentem: ars verò est principium operationis in alio, quam transeuntem appellant.* Zabarel.l.1.de nat.Logic.c.8. *Propterea in ipso artis opere non est ars, sed extra est, nempe in animo artificis.*

Theoremata ejus sunt.

Ars est docens, & utens.

I. Ars quælibet duas habet partes, unam docentem, alteram operantem sive utentem. Arist.l.7.Metaph. context.23. Zabar.l.1.de nat. Logic.c.13. *Docens est, quæ cognitionem ipsius artis tradit. Operans est, quæ ex cognitione operatur. Eadem ratione activa philosophia dividitur in docentem, & agentem. Docens quidem moralibus & civilibus*

libris continetur; quos legendo, cognitionẽ assequimur virtutum ac vitiorum, & veritatem docemur de agendis bonis, & non agendis malis: sed nondũ aliquid agimus, licet aptiores ad bene agendum per eam cognitionem reddamur. Actio enim cognitionẽ sequitur, & extra morales libros constituta est. Ideo Arist.l.1. de morib.c.3. *dicit, juvenem nõ esse idoneum Ethicæ auditorem, quia perturbationes sequitur. Finis autem non est cognoscere, sed agere, quasi dicat, se solam cognitionem rerum agendarum in iis libris tradere, quæ inutilis est, nisi actio sequatur. Bonum igitur & malum aliâ ratione sub actionem cadunt, aliâ sub cognitionem. Sub actionem enim cadunt, prout re ipsâ sunt, & eâ ratione bonũ & malũ propriè appellantur. Sub cognitionem autem cadunt, quatenus animo concipiuntur. Latini nostri dicerent esse reale, & esse cognitum seu objectivũ. Sic autem ad verum & falsum rediguntur. Qualibet enim mentis nostræ cognitio, qualibet affirmatio, vel negatio, vera vel falsa est, sive ea sit de rebus bonis & malis, sive de salubribus & insalubribus, sive de quavis aliâ re ad quamvis disciplinã pertinente. Verum igitur & falsum omnes disciplinas docentes amplectuntur, quatenus in iis traditur cognitio, sive sciendarum rerum, sive agendarum, sive efficiendarum.*

Juvenis nõ est idoneus Ethices auditor juxta Arist.

Esse est duplex, reale & cognitũ.


II. Artis nomen tripliciter accipitur. 1. Latissimè, *sic disciplinæ contemplativæ & activæ sæpe vocãtur artes ab* Avenroïs, & Petro Ramo semper. 2. Strictè, *quando solis exceptis contemplativis, alias omnes disciplinas, activas & factivas cõplectitur.* 3. Strictissimè, *quando pro solis effectricib. disciplinis sumitur: ut hoc in loco.* Zabar.l.1. de nat.Log.c.8.

Artis vocabulum ambiguum.

Ars ab arte differt per finem.

III. Artem ab arte ſeparat finis, non ſubjectum. *Itaq; artium differentia à fine ſumenda, non à ſubjecto.*

Sed in Technologiâ & Canonicâ plura trademus de proprietatibus hujus habitus.



Cap. II. De Fide divinâ.

EXpoſiti ſunt hucuſq; habitus naturales: ſequuntur ſupernaturales.

Habitus ſupernaturales.

Habitus ſupernaturales ſunt, quibus inclinamur ad aſſentiendum iis, quæ diſcimus evecti ſupra naturæ terminos. *Dicuntur habitus* θεόσδοτοι: *qui à lumine ſupernaturali non differunt. Habitus naturales differunt à lumine intellectus: ſed hîc res longè longeq; aliter ſe habet.*

Suntq; vel gratiæ, vel gloriæ.

Fides divina.

Habitus gratiæ eſt, quo quis inclinatur ad aſſentiendum iis, quæ diſcimus in ſtatu viæ: *ſeu,* quo aſſentimur teſtimonio divino. *Dicitur* fides divina: *item habitus viatorum.*


Theoremata ejus ſunt.

I. Habitus ſupernaturales ſunt neceſſarii, ad hominis perfectionem, veramq; felicitatem: quæ eſt in ſtatu viæ, vel patriæ. *Ariſtotelica diviſio ſolos habitus intellectuales naturales complectitur, quum ſupernaturales non agnoverit ipſe. Non igitur eſt, quòd ea efflagitemus ab Ariſtotele, quæ debemus diſcere in Scholâ Gratiæ.* Rubius tract. 1. de habit. q. 3. *Cæterùm Scholaſtici pulchrè faciunt duplicem*

plicem hominis electi statum, videl. via & patria: alii vocant ecclesiam militantem & triumphantem. Duplex electorum status.

II. Fides divina dicitur ad differentiam humanæ; de quâ paulò pòst.

III. Fides divina est, quæ assentitur supernaturali veritati immediatæ & mediatæ. *Fides divina est principiorum Theologicorum, sive supernaturalium habitus, primariò. Sed etiam est habitus conclusionum supernaturalium, scilicet secundariò. Ideò adjecimus in theoremate:* veritati immediatæ & mediatæ. *Veritati immediatæ assentitur sine ullo medio, sine ullo discursu: mediatæ per discursum.*



Cap. 12. De Visione Dei.

Habitus gloriæ est, quo quis inclinatur ad simplicem & clarum intuitum essentiæ divinæ in alterâ vitâ. Visio Dei.

Dicitur visio beatifica, *item habitus in videtur, item habitus excelsus in statu patriæ.*

Theoremata ejus sunt.

I. Habitus hic est omnium simplicissimus, & maximè spiritalis. *Quum enim res spiritales suâ ipsorum essentiâ, potentiâ, operibus, & passionibus omnino sint simplicissimæ, non nisi simplicissimo modo eoq; spiritali videri possunt.* Franc. Junius de Theol. c. 7.

II. Habitus intellectualis, qui cadit in Christum θεάνθρωπον, dicitur unionis: estq; eminentior hoc ipso. *Nam habitus visionis com-* Habitus unionis in Christo.

municatur cum sanctis ex demenso Christi: huic autem Deus non dat spiritum secundùm mensuram.

III. Subjecta quæ dicunt recipientia, hujus habitus sunt duo, Angeli, & spiritus justorum. *Nec obstat, quòd Angeli visione simplici divinum illud lumen assequūtur; homines verò per ambages, & anfractus multos principiorum, ratiocinationum, conclusionum, & scientiæ multiplicis tandem eò pervecti sunt. Id enim nihil ad rei differentiam pertinet: quia in utrisq; est habitus intellectualis permanens, & suo modo perfectus, gratiæ & gloriæ communicatione factâ à Domino in cœlis.*

IV. In hâc visione Angelorum & beatorum summa felicitas consistit. *Ideò dicitur beatifica.* Zanchius de cognit. Angel. l. 3. c. 11. *Dicitur etiam cognitio intuitiva essentiæ divinæ: quia videbimus Deum à facie ad faciē. Plura de hâc visione vide* Thom. 1. part. q. 1. art. 1. & q. 23. art. 1. & 12. q. 109. art. 5. & 4. sent. dist. 49. q. 1. art. 3. *maximè verò in quæstionibus de veritate* q. 22. art. 7. & q. 27. art. 2. *Item præstantissimos quosq; Thomistarum, Cajetanum, Capreolum, & Ferrariensem. Adde* Fonsecam in l. 2. Metaph. c. 2. q. 2. s. 4. *Summa huc redit: visio Dei est summum bonum, quod est in intellectu. Estq; contemplatio Dei ut semper-patris: sicuti contrà summa infelicitas est contemplatio Dei ut semper-judicis. Ubi emphatica quædam verba notanda sunt: videlicet,* contemplatio, *&* semper-patris. *Nam ad summam felicitatem, ut docet Schola, tria requiruntur. 1. ut habeas bonum, & vaces malo. 2. ut hoc scias. 3. ut scias hoc fore perpetuum. Itaq; non satis est affluere bono, nisi aliquis hoc sciat. Neq; satis*

Summū hominis bonū.

Ad felicitatem extremam tria requiritur.


satis est, ut aliquis sciat, nisi etiam sciat hunc statum fore perpetuum.

V. Visio beatifica est quidem cognitio Dei quidditativa, sed non comprehensiva. Fonseca in 2. Metaph. c. 1. q. 2. s. 1. *hoc eleganter explicat. Quidditativa cognitio est, quâ cognoscuntur omnia rei prædicata quidditativa, i. e. essentialia.* Thomas p. 1. q. 88. *Vide* Cajetanum *in* l. de ente & essentiâ c. 6. q. 14. & 1. p. q. 88. art. 2. & Ferrar. 3. contra gent. c. 5. *Comprehensiva cognitio est, quâ res cognoscitur, quantum cognoscibilis est. Deus autem à creaturis, Angelis & beatis hominibus cognoscitur, non in quantum ille est cognoscibilis, sed in quantum ipsi sunt cognoscitivi. Quamvis igitur beati omnes divinam essentiam quidditativè cognoscant, nullus tamen creatus intellectus eam comprehendit, i. e. eam penetrat. Finiti enim ad infinitum nulla est proportio. Et unumquodque recipiens recipit secundùm modum receptivitatis suæ. Deus igitur ob summam perfectionẽ perfectè ab imperfectis creaturis cognosci nequit. Quibus verbis innuimus, difficultatem cognitionis, esse partim in subjecto cognoscitivo, quod imperfectum est: partim ab objecto cognoscibili, quod perfectum est. Est etiam interdum ab objecti imperfectione, ut videre est in materiâ primâ, & peccato. Hinc dicunt Dd*: Deus perfectè cognosci nequit ob summam formositatem, materia prima ob summã informitatem, peccatum ob summam deformitatem. *Res scilicet in intellectione se habet, ut in sensione: quæ ægrè fit, vel ob subjecti debilitatem, putà oculi, vel objecti cùm excellentiam, ut est sol, tùm obscuritatem, ut est caligo.*

Cognitio est Quidditativa

vel Comprehensiva.

Cognitionis difficultas unde?



Cap. 13. De Opinione.

EXplicati ſunt habitus neceſſariò veri: ſequuntur contingenter veri.

Habitus contingenter veri ſunt, quibus non repugnat ſubeſſe falſum: *i.e. qui ita veri ſunt, ut falſi eſſe poſſint.*

Suntq; numero quatuor: Opinio, Fides humana, Dubitatio, Suſpicio. *Opinio & fides ſunt habitus determinati, dubitatio & ſuſpicio indeterminati.*

Opinio. Opinio eſt habitus, quo quis inclinatur ad aſſenſum alicujus propoſitionis non neceſſariæ, per medium probabile, aut ſine illo.

Ejus theoremata ſunt.

I. Opinio in aſſenſu convenit cum ſcientiâ, & aliis habitibus intellectualibus. Diſtinguitur autem à ſcientiâ & intellectu: *quia opinio eſt aſſenſus probabilis, ſcientia & intellectus ſunt aſſenſus evidentes. A fide humanâ diſtinguitur per illas particulas*: per medium probabile, aut ſine eo. *Quia fides humana non habetur per medium probabile, nec ſine illo; ſed per teſtimonium fide digni. Adhæc per particulam* Aſſenſus, *cenſetur excluſa à ratione opinionis, quæcunq; cogitatio aut exiſtimatio, ſive ſit ſuſpicio, ſive dubium; per quod intellectus non determinatur ad aliquam partem contradictionis, nec aſſentitur ei: ſed vel leviter cogitat, vel quaſi hæret, aut pendet, inter utramq; partem. Aſſenſus enim determinationem ejus dicit ad unam partem, vel alteram, quam veram reputat, vel ſaltem probabilem.*

Analyſis definitionis.

II. Opi-

II. Opinio est immediata, vel mediata. Immediata *est, cùm intellectus assentitur propositioni immediatæ & non necessariæ statim, auditis tantùm vel expositis terminis: qualis est assensus hujus propositionis:* Omnis mater diligit liberos, noverca odit liberos mariti. *Tales propositiones (quæ necessariò quidem sunt probabiles, at non necessariò veræ, cùm possint esse falsæ) ut probabiles judicemus, non rationem ullam aut argumentum postulamus, sed veritas ipsa probabilis intellectum convincit, ut probabiliter assentiatur.* Arist.1.post.c.26. Zabarella & Rubius in d.l. & c. *Opinio* mediata *est, quæ colligitur per medium probabile. Colligitur autem ex propositione vel immediatâ per consequentiam aut probabilem aut evidentem, vel mediatâ & probabili per evidentem aut probabilem consecutionem. Et utroq; modo dicitur haberi per medium probabile. Quia vel ex parte propositionis, ex quâ colligitur, solum est probabile: vel ex parte consequentiæ. Itaq; sicut assensus certus & evidens duplex est; nempe, aut per se evidens, quem intellectus habet cognitâ significatione terminorum, & dicitur.* Intellectus: *aut evidens per medium demonstrativum, & dicitur* Scientia: *eodem modo duplex est assensus probabilis, unus qui habetur sine medio, alter qui habetur per medium probabile. Illum vocavimus opinionem immediatam, ex solâ notitiâ terminorum, alii vocant intellectum opinionis: hunc diximus opinionem mediatam.*

Opinio est Immediata vel Mediata.

Assensus certus & evidens est duplex.

III. Virtualis aut radicalis formido pertinet ad essentiam opinionis & fidei humanæ; actualis verò, omnino utriq; est accidentalis,

Formido est virtualis, vel actualis.

ita ut sæpè reperiatur sine illâ. *Formido hoc in loco nihil aliud est, quàm timor, ne falsa sit pars, cui assentitur intellectus, aut vera opposita.* Nam *opinio est assensus probabilis, cui non repugnat subesse falsũ: quod est, esse assensum quendam debilem, de cujus veritate meritò timetur, aut timeri potest: quia sic ei adhæret intellectus, ut fundamentũ, propter quod ei adhæret: quod est veritas ipsa p se probabilis, aut ratio per quã deducit conclusionẽ ex præmissis: non sit omnino solidum, nec firmum, sed quod ex propriâ naturâ deficere potest, & aliter se habere. Iste timor duplex est. Radicalis seu virtualis, & actualis.* Radicalis, *seu* virtualis *formido est, quæ non consistit in aliquo actuali timore, aut dubitatione, sed in eo solùm; quod est, talem esse assensum opinionis, ex parte objecti, aut medii assentiendi, cui non repugnat subesse falsum. Et ex hâc radice nascitur aliquando* actualis *timor, aut formido, ne opposita pars sit vera, aut falsa illa, cui intellectus assentitur. Et ideò dicitur radicalis, aut virtualis formido. Atq; hæc est de essentiâ opinionis & fidei humanæ.* Arist. 7. lib. Ethic. cap. 3. *ubi ostendit, multos ita opinari, ut non ambigant, sed certò sese scire existiment. Sic in Dialecticis, Metaphysicis, &c. sunt permultæ opiniones, communi ferme totius Scholæ consensu approbatæ, quas sequimur absq; ullâ formidine actuali. Virtualis formido his opinionibus est intrinseca: cùm ex parte medii assentiendi non repugnet subesse falsum: sed actualis formido non est intrinseca his opinionibus. Sic intelligenda sunt quæ apud* Thomam 1. 2. q. 67. art. 3. Durand. in 1. q. prologi, Masium in 1. post. c. 26. Capreolum & Cajetanum *dicuntur, videl. de ratione opinionis esse, ut acci-*

Formido est Radicalis seu virtualis.

vel Actualis.

ut accipiatur unum cum formidine alterius oppositi; cum formidine, scilicet virtuali.

IV. Opinio simul esse potest cum scientiâ, de eâdem re. *Ita de lineâ habet scientiam Geometra, Dialecticus opinionem, aut Metaphysicus, dum quærit,* an distinguatur realiter à substantiâ? *Nec solùm certum est, quòd in diversis hominibus, aut intellectibus, simul esse poßint de eâdem re: sed etiam in eodem intellectu. Nam idem Geometra, habet scientiam de lineâ, & potest simul habere opinionem, de distinctione ejus à scientiâ.* Opinio & scientia sæpè simul sunt, vel in eodem

V. In diversis intellectibus potest esse scientia & opinio de eâdem propositione. *Nam fieri potest, ut aliquis habeat assensum alicujus conclusionis, per veram demonstrationem, quam alter deducat ex eisdem, vel aliis principiis, per Syllogismum probabilem. Ille scientiam, hic opinionem habet.* vel in diversis.

VI. Scientia & opinio, secundùm habitus, possunt simul esse in eodem intellectu, de eâdem propositione; non tamen secundùm assensus vel actus. *Scientia & opinio accipiuntur vel secundùm habitus, vel secundùm actus, qui sunt ipsi assensus.* Secundùm habitus; *ita ut idem homo simul habeat habitum scientiæ & opinionis, de eâdem conclusione.* Secundùm *actus sive assensus; ita ut actu assentiatur. Opinio itaq; & scientia non possunt esse simul secundùm actus, vel assensus. Ratio: quia impoßibile est, aliquid simul esse plenè & omnino determinatum, & non plenè determinatum circa eandem rem: cùm contradictoriè hæc opponantur. Sed per assensum scientificum plenè atq; omninò determinatur intellectus ad veritatem propositionis* Scientia & opinio accipiuntur secundùm Habitus & Actus sive assensus.

demonstratæ, firmusq; & stabilis in eâ redditur: at per assensum opinionis, nec omnino determinatur, nec firmus & stabilis efficitur. Ergo repugnat simul esse hæc duo in intellectu, circa eandem veritatem. Secundùm habitus autem opinio & scientia possunt esse simul: quia non dicunt actualem determinationem intellectus ad veritatem, sed quasi potentialem, & habitualem. Non repugnat autem, intellectum esse imperfectè determinatum actu, & posse plenè determinari: licet plena determinatio actualis, repugnet non-plenæ. Unde diversis temporibus, esse in eodem intellectu plenam, & non plenam determinationem, nullam continet repugnantiam. At eodem tempore fieri id, maximè repugnant. Vide dissentientes à nobis Scotum in 3.d.24.quæ unica. §. contra hæc primò. Cajet. & Sotum in 1.post.c.26. Masium ibidem q.5. *qui simpliciter negant, unum idemq; objectum, posse esse scitum & opinatum ab eodem. Sententiam* Durandi vide in 1.q.prologi num.20.

VII. Opinio non consistit in solâ vi, aut potentiâ imaginandi, *ut Plato voluit, testante id* Arist. l.3. de anim. c.3. & 11. sed importat aliquam cognitionem intellectivam; *non quidem necessariam, sed cui falsum subesse potest, vel ex parte objecti materialis, circa quod versatur, si propositio sit contingens(qualis est illa:*

Audentes Fortuna juvat, timidosq; repellit.


Fac enim eam esse hodie veram, cras falsa esse poterit. Ramus l.2.Dial.c.3.) *vel certè ex parte modi assentiendi, si sit de re necessariâ, ut docet* Arist.l.1.

Opinio duo post.c.23. *Necesse est enim opinionem, aut de re necessariâ*

cessariâ per medium probabile, vel contingens esse, aut de re contingenti per medium necessarium, seu etiam contingens. Semper igitur hic habitus radicatur in re contingente, quanquam interdum sit de necessariâ. bus modis habetur.

VIII. Opinio rectè collocatur in catalogo habituum intellectualium. *Est sanè habitus intellectualis; quamvis imperfectus. Non igitur facimus cum Magistro* Soto, *qui in prædicamento qualitatis opinionem exemit è catalogo habituum, eò quòd ob imperfectam conditionem non pertingat, ut ait d.l. perfectionem habitus. Soto subscribit Rubius, qui opinionem collocat sub dispositione in categoriâ qualitatis, eò quòd sit qualitas facilè mobilis à subjecto, quum habitus sit qualitas difficilè mobilis à subjecto. Resp. Opinio est vel dispositio, vel habitus. Hîc tractatur ut habitus. Objiciunt* Aristotelis *authoritatem qui* l.6.Eth.c.3. *à divisione virtutum intellectualium opinionem depulit. Resp. Distingue hac tria: virtus intellectualis, virtus moralis, habitus intellectualis. Virtus intellectualis efficit actum semper verum: pari ratione virtus moralis, semper bonum. Sed habitus intellectualis est vel verus, vel falsus. Verus est talis necessariò, vel contingenter. Et opinio est habitus intellectualis contingenter verus: i.e. habitus intellectualis imperfectus.*

Refutatio Soti & Rubii.



Cap. 14. De Fide humanâ.

Fides humana est habitus imperfectus, quo inclinamur ad assentiendum authoritati, sive testimonio humano. *Dicitur humana ad differentiam divinæ: quâ inclinamur ad firmiter assentiendum testimonio divino.*

Fides humana.

Theoremata.


I. Fides humana differt ab opinione. *Rectè enim* Thomas 1.2.q.2.art.1. Hæc tria, inquit, ſcientia, fides, & opinio, aliquid commune habent, & aliquid etiam proprium, quo ſeparantur. Conveniunt namq; in ratione aſſenſus. Nam quælibet inclinat intellectum ad aſſenſum alicujus propoſitionis. Differunt tamen ex modo aſſentiendi: quia ſcientia intellectum inclinat ad aſſentiendum concluſionibus demonſtratis ex ipsâ rei evidentiâ: ſed ex determinatione voluntatis eliciunt aſſenſum opinio & fides. *Sic* Thomas. *Quod ſi in tali modo aſſentiendi per rogationes probabiles procedatur, opinio gignitur: ſi verò per authoritatem, aſſenſus fidei: divinæ quidem, ſi divinum fuerit teſtimonium; humanæ, ſi humanum. Unde fit, humanam fidem talem eſſe, cui ex parte medii aſſentiendi, quod eſt humanum teſtimonium, non repugnat ſubeſſe falſum, in quo cum opinione convenit. Neq; enim opinio à fide differt, ut idem homo puer à ſeipſo jam viro, ut* Magiſt. Sotus l.1.poſt.c.26. *ait, quem ſequitur* Maſius controv.2.ejusdem cap. *Ait enim:* Quaſi inchoatus eſt, ac tener aſſenſus opinionis, atq; adeò infirmus: firmatur autem per fide digni teſtimonium, ita ut jam intellectus non fluctuet, ſed firmiter adhæreſcat propoſitioni probabili. *Non ita, Maſi. Nam cùm fides & opinio ſint diſtinctæ ſpecies cognitionis probabilis, in multis conveniunt. Convenientia & identitas generica inde rectè infertur, non autem identitas ſpecifica. Specifica autem diſtinctio inter fidem & opinionem procedit*

Refutatio Soti & Maſii.

dit ex diverso medio formali assentiendi, nempe ex authoritate, cui per se innititur fides, & ratione probabili, cui innititur opinio. Hoc *sensu* Arist. 4. Topic. cap. 5. loc. 60. & 61. *dixit, fidem esse vehementem quandam opinionem. Ex his efficitur, discrimen inter opinionem & fidem humanam essentiale esse, seu specificum, non accidentale.*

II. Fides humana æquè est habitus intellectualis, atq; opinio. *Itaq; non rectè* Thom. 2. 2. q. 4. art. 5. ad 2. *fidem à ratione habitus intellectualis exclusit. Non enim valet: Fides humana non est perfectus habitus. Ergo planè non est habitus. Etenim à modo ad rem, seu à negatione modi ad negationem rei non valet consequentia. Fides alio modo est habitus, quàm νοῦς, quàm ars.*

III. Fidei humanæ (*id quod etiam de opinione diximus esse verum*) assensus ita certus est & determinatus ad alteram contradictionis partem, ut nihilominus habeat connexum aliquem timorem (*virtualem scilicet*) de opposità parte, an videlicet vera sit; & falsa, quæ reputatur vera. Fides humana est lubrica.



Cap. 15. De dubitatione.

Dubitatio est habitus imperfectus, quo quis inclinatur ad assensum indeterminatum, quoad aliquam propositionem. Dubitatio.

Theoremata.


I. Cognitio est certa, vel incerta. Certa est quę omnē dubitationem excludit. *Huc ex Logicis referendæ sunt omnes propositiones necessariæ, qualis est illa:* quod factū est, infectū fieri nequit. Incerta Cognitio est Certa vel Incerta.

est determinata, vel indeterminata. Determinata est, quâ inclinamur ad alteram contradictionis partem, sed incertè: estq; opinio, vel fides humana. Indeterminata, quæ inter utranq; contradictionis partem versatur anceps. *Ex his talem colligere licet differentiam, scientiæ, fidei humanæ, opinionis, dubitationis & suspicionis. Unum habent humana fides & opinio, quo separantur à scientiâ, videl. de re contingenti esse, vel necessariâ per medium probabile, aut contingens, cui non repugnat subesse falsum: cùm scientia non modò de necessariis sit, sed etiam per necessarium medium: aliud, quo à suspicione, & assensu dubio; & hujusmodi est determinatio ad alteram contradictionis partem. Etenim qui aliquid suspicatur, aut de eo dubitat, non habet assensum determinatum ullius partis, sed inter partem affirmativam & negativam hæret: opinans autem, vel humanâ fide credens, uni parti assentitur, veramq; esse judicat.*

Dubitatio est Utilis II. Dubitatio est utilis, vel inutilis. Utilis, quando *rectè dubitamus, de quâ* Arist. 3. Metaph. cap. 1. ὀρθῶς γὰρ ἀπορεῖν ὡς ἀρχὴ τῆς σοφίας, & 3. Metaph. cap. 1. ἔστι τοῖς διαπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ ἀπορῆσαι καλῶς. *Huc facit & illud protritum:* ἡ ἀπορεία ἐστὶν ἀρχὴ τῆς διαπορείας. *Hinc philosophus non nemo: in* perplexis, *ait*, videtur, & **vel Inutilis.** non videtur, sunt verba modestiæ. Dubitatio inutilis est, quando de omnibus, itemq; de certis dubitatur: *putà de communissimis principiis, quæ qui negat, non est audiendus, juxta illud:* Contra negantem principia non est disputandum. *Item:* Negans ignem urere, tamdiu

est

est igni torquendus, donec fateatur ignem urere.



Cap. 16. De Suspicione.

SUspicio est habitus imperfectus, quo quis inclinatur ad assensum indeterminatum quoad alicujus personæ factum vel qualitatem. Suspicio.

Theoremata.

I. Suspicio cum dubitatione hoc habet commune, quòd sit assensus indeterminatus: sed formale suspicionis, quo à dubitatione differt, est, quòd pro objecto habet personæ aliquod factũ vel adjunctum, non aũt axioma, ut dubitatio, quæ ipsa tamen sæpè pro objecto habet personam, sed ratione alicujus dicti. *Neq; enim de sententiâ, vel propositione aliquâ suspicamur, nisi quatenus illa includit factum personæ. Sic critici edũt suspiciones: ubi suspicantur, loca esse mendosa, sive corrupta ab interpretibus. Quamvis igitur suspicio multa habeat communia cum dubitatione: formaliter tamen ab illâ differt.*

II. Suspicio est justa, vel temeraria. *Suspicionis justæ & æquæ multa sunt effecta, in quibus nominatim est cautela. Contrà è suspicione temerariâ gravissima mala oriuntur, præsertim in vita communi. Suspicio enim, ut ajunt, est venenum amicitiæ. Suspicio illa temeraria est, quâ quis malum præsumit de eo, de quo non debet. De hâc & in hanc dicitur:* Suspicio non cadit in virum bonum. *Item:* Suspicio temeraria non pellit, sed pellitur. Suspicio est Legitima vel Illegitima.

Cap. 17. De errore.

Error. SIc de habitibus veris: ſequitur habitus falſus, putà error, quo quis inclinatur ad aſſentiendum falſis & malis concluſionibus.

Theoremata.

I. Non ſunt principia falſa & mala: ſed è principiis veris & bonis per accidens eliciuntur concluſiones falſæ & malæ. *Sophiſtæ autem concluſionibus ſuis utuntur tanquā principiis, quum reverâ non ſint principia.*

II. Error contingere poteſt in habitibus veris, qui ſunt pro concluſionibus: non autem in iis, qui ſunt pro principiis.

III. Error duobus differt ab opinione reverâ falsâ. *Nam in errore eſt aſſenſus, cujus falſitas evidenter conſtat: deinde, non probabilis, ſed evidēs reputatur ac certus, per evidentem Syllogiſmum deductus, verè tamen* ἀπατητικὸν deceptorium, *cujus deceptio facilè ex elenchorum regulis deprehendi poteſt. Opinio autem etſi reverâ ſit falſa, tamen aſſenſus probabilis debet eſſe, atque adeò cujus falſitas non evidenter conſtat, licet efficaces contra ſe habeat rationes. Syllogiſmus item, per quem deducitur, probabilis eſſe debet, vel certè talis reputari, ut à cunctis ſapientibus non habeatur pro evidenti.*

III. Quemadmodum voluntas ſemper tendit in objectum ſub ratione boni, etiam dum peccat, illud appetens, quod verè malum eſt: pariter intellectus ſemper tendit in objectum ſub ratione veri, quanquam reverâ ſit falſum. *Unde quotieſcunque aliquis aliquid opinatur, probabiliter ſentit id verum eſſe, & Syllogiſmum nectit Dialecticum, ſeu probabilem: ſed aliquando ultrà*

progreditur ψευδογραφήματι, ut Arist. vocat, i.e. falsigrapho, ut Rubius vertit, Syllogismo, deceptus, ut aliquam conclusionem reputet evidenter veram, cùm tamen sit evidenter falsa: quia reputat evidentem esse conclusionem, quæ verè deceptoria est, solam habens apparentiam bonitatis, vel certè circa præmissas deceptus, utramq; vel alteram evidentem esse judicat, cùm sit evidenter falsa. Error autem est vel intellectus, vel voluntatis. Id ut pateat, sic paucis habendum. Intellectus objectum est duplex, per se, & per accidens. Per se est primarium, τὸ verum; & secundarium, τὸ bonum. Bonum enim intellectus cognoscit, non quà ὀρεκτὸν, sed quà νοητὸν, i.e. non sub notione boni, sed sub ratione veri. Per accidens, iterum est primarium, τὸ falsum; & secundarium, τὸ malum. Voluntatis objectum itidem est duplex, per se, & per accidens. Per se est primarium, & secundarium. Primarium est τὸ bonum: secundarium est τὸ verum. Voluntas enim appetit verum, quatenus participat de bonitate, sive sub ratione bonitatis. Nam verum & bonum convertuntur. Objectum per accidens iterum est primarium, τὸ malum; & secundarium, τὸ falsum. Malum non vult ut malum, sed quatenus illi videtur esse bonum. Bonū.n. est duplex, verum & apparens. Illud dicitur καθ᾽ ἀλήθειαν, sive ἀληθῶς tale: hoc κατὰ δόξαν, κατὰ δόκησιν, δοξαστῶς καὶ φαινομένως tale. Itaq; si intellectus affirmet verū & bonum, neget falsum & malū, non decipitur; contrà, si verum & bonū neget, falsum & malū affirmet, errat. Sic voluntas si amet bonum & verum, fugiat malū & falsum, non errat: at si bonū & verum fugiat, malum & falsum amet, nascuntur errores voluntatis, ut videre est ex hoc schemate:


ψευδογράφημα quid?

Error est, vel intellectus, vel voluntatis.


Intellectus objectum.

Voluntatis objectum.

Bonum est tale κατὰ δόξαν, vel καθ᾽ ἀλήθειαν.



Si actio sequatur lineas rectas, non erratur: v.g. Si affirmatio sequatur verum & bonum. At verò si actio sequatur lineas decussatim ascendentes vel descendẽtes, erratur: ut si affirmatio non procedat, sed descendat ad falsum & malum, & negatio ascendat ad verum & bonum.



Cap. 18. De Philosophiâ.

ENarravimus habitus simplices, nunc enarrabimus mixtos.

Habitus mixti qui sint & quot sint?


Habitus mixti sunt, qui sunt partim theoretici, partim practici.

Suntq; duo; unus naturalis, supernaturalis alter.

Philosophia est habitus mixtus naturalis.

Naturalis est philosophia. Philosophia enim est veluti compositum quid ex sapientiâ & prudentiâ, *ut appositè ait Cl.* Jacobus Martini l.1.exerc. metaph.exerc.1.theor.1. *Ego adderem* scientiam. *Et ibidem idem philosophiam sic definit*: philosophia est habitus constans sapientiâ & prudentiâ. *Philosophia igitur est habitus mixtus naturalis, theoreticus partim, partim practicus.*

ctius. Sed cur non etiam poëticus? Respondent quidam: quia artes non tàm philosophiæ partes sunt, quàm instrumenta, ut videbimus in technologia. Nos dicimus: sub practico sæpe comprehendi τὸ ποιητικόν.



Cap. 19. De Theologia.

HAbitus mixtus supernaturalis vocatur vulgò Theologia, quæ ipsa est partim sapientia, partim prudentia, sed religiosa, sed supernaturalis.

Theologia est habitus mixtus supernaturalis.

Disputant, & quidem vehementer disputant Dd. scholastici, num Theologia sit disciplina contemplatrix, vel operatrix. In utramq; partem suppetunt argumenta non contemnenda. Sed utramq; paginam si excutias, videbis hactenus aberratum esse à janua, & quidem quamgravissimè: id quod per paucula theoremata ὀφθαλμοφανῶς *probare annitar, salvo semper meliore judicio.*

Theoremata.

I. Theologia non est habitus simplex, sed mixtus. *Nam sicuti philosophia se habet ad sapientiam, scientias, & prudentias: ita Theologia se habet ad suas sapientias, & prudentias. Est enim par ratio. Atqui philosophia se habet ad suas partes, ut totum collectivum, aggregatum, & habitus mixtus. Ergo & Theologia ita se habebit ad suas partes.*

II. Vocabulum Theologiæ accipitur hodie per catachresin synecdochicam. *Nam nomen partis ponitur pro nomine totius. Itaq;, si placet,*

Theologia dici potest hieratica.

appellare poteris hieraticam. *Nam* Theologia *κυριολέκτως accepta, est practica, tractans de bono spirituali: Theosophia theoretica, tractans de Deo, & rebus divinis.* Kecker. de modo discendi: & in apparatu practico. c. de adornandis L.C. Theol.

III. Hieratica est theoretica, vel practica: *illam Theosophiam, hanc Theologiam vocare nobis liceat.*

IV. Theoretica est sapientia, eaq; vel naturalis, vel supernaturalis. *Quid audio, sic videor mihi objicientem quendam audire, num Theologia est habitus mixtus supernaturalis, ut antè dictũ, & etiam naturalis, ut hîc dicitur? Est omnino. Dicitur autem supernaturalis, quia à potiori fit denominatio. Theologia etiam dicitur supernaturalis ab objecto & fine supernaturali, non tantùm à modo tradendi.*

Theologia naturalis.

V. Theologia naturalis est, quæ informat hominem de reb. divinis, quatenus est homo.

VI. Supernaturalis est, quæ informat hominem, quatenus est Christianus; isq; vel νεόφυτος, vel adultus.

Theologia Catechetica.

VII. Christianum νεόφυτον informat Catechesis, sive Theologia Catechetica.

Theologia Didactico-polemica.

VIII. Christianum jam adultum informat Theologia Didactico-polemica, per locos communes.

IX. Theologia practica est prudentia religiosa: eaq; vel communis, vel propria.

X. Communis est, quæ informat Christianos in communi, quatenus sunt membra Ecclesiæ. *A* Keckermanno *vocatur Sotirologia, rectiùs Soterologia: à* Casmanno, *Schola tentationis:*

Soterologia.

à Per-

à Perkinso, & Possevino *Liber casuum cõscientiæ.*

XI. Propria est, quæ cõcernit Christianos in specie, quatenus sunt talia Ecclesiæ membra: i.e. vel doctores, vel auditores.

XII. Estque Prophetica, (*ut vocat* Perkinsus) vel Acroamatica.


XIII. Prophetica est prudentia de officio concionatoris, qui est membrum Ecclesiæ superius. *Huc pertinet Politia Ecclesiastica, de qua* Wilhelmus Zepperus, *& Rhetorica Ecclesiastica, de qua* Keckerm.

Theologia prophetica.

XIV. Acroamatica est prudentia de officio auditoris, quod est membrum Ecclesię inferius.

Theologia acroamatica.

Hæc omnia ὡς ἐν τύπῳ ϗ συνόψει sic exhibeo:



XV. Hæ sunt partes Theologiæ, non species. *Sicuti autem dicimus, Physicã esse philosophiam naturalem, Opticam esse philosophiam perspectivam: ita etiam dicimus, Propheticam esse Theologiam, quamvis accuratè loquendo sit Theologiæ pars. Partes itaq; diversas Theologiæ constituimus, species adversas non facimus. Non igitur est, quòd cum scholasticis faciamus unam specie disciplinam è Theologia. Sicut enim ἀφιλόσοφον est, philosophiam vocare*

disciplinam: ita ἀθεόλογον est, Theologiam vocare sapientiam, vel prudentiam. Sicut autem philosophia rectè dicitur farrago scientiarum & prudentiarum: ita Theologia est farrago sapientiarum & prudentiarum religiosarum. Adhæc sicut aliæ philosophiæ partes methodo syntheticâ, aliæ analyticâ disponuntur: ita Theologiæ partes theoreticæ methodo syntheticâ, practicæ analyticâ disponi debent. Confer Trel. cat.l.1. Inst.Theol. ab initio. *Instas. Si Theologia est habitus mixtus, cur toties vocatur sapientia? Resp. I. Sic vocatur à fine ultimo, qui est contemplatio* Dei, *ut semper - Patrus. In ista enim contemplatione situm est summum hominis bonum, ut rectè tradunt* Thomistæ *contra Scotistas. Si ergo ultimum hunc* Theologiæ *finem spectes, non ineptè dixeris sapientiam.* Hic *enim finis consistit in θεωρίᾳ. II. Theologiam dicimus sapientiam:* 1. Scripturæ exemplo, 1.Cor.2. ℣.6. & Coloss.1.℣.9. & 2.℣.3. 2. Rei præstantiâ, *utpote quæ certissimus principiorum index est, & amplissima omnium scientiarum princeps.* 3. Cognoscendi modo singulari: *Distinguitur enim hæc sapientia ab ea, quæ terrena & animalis in Scriptura non semel appellatur. III. Quia sex sapientiæ attributa, quæ suprà recitavimus ex* Arist.1.Metaph.c.2. *competunt in Theologiam, alio tamen modo, quàm in Metaphysicam. Quid enim? Annon* Theologia *docet omnia? Omnia, inquam, quæ ad salutem sunt necessaria. Annon docet difficilia? Modum nempe ad salutem perveniendi. Annon ea ipsa in accurata demonstrandi ratione occupatur? Habet enim principia certissima, & omni exceptione majora. Præterea annon maximam ad docendum habet aptitudinem?*

Theologia disponitur methodo syntheticâ & analyticâ.

Theologia an & cur sapientia absolutè dicatur?


nem? Si enim principia habet, utiq; aptißima eſt ad docendum. Annon eadem eſt maximè expetenda? Nam eſt multò excellentior philoſophiâ. Denique annon Theologia omnibus diſciplinis philoſophicis præcipit? Præcipit autem, dum omnia ad gloriam Dei juxta normam Scripturæ dirigere jubet.

Hæc eſt noſtra de SS. Theologia ſententia, quam ſubjicimus cenſuræ philoſophorum & Theologorum, parati cedere iis, qui meliora in medium ponent.

PERORATIO HEXILOGIÆ.

HÆc ſunt hujus ſecundi præcogniti philoſophici pomœria, hi fines. Quare nihil jam ſupereſt tractandum de hac materia. Omnia enim congeßimus, quæ de habitibus intellectualibus præcognoſcenda veniunt. Colophonis loco adjiciam ὑπομνηματισμὸν totius tractationis, itemque uſum hexilogiæ uno atque altero verbo indicabo. Hexilogiæ peroratio.

TABULA, QUA ADUMBRATUR METHODUS HEXILOGIÆ.



DE HEXILOGIÆ UTILITATE.

Hexilogiæ utilitatem in limine hujus tractatus uno verbo indicavi. Hîc sub finem clariùs ob oculos veluti ponam. Ponam autem hoc modo. Hexilogiæ utilitas.

Sicut Archelogia est prima alphabeti philosophici pars, exponens hæc vocabula, principium, conclusio, *eorumq; synonyma, epitheta, & antitheta: ita hexilogia est secunda alphabeti philosophici pars, exponens hæc vocabula,* intelligentia, ſcientia, ſapientia, ſynteresis, prudentia, *& similia; quæ in philosophiæ partibus occurrunt. Vocabula ista omnino præcognoscenda sunt, ut scire queat philosophiæ studiosus,* & denominata diſciplinarum genera, & vocabula communia in plerisque, vel omnibus diſciplinis occurrentia. Genera diſciplinarũ ſunt hæc: ſapientia, ſcientia, prudentia, ars. *Omnis enim disciplina est vel sapientia, vel scientia, vel prudentia, vel ars. Philosophia autem & Theologia sunt habitus mixti ex illis simplicibus.* Vocabula communia, *quæ in plerisq; disciplinis & facultatibus occurrunt, sunt*: intelligẽtia, ſynteresis, intellectus organico-mechanicus: *illius mentio sæpe fit in disciplinis contẽplativis: istius in activis; hujus in factivis: itẽ,* fides divina, & viſio Dei: *quæ duo vocabula persæpe in SS. Theologia usurpantur.* Vocabula deniq; cõmunia, quæ in omnib. & ſingulis diſciplinis occurrũt, *sunt*: opinio, fides humana, dubitatio, ſuſpicio, error. *Iccirco hexilogia, ut & archelog. est ad instar Lexici philosophici cujus utilitatẽ insignem si necdũ vides, nihil vides, vel certè invides.*

Optârim autem, doctos viros aliquid limatiùs de hoc ipso præcognito in medium afferre. Ego feci quod potui; potui, quantum Dominus hoc tempore dedit: quem rogo ex intimo cordis affectu, ut studiis nostris benedicat, ad nominis sui sacrosancti gloriam, & commune bonum, Amen.



JOHAN-



JOH-HENRICI ALSTEDI
TECHNOLOGIA:
ID EST
PRÆCOGNITORUM PHILOSOPHICORUM
PARS TERTIA:

Quæ tractat de numero, ordine, differentiis, & proprietatibus singularum disciplinarum, quatenus præcognosci debent.

Cap. 1. Definitio Technologiæ.

HActenus explicavimus naturam philosophiæ in archelogia & hexilogia, duobus præcognitis philosophicis: nunc restat tertium philosophiæ præcognitum, quod explicat ejus naturam, nempe Technologia.


Technologia igitur est tertium philosophiæ præcognitum, quod ejus naturam explicat commemoratione disciplinarum ipsarum. Technologia.

Disciplinæ sunt internæ, vel externæ. Internæ *sunt ipsi habitus intellectuales hominem perficientes, & aptum reddentes ad artificiosè contemplandum, vel operandum.* Timpler. in technol. c. 4. *De hisce habitibus nos tractavimus in hexilogia. Vocantur aliâs disciplinæ archetypæ, habituales, & conceptæ.* Disciplinæ externæ (*aliâs ectypæ, systematicæ, &* Disciplinæ sunt internæ, vel Externæ.

enunciata) sunt ipsa systemata methodica certorum præceptorum de re aliqua scibili utiliq; traditorum, ad erudiendum & perficiendum hominem. De huce *tractat technologia, quam sic vocant* κατ' ἐξοχὴν. *Hæc tradit ea, quæ præcognoscere oportet, antequam ipsas disciplinas tractemus. Neq; enim duntaxat prænoscere oportet principia, & genus disciplinæ, quorum illa ex archelogia, hoc ex hexilogia præcognoscimus: sed insuper scire oportet, quámnam disciplina aliqua sedem obtineat in encyclopædia seu circulo philosophico, quámque cum aliis convenientiam & differentiam ab iisdem obtineat. Id autem tradit technologia.*

Technologiæ utilitas.

Prodest etiam seriem discipinarũ tenere ad unguem. Rectè enim Keckerm. Syst. Rhet. l. 3. c. 1. Incredibile dictu est, (*ait*) quantum hoc adjuvet memoriam, si, quando rem aliquam legis, audis vel vides, statim tecum cogites, ad quam disciplinam pertineat.



Cap. 2. Technologiæ distributio.

Technologiæ partes.

TEchnologiæ partes duæ sunt: una de distinctione, altera de proprietatibus disciplinarum.

Technologia explicare debet naturam disciplinarum. Ea explicatur, si earum & differentiæ & proprietates, sive convenientiæ indicentur. Oportet enim in qualibet disciplina præter superiora etiam hæc duo præcognoscere, convenientiam scil. quam cum aliis habet disciplinis, itemq; ejus ab istis differentiam.

Sic igitur duæ constituuntur technologiæ partes.

Cap.3. Numerus & ordo disciplinarum quî sit investigandus.

PRima technologiæ pars tractat de distinctione disciplinarum.

Distinctio disciplinarum est philosophiæ partitio, quâ numerus & ordo partium ejus exquiritur. *Hoc ut fiat commodiùs, omnium* primò colligemus varias disciplinarum partitiones, *quæ inde à prima fermè memoria invaluerunt in scholis, & deinde* nostram sententiam *ita* proponemus, *ut nil diversi à priscis tradituri simus, sed ex iis optima quæq; selecturi.* Αὐτοδίδακτοι *esse nolumus in hoc nobilissimo philosophiæ præcognito: ut qui sciamus, multum hac in re situm esse, ut convenientes disciplinarum distributiones animis teneris instillentur. Sicut enim multùm refert, ut limites agrorum ritè constituantur: ita & interest multùm, ut literati cogitent de rectè herciscundis disciplinis.* Distinctio disciplinarum.

Cap. 4. Technologia Ciceronis.

P*Rimus omnium sit nobis Cicero: cujus technologia, id est,* PARTITIO ARTIUM & LITERARUM *omnium, ferè in partitionibus oratoriis, & in extremo libro topicorum ad Trebatium continetur: unde ratio instituendi studii perspicitur.* Technologia Ciceronis.

I. Literæ aliæ sunt certis definitæ terminis, aliæ quasvis partes attingunt.

II. Illæ tum in rebus, tum in verbis spe-

ctantur: & vel ipsas res ipsaq; verba habent, vel instrumenta duntaxat sunt.

III. Omnes autem has literas Græci vocabant philosophiam: Et Plato l.7. *de Legib. illas ipsas literas* παιδείαν; *hæc autem instrumenta literarum* προπαιδείαν, *quòd ab his inciperetur.*

παιδεία & προπαιδεία quid apud Platonem.

IV. Porrò res ipsæ vel divinæ sunt, vel humanæ: *In quibus certè Græcorum philosophia rationem, duce & magistrâ naturâ, sequitur: Quamobrem definitur rerum divinarum & humanarum, & causarum, quibus res illæ continentur scientia,* lib. 3. offic.

Res divinæ.

V. Divinæ res sunt, quæ de Deo, & ejus natura & providentia, & operibus, & erga homines voluntate disserunt.

VI. Has, ut dixi, philosophia ratione metitur: Sicut apud Platonem in Timæo *& aliis locis,* Aristotelem de cœlo & mundo, & 8. Physicorum, & Ciceronē in libr. de natura deor. & in somnio Scipionis, & in libro de universitate (*sicut ex Platone vertit) & alibi apparet.*

Quomodo philosophia Deum agnoscere possit?

VII. Et verò potest philosophia Deum agnoscere, & qualis ejus natura communiter sit, intelligere, teste etiam D. Paulo ad Rom. cap. 1. *Sed quî Deus sit, & quæ ejus interior natura, & quæ ejus voluntas erga homines, sola Christianorum Theologia ex sacrosanctis Bibliis cognoscit.*

Res humanæ.

VIII. Humanæ magis res sunt, quas homo & ratione perspicit, & ad usum vitæ revocat: *Quanquam ita simul etiam ad auctorem usq; Deum pervenit.*

IX. Sic igitur aliæ de natura cùm universi, tum

tum ſingularum partiū tractant; quas quidem ratio vel ſimpliciter & per ſe conſiderat, vel ad hominum ſalutem & valetudinem ſimul refert: alię ad vitam rectè inſtituendam & mores pertinent.

1 Naturam totius univerſi ſeu mundi, & omnium ejus partiū ſimpliciter & per ſe contemplatur Phyſica, ſeu Phyſiologia, *quæ cauſas & effectus quærit: de qua* Plato in Timęo, Ariſt. in phyſ. in libr. de cœlo & mundo, de animal. & part. animal. & aliis; Et Cicero in particula Academic. Quæſt. ſeu de philoſophia; & de natura deor. l. 2. & in libr. de univerſit. *de qua veriſſimè Geneſ. tribus primis capitib. & Jobi aliquot ultimis, & in multis Pſalmis. Nam ita cœli tandem enarrant gloriam Dei.* Phyſica.

2 Res naturales illas omnes ad hominum ſalutem & valetudinem refert Medicina, ſeu Iatrica: *cùm nimirum Deus voluiſſet homini ſervire. Ita enim medicina ſequitur phyſicam: de qua Hippocrates, Galenus & alii.* Medicina.

3 Sed mores & vitam hominum quæ ſpectat, eſt Ethica, & ita de virtutib. ac vitiis, item de fine bonorum & malorum diſſerit accuratiùs: *de qua* Plato *paſſim, quòd hanc Socrates inprimis coluiſſet, tum* Xenophon in libris de dictis & factis Socratis, *tum* Ariſtoteles in Ethicis ad Nicomachum & Eudemum, *& in illis* Ethicis, quæ Magna vocat: *de qua &* Cicero in officiis, in libris de Finib. bonorum & malorum, in Tuſcul. Quæſtion. In paradoxis, & ſæpe alibi: *de qua paſſim in Bibliis, ut cùm Prophetæ & Apoſtoli* Ethica.

divinas leges interpretantur. Sed hæc Ethica non solùm homines singulos ita spectat, sed præterea etiam cœtum aliquem hominum, seu in civitate, seu familia, seu alia quadam simili societate.

Politica.

4 Illa, quæ totam civitatem & Rempublicam studet conservare, constitutis magistratib. & præscriptis legibus, & indutis simul morib. politica est: *de qua* Plato in politico, in libris de Republ. & Legibus, in Minoë, in Epinomide, Xenophon in Cyri pædia, Aristoteles in politicis, & Cicero in libris seu reliquiis, quas solas habemus, de Republ. & in somnio Scipionis, & in Epistola ad Q. Fratrem de administranda provincia: *de qua etiam Biblia, cùm de authoritate magistratuum, & obedientiâ civium præcipiunt.*

OEconomica.

5 Hæc autem quæ familiam, aut alium minorem cœtum aut societatem tuetur, similiter quasi magistratibus, & legibus & moribus, est œconomia, *de qua præcipuè* Xenophon *&* Arist. in œconomicis; *deinde & Biblia, cùm de officio mariti & uxoris, item parentum & liberorum, item dominorum & servorum præcipiunt.*

Jurisprudentia.

6 Hinc autem efflorescit Jurisprudentia *vel Romanorum, vel aliorum populorũ, qui philosophiam illam vitæ & morum, duce ratione, sequuntur, consideratis interim circumstantiis, locorum, temporum, personarum, & sic constitutis magistratibus & legib. & inductis moribus Rempubl. & rem privatam conservant.*

Verba.

X. Verba deinde ipsa, quibus res illæ tum

divinæ,

divinæ, tum humanæ declarantur, ex ipſis citatis auctoribus, & ſimilibus promenda ſunt, & in Lexica cogenda. *Sic enim Lexicon aliud verborum Theologicorum, aliud Phyſicorum, aliud aliorum informandum. Et quoniam potiſsimùm Græcis, tum Latinis, tum Hebræis literis conſignatæ ſunt res illæ; hæ etiam literæ cognoſcendæ ſunt: ſed hodie inprimis Latinæ, tum Græcæ, & quantum ad res divinas neceſſum eſt, etiam Hebrææ.*

Philoſophia autem de rebus & verbis illis quàm poteſt maximè generaliter diſſerit, quòd artes & diſciplinæ revera non ſint, niſi generales, & quæ ita ad omnem uſum paratæ eſſe poßint.

Ex generalibus autem illis diſputationibus omnino pendent, quæcunque de propoſitis negotiis ſpeciatim & ſingulatim incidunt.

XI. Deinde INSTRUMENTA, quibus res & verba illa generaliter tractantur, vel omnino generalia ſunt, vel certam conditionem rerum ac verborum attingunt.

I. Generalia prorſus inſtrumenta ſunt, quibus verba & res quodammodo inveniuntur, collocantur, ornantur: cujusmodi Logicam dicimus. Logica inſtrumenta.

1 Illud inſtrumentum, quo res inveniuntur & collocantur, & ſimul dijudicantur, Dialectica eſt; regula nimirum univerſi judicii: *de qua* Plato in Phædro *quaſi aliud agens, & paßim ſimiliter, &* Ariſtoteles in organo & metaphyſicis, & Cicero in Topicis ad Trebatium, & ſecundo de Oratore & ſæpiùs. Dialectica.

Grammatica. 2 Illud deinde, quo inveniuntur quodammodo & collocantur, & ſimul pronunciantur verba, Grammatica eſt: *de qua* Plato in Cratylo; *& alii in alia lingua, ut* Varro de lingua Latina, & Analogia ad M. Ciceronem.

Rhetorica. 3 Illud verò, quo res & verba ornantur, & ſic ornata pronunciantur, Rhetorica eſt: *de qua* Plato in Gorgia, Ariſtoteles ad Alexandrum Magnum, & Theodectẽn, & Cicero in partitionibus oratoriis, in Bruto, in libris de Oratore ad Q. Fratrem, in Oratore.

Poëtica. 4 *Sed Rhetoricæ finitima uſpiam eſt* poëtica, *propter numeroſam compoſitionem, niſi quòd omnino præterea certis & legitimis numeris aſtringat verba; de qua* Ariſt. in libr. de poëtica.

II. Sed inſtrumenta illa, quæ certam conditionem rerum aut verborum attingunt, cujusmodi matheſin vocamus, *quam Græcorum pueri omnium primam diſcebant*, vel numeros, vel numeroſos ſonos, vel ſpacia & dimenſiones, vel motus & dimenſiones, nominatim orbiũ cœleſtium & ſtellarum tractant: *quippe hujusmodi in res aut verba videmus plurimum cadere. 1. Illud igitur inſtrumentum, quo numeri tractantur,* Arithmetica *eſt. 2. Quo numeroſi ſoni*, Muſica. *3. Quo ſpacia & dimenſiones*, Geometria. *4. Quo nominatim motus & dimenſiones orbium cœleſtium & ſtellarum*, Aſtrologia. *5. Quo ratio videndi*, Optica, *aliâs Perſpectiva. Quanquam hæc ex Geometria pendet, & magis phyſicæ pars eſt: quemadmodum etiam Muſica. De his mathematicis diſciplinis* Plato

Arithmetica. Muſica. Geometria. Aſtrologia.

nis Plato de Republ. lib.7. & Epinomide; & Aristot.de cœlo & mundo, & in libro de mechanicis artibus, quas ita ex Geometriâ ducit, & prætereà Cicero de naturâ Deorum 2. & de universitate, & in somnio Scipionis, & in Arato converso: *sed in primis principes ipsi* Euclides, Ptolemæus, Higynus, *& alii. De his vide & librum sapient.c.7.*


XII. LITERÆ deinde illæ, quæ quasvis hujusmodi literas attingunt, & non tàm in generali speculatione versantur, quàm in exemplis, sunt poësis, historia & oratoria facultas: *unde major deinde rerum & verborum copia nascitur. Inprimis autem hîc Græci & Latini autores cognoscendi.*


1. Historia *autem res veras sicut gestæ sunt aut sese habent narrat.* Historia.

2. Poësis res *plerunque fingit, aut fabularum involucris tegit. Vide Platonem in Ione, & Ciceronem pro Archiâ, & Plutarchum de legendis poëtis, & de Homeri vitâ & librorum ejus interpretatione, & Basilium Magnum de legendis poëtis.* Poësis.

3. Oratoria *facultas rhetorica, quadam orationis vi & copiâ, res persequitur. Sed Instrumenta illa, licet nulla sint, sine materiâ rerum & verborum, quam tractent: tamen commodissimum est illa parata habere: eamque ob causam primùm etiam traduntur, & Plato, ut dixi, προπαιδείαν vocat.* Oratoria.

Ἀποσημείωσις partitionis hujus.





Cap. 5. Technologiæ practicæ generalis idea ex Cicerone.

IDem Cicero ideam philosophiæ practicæ generalis dedit in libris officiorum: quam methodicè eruemus, secuti filum & ductum Cl. philosophi & JCti Bernhardi Copii Antecessoris quondam in Marpurgensi Cattorum. Itaq; ita habet.

Methodus Officiorum M. Tullii Cicer. certis aphorismis comprehensa.

QVia in libris Ciceronis, quos de officiis inscripsit, collectæ & digestæ sunt sententiæ Academicorum, & sic deinceps Peripateticorum & Stoicorum, qui omnes à Socrate profecti sunt, de vitâ & moribus: non alienum putavi illos breviter retexere, ut ita priscorum philosophorum practicorum scripta rectiùs intelligi & conferri possint. Methodus officiorum Ciceronis.

Libri autem sunt tres.

M. T. Cic. Officiorum Liber I.

I. Officium est rectè factum: *Quod sic ab efficiendo dicitur.* Officii definitio.

II. Estq; vel perfectum, vel medium. Officii distributio.

III. Perfectum est quod ad rectam rationem omnino accommodatum est. Officium perfectum.

IV. Recta ratio naturam boni *i.e. ideam ipsam* spectat: *quam Cicero l. de legib. ex Platone, Dei similitudine determinat.* Recta ratio.

Sapiens quis?

V. Hoc ita à sapiente solo, id est, eo, qui nil nisi bonum ipsum spectat, præstatur.

VI. Quanquam autem Sapiens ille sic describi potest: tamen propter depravatam hominis naturam nemo talis fuerit. Quod nec Cicero negat.

Officium medium.

VII. Medium officium est, quod similitudinem quandam rectæ rationis habet.

VIII. Quod ita Cicero esse ait, cujus probabilis ratio reddi possit.

IX. Quod nimirum à mediocri homine, etiam ab hypocritis, præstatur: & tantò rectius est, quantò propius ad illud perfectum accedit.

X. Sic Cicero 1. de Legibus, *Legem ait rectam rationem esse; quam solam veram & æternam Legem facit; cùm alia decreta non nisi simulacra quædam ejus vider. ostendat.*

Quinquepartitæ officiorum causæ.

XI. Deinde officium idcirco rectum est, quia vel seorsim honestum aut utile, sive simpliciter, sive comparatè, vel conjunctè.

XII. Atq; hinc quinquepartitæ illæ officiorum causæ, *videl. 1. Seorsim honestum simpliciter. 2. Seorsim honestum comparatè. 3. Seorsim utile simpliciter. 4. Seorsim utile comparatè. 5. Conjunctè Honestum & Utile.*

XIII. Sic lib. 1. De HONESTO *seorsim; Idq; cùm simpliciter, tum comparatè.*

Honestum.

XIV. Honestum igitur ipsum, quod factu pulcrum; *Quod nimirum similitudo boni seu Dei in animo hominis impressa; Quod ita forma virtutis & propemodum virtus ipsa.*

XV. Quamobrem illud etiam omnibus jucundum, & apud omnes gloriosum & laudabile.

Hone-

Honeſtum conſideratur vel ſimpliciter, vel comparatè.

XVI. Honeſti ſimpliciter conſiderati genera ſunt virtutes, ut Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Modeſtia. Virtutes quatuor cardinales.

XVII. Quæ quanquam ratione honeſti inter ſe colligatæ ſunt; tamen formis, id eſt, officiis differunt.

XVIII. Præter Fortitudinem leniores & humaniores ſunt cæteræ.

XIX. Harum virtutum primò aliæ in cognitione, aliæ in actione magis ſpectantur.

XX. Illius generis eſt prudentia, quæ veritatem in negotiis invenit & ſequi jubet. Prudentia.

XXI. Hujus autem Juſtitia eſt, quæ quod prudentia præſcribit, exequitur; Quæ ſic alias virtutes complectitur. Juſtitia.

XXII. Eſtq; tum juſtitia quædam ſpeciatim, tum alia virtus.

XXIII. Juſtitia ſpeciatim ſuum cuiq; tribuit; *Quomodo hominum ſocietatem tuetur, tum pacis, tum belli tempore.*

XXIV. Et hæc tribuit, vel quod debitum; *quæ omninò propriè juſtitia*: vel liberali magis animo *id, quod debitum non videtur*; *quæ* Beneficentia *dicitur.*

XXV. Alia virtus contenta iis, quæ habet, ſic debitum tribuit.

XXVI. Quæ habet, *inquam*, jure; ſive communia ſint, ſeu propria.

XXVII. Jure ſcilicet naturæ aut civili debitum tribuit ex contractu vel aliâ causâ.

XXVIII. Hæc autem tantò plus officii tribuit, quantò quis conjunctior fuerit.

XXIX. Sic inprimis conjugi tùm liberis, tum parentibus, tum civibus, tum patriæ; deniq; cuivis homini, quamvis ignoto.

XXX. Deinde alia virtus eſt tùm Fortitudo, tùm modeſtia.

Fortitudo.

XXXI. Fortitudo res omnes forti & præſenti animo gerit.

XXXII. Proinde ita Rempubl. & rem privatam tuetur, cùm pacis, tùm belli tempore.

Temperantia.

XXXIII. Modeſtia, modum & decorum in omnibus tenet: *Quæ propriè* Temperantia *in voluptatibus moderandis. Et hinc boni mores dicuntur.*

XXXIV. Quæ propria etiam perſonarum officia tradit, ut ſenum, juvenum; item magiſtratuum & privatorum, &c.

XXXV. Atq; ita ſimpliciter officium ſequitur id, quod honeſtum.


XXXVI. Deinde comparatè, quod honeſtius, aut honeſtiſſimum ſequitur.

Sic honeſtius eſt ea, quæ prudenter aliquis cogitaverit, agere; quàm in cogitatione illâ acquieſcere. Itaq; juſtitia anteponitur prudentiæ.

Hinc ſtudia noſtra ad Rempublicam deniq; conferenda.

Idéa

IDEA LIBRI I.



M. T. CIC. OFFICIORUM
LIBER II.
ἀφορισικῶς expoſitus.

I. *Nunc deinde de* utili *ſeorſim.*

II. Idq; tum ſimpliciter etiam, tùm comparatè.

III. Utile autem eſt, quod honeſtè prodeſt. Utile.

IV. Quamvis enim diſtinctum eſt genere ipſo ab Honeſto: *tamen niſi honeſtè fiat, utile non eſt. Ita enim pars quædam formæ eſt; ſicut ſanctè cenſuit Socrates.*

V. Ergo hîc quid proſit & quemadmodum honeſtè proſit, videndum. In his enim conſiſtit forma utilitatis.

VI. Quod prodeſt & utile dicitur, tùm hominem ipſum, tùm ejus vitam attingit. Bona.

Animi, Corporis & Fortunæ.

VII. Illius generis sunt bona, quæ animi, aut corporis dicuntur.

VIII. Hujus autem generis sunt ea, quæ Fortunæ dicuntur; *ut opes, possessiones, imperium, gloria, decus &c.*

IX. Hoc autem utile non prodest, nisi modis honestis acquiratur, ac comparetur nobis.

X. Idq; vel à nobis ipsis, vel ab aliis.

XI. A nobis ipsis, nostrâ scilicet industriâ & operâ, modis inquam justis, *de quibus in explicatione justitiæ attingebatur.*

XII. Ab aliis, tum Deo, tum hominibus; *sed non sine affectione aliquâ erga nos.*

XIII. A Deo nimirum, si conciliatus sit pietate & sanctitate. Quæ justitiæ etiam species. Unde deinceps prospera fortuna.

XIV. Ab hominibus, si vel conciliati sint, vel obligati: *Sic enim ea, quæ Cicero fusiùs commemorat, breviùs distribuo & dispono.*

XV. Conciliantur autem tùm præstandis officiis, tum consequente gloriâ.

XVI. Præstandis officiis conciliatur & Charitas, & Fiducia.

XVII. Charitas sive Gratia, sive Benevolentia, conciliatur cum aliarum virtutum, tum inprimus leniorum, *de quibus l. 1:* officiis: *Ut enim virtus laudatur, sic amatur ab omnibus.*

XVIII. In lenioribus autem istis virtutibus, præ cæteris maximè commendatur Beneficentia: Quæ plenissima humanitatis, sive peccuniâ, sive operâ præstetur officium.

XIX. Fiducia opis & auxilii maximè habetur

tur ex officiis prudentiæ & justitiæ: *Quæ ita spes, & fides juvandi. Plurimùm enim non solùm amamus illos, qui prudentes & justi sunt, sed etiam illis confidimus.*

XX. Consequens deinde gloria & existimatio multum ad conciliandum valet.

XXI. Quæ sæpè non solùm ita ex propriis, sed majorum etiam virtutibus sequitur. Gloria quî comparetur


XXII. Quæ tantò major fuerit, quanto officia ipsa majora. Sic maximam admirationem movent, quæ non solùm fortiter, sed fortissimè dicuntur gesta.

XXIII. Sed ut gloria istis modis comparatur, ita perseverantiâ conservatur. Semper enim cogitandum, ut tales simus, quales videri velimus. & Conservetur?

XXIV. Obligantur homines non solùm liberalitatis officiis, sed sæpè etiam conducti mercede.

XXV. Sed ita simpliciter officium sequitur hoc quod utile; Comparatè autem id, quod utilius aut utilissimum. *Ita animi bona præferuntur aliis omnibus corporis externis, ad vitam pertinentibus, & sic deinceps.*

Dispositio lib. 2.



M. T. CIC. OFFICIORUM LIBER III.

ἀφοριςικῶς καὶ ἀναλυτικῶς tractatus.

I. Atq; hactenus de singulis seorsim; nunc conjunctè deinceps de honesto & utili; sive nimirum honestum quid videatur, quod utile non sit, sive contrà.

II. Illa enim contentio magnam de officio difficultatem adfert. Ubi generaliter statuendum, nihil honestum, esse, quin utile sit & vicißim.

Quæ Socratis sanctißima illa doctrina, execrantis etiam eos, qui occæcati specie quadam, primùm ista contra naturam distraxissent.

III. Quam-

III. Quamvis enim honestum propter se expetendum; tamen hoc ipso nomine non potest non utile esse.

IV. Sic igitur cum singulis honesti generibus sæpè videtur utile aliquid pugnare. Utile sæpè videtur pugnare

V. Ita exempli causâ, cum prudentia; *1. Sequi, quod publicè, aut privatim utile videatur; 2. Item celare & occultare consilia scelerata. 3. Itemq; sibi potius, quàm amico consulere, amico potius, quàm Reipubl. religioni, datæ fidei inservire.* I. Cum prudentiâ.

VI. Deinde cum justitia; *1. mentiri potius sui commodi causa, quàm verum dicere.* II. Cum justitiâ.

2. Licitatorem opponere contra seipsum ut minoris vendatur.

3. Hæreditates captare: aliorum gratiam in se transferre; Imperii causâ religionem & alia negligere,

4. Utilitatis causâ assentari, & veritatem prodere.

5. In summâ dolosè & fraudulenter potiùs, quàm justè agere.


VII. Tertiò, cum Fortitudine; *1. Fugere potiùs pericula, quàm in discrimen vitæ se inferre. 2. Fallere potiùs fidem hosti datam, qnamvis jurejurando adstrictam, quàm venire in periculum. 3. Ignaviam potiùs sequi, quàm studio & labore occupari.* III. Cum fortitudine.

VIII. Deinq; cum Temperantiâ *& modestiâ; Indulgere potiùs voluptati & libidini, quàm refrænare cupiditatem.* IV. Cum temperantiâ.

Atq; hæc summatim est explicatio methodica & succincta Ciceronis *de officiis; quam* S. Ambrosius *totidem libris expreßit, & Christianis exemplis passim illustravit.*

Typus libri III.

In libro 3. considerantur
- Transitio.
- Propoſitio: Omne honeſtum eſt utile, & contrà.
- Expoſitio ubi
  - Theſis
  - Antitheſis, quodam utile pugnare videtur cum
    - Prudentiâ.
    - Iuſtitiâ
    - Fortitudine.
    - Temperantiâ.



Cap. 6. Partitio Ethicæ ſecundùm Academicos & Peripateticos.

Ethicæ partitio juxta Academicos & Peripateticos.

EX eodem Cicerone colligere placet partitionem Ethicæ ſecundùm Academicos & Peripateticos, ex particulâ Academicarum Quæſtionum Ciceronis, ſcilicet de philoſophiâ, & ex oratoriis partitionibus ejusdem.

Ethices definitio. Finis Ethicæ.

ETHICA rationem benè & rectè vivendi tradit. Finis enim Ethicæ eſt bene beateq; vivere: *Hoc ſcilicet eſt, ex naturâ vivere, nempe ſicut naturalis ratio & vita poſtulat.*

Nam finis ille boni eſt, ſeu ipſum bonum, quod naturâ appetimus.

Media, quibus ad finem Ethices venitur.

Ad illum finem pervenitur, ſi, quodcunq; bonum ſit, acquiratur.

Bonum enim eſt, quod natura appetit, & quo corpus & hæc vita juvatur & conſervatur.

Bonorum genera.

Bonum autem tale tum animi, tum corporis, tum Fortunæ eſt.

His enim bonorum generibus qui præditus eſt, bene beateq; vivit, & beatus ac felix cenſetur.

ANIMI

ANIMI bonum in naturali facultate, nimirum animi ipsius, spectatur, & prætereà usu. Bona animi sunt

Naturalis facultas in mente & ratione, in memoriâ, item in cognitione principiorum versatur. I. Ratio.

Mens & ratio facultas est ratiocinandi & disserendi, *quam Dialectica repræsentat, & fusa est per universam hominis vitam.*

Quanquam certè non tam facultas videri potest, quàm ipse etiam animus, quo homo à cæteris differt animantibus, & quem ex Dei mente expressum habet quadam similitudine.

Memoria deinde complectitur, quicquid mens differit. II. Memoria

Cognitio verò principiorum insita est in ipsâ mente: *Quæ nimirum principia mens in disserendo sequitur.* III. Cognitio Principiorum.

Principia autem illa, vel res ad vitam necessarias significant, vel quemadmodum vita ipsa rectè & integrè degenda sit, ostendunt.

Atque ita aperiunt artes & literas omnes; & quia magis in cognitione, & scientiâ versantur, quàm actione & ratione vivendi, cognitionis *dicuntur: Hæc autem altera vivendi rationem ipsam aperiunt, & ita* actionis *dicuntur, de quibus mox plenius.* Principia sunt Cognitionis vel Actionis.

Usus denique, quod sic ratio ex principiis illis differit, & memoriâ complectitur, & quasi inchoatum habet, meditatione & exercitatione perficit.

Sic enim confirmata & perfecta usu ratio, habitus est, & quatenus principia illa sequitur, virtus quædam, de quâ paulatim distinctiùs. Itaq; ex cognitione principiorum, quæ ad vitam momenti aliquid habet, omnes illas artes & literas usus perficit: quæ quidem ipsam vivendi rationem non attingunt, & sic ab Ethicâ *distingui solent: Quanquam cùm carere illis vita non poßit, in quâdam prudentiâ cernuntur, & ita à virtute non prorsus separantur, imò speciem aliquam virtutum præ se ferunt.*

Usus artiũ magister.

Deinde ex cognitione principiorum quæ ipsammet vivendi rationem attingunt, perficit magis Ethicam, (*quæ sic etiam dicitur, quòd moribus & usu rectè agendi perficiatur,* ἀπὸ τȣ ἤθȣς) *& ipsam adeò virtutem instruit, quæ sic propriè in actione rectè vivendi consistit. Quemadmodum non solùm singulos homines sic velit* Ethica *vivere, sed cunctos etiam, præsertim in civitate aut familiâ congregatos, quomodo* Politicam *&* OEconomicam *complectitur.*

Virtus in actione consistit.

PRINCIPIA autem illa (ut nunc de his, quæ actionis dicuntur, pleniùs dicam) inprimis sunt, ut quod honestum, utile, & necessarium, sequamur in omni vitâ, & nihil quidem utile ac necessarium ducamus, nisi quod honestum sit: & omnino quod his contrarium, fugiamus.

Principia homini naturaliter insita.

Quatuor virtutes I. Prudentia.

Hæc scilicet in omnium animis natura vel Deus potius ingeneravit & inscripsit: unde virtus ipso usu paulatim confirmatur. Sic honestum intelligitur, quod per se bonum est & pulcrum: cujusmodi scil. primùm est prudenter *ipsum honestum ex naturâ repetere, & nihil utile putare, nisi quod honestum;*

ſtum; & ita quærere res illas etiam, quæ quamvis vitam beatam non faciant, tamen illis vita hæc carere non poßit, quales ſunt Literæ & artes illæ: Deinde juſtè *ſuum cuiq; tribuere, & prodeſſe quibus poßis, nocere nemini, & ita homines cunctos diligere, & hominum ſocietatem conſervare, & inprimis* DEUM *omnis boni autorem & conſervatorem agnoſcere & colere: Deinde* fortiter *ſe gerere in rebus ſecundis & adverſis: Deinde* temperanter *& moderatè vivere & voluptati non indulgere. Quæ quidem principia cùm perficiuntur uſu & exercitatione, fiunt prudentia, juſtitia, fortitudo, temperantia: de quibus Cicero ex mediâ philoſophiâ,* libr. 1. de offic. *Quæ certè virtutes fundamenta ſunt Ethicæ, & , ut* Plato ait 12. de legib. *principia Juris & Legum.* II. Juſtitia. III. Fortitudo. IV. Temperantia.

Virtus enim omnino eſt ratio ipſa, quæ ex cognitione principiorum illorum diſſerit, quid faciendum & fugiendum, & tamen uſu ipſo perficitur. Quomodo perfecta ratio definitur.

Sed cùm artes etiam & literas ſic complectatur; certè propriè illa eſt, quæ id, quod ſimpliciter & per ſe honeſtum, ſequitur. Sic denique virtus perfecta ratio eſt, quod honeſtum, ſequendi; quod contrarium, fugiendi: hoc eſt, perpetua & conſtans voluntas, ſeu habitus rectè & honeſtè vivendi. Deinde ſimilitudinem virtutis habet στοργὴ φυσικὴ, *& alia naturalis affectio rationi conſentanea.*

Sed profectò ſi quid rectè & honeſtè feceris, hoc duce naturâ & ratione, conſcientia approbat: ſin minùs, arguit.

Bona corporis.

CORPORIS deinceps bona ſunt, quibus corpus noſtrum carere non poteſt: *ut, bona valetudo, firmum robur & alia generis ejusdem.*

Bona fortunæ.

FORTUNÆ bona ſunt quæ extrinſecus adveniunt, *ut divitiæ, gloria & alia: quæ &* VITÆ *bona dicuntur, quòd his vita non prorſus carere poßit.*

Sed quantum animus corpori (ut comparemus interim) deinde quantum corpus fortuitis rebus præſtat: tantum certè inter ſe comparata hæc bona differunt. Quam comparationem prudentia diligenter in omnibus negotiis inſtituit.

Summum bonum ex ſententiâ Stoicorum.


SUMMUM igitur BONUM eſt, quod animum attingit, *& inprimis ſine quo vita rectè & honeſtè agi non poteſt, hoc eſt, ipſa virtus, quæ id quod honeſtum, i.e. per ſe bonum, ſequitur.*

Itaq; benè & beatè vivere, qui finis Ethicæ eſt, omnino ex naturâ, h.e. ipſa virtute vivere eſt, & ſimul prudenter honeſteq; alias res quærere, ſine quibus hæc vita propagari non poteſt: qui, inquam, finis eſt & beatitudo, felicitasq; in hâc vitâ. Sed quoniam Ethica vel philoſophia potius, talem etiam hominem requirit, qui non tàm ſpecie quadam, quàm re & veritate rationi ac naturæ ſatis pareat, cum nimirum ſimulationem damnet, & illum talem verè ſapientem & beatum judicet: Et quoniam conſcientia teſtis porrò convincit, neminem ſatis paruiſſe: profectò externa magis quædam diſciplina vitæ & beatitudo eſt, & talem ſapientem citius informat ac fingit, quàm præſtat: quod & Cicero 1. & 3. de offic. *attingit, cùm perfectum officium, & perfectè ſapientem non temere inveniri oſtendit.*

Atq; hanc ipsam ob causam cogitur etiam philosophia; si modò veram beatitudinem velit adipisci, extrinsecus præsidium quærere, & sic fugit ad sacrificia & expiationes, sicut Cic.lib.1. & 2. de Legib. *planißimè ostendit: Et cùm ne illis quidem ipsis labes animi, ut idem ait* l.2. *deleri poßit, dubitat & desperat, præsertim cùm intelligat, alteram quandam vitam esse, & sciat Deum qui illam mentem & rationem impreßit, velle omnino ut isti ipsi pareatur, &, nisi fiat, speculatorem & vindicem scelerum esse: Imò cùm sentiat præterea etiam mentem & rationem quamvis lumen illud principiorum habeat, sæpiùs errore implicari: quod &* Cic.libr.illo 1. de Legib. *confitetur. Vide omnino* Apologiam Socratis, *&* extremum Gorgiam apud Platonem.

Hæc igitur lex naturæ est, quam Ethica doctrina explicat, quam etiam in omnium animis inscriptam D.Paulus c.1. & 2. ad Rom. *ostendit, teste conscientiâ hominum peccata coarguere, & quasi viam ad Theologiam munire.* Lex naturæ.

Quanquam Deus interim externam illam disciplinam vitæ ac morum magnopere requirit, & præterea infinitis beneficiis ornat & locupletat: quæ externa illa hominum felicitas & beatitudo est in hac vita.



Cap.7. PARTITIO ETHICÆ SECUNDÙM STOICOS, *breviter collata cum superiori.*

P*Rorsus convenit Ethica Stoïcorum cum Ethica Academicorum & Peripateticorum, nisi quòd*

Stoici nullum boni genus agnoſcunt, niſi ſolam virtutem: & quòd cæteras res neceſſarias & utiles ad vitam, non bona, ſed commoda volunt vocari.


Et profectò ſi comparentur cum virtute, vix eſt, ut boni inſtar habeant.

Dedit autem ita diſſentiendi occaſionem Socrates in Apologia apud Platonem, *cùm res alias omnes comparatas cum virtute pro nihilo putat, & in mortis periculo, & poſt hanc vitam nihil utilitatis adferre oſtendit.*

Quanquam ſi rectè ponderemus, non tam rebus, quàm verbis diſſentiunt ab Academicis & Peripateticis.

Summum bonum apud Epicuréos.

Epicuréos autem relinquimus, ut qui in voluptate ſummum bonum ponant, & ita virtutes ventri & libidini ſubjiciant. Quanquam ſunt, qui putent, eos intellexiſſe illam voluptatem, quam quis ex virtute capit, approbante & recreante conſcientiâ, & ita ipſam animi tranquillitatem ſignificaſſe.



Cap. 8. Celeberrima apud antiquos & recentiores philoſophiæ diſtributio.

Philoſophię partitio antiquiſſima.

O*Mnium celeberrima* philoſophiæ partitio *nobis videtur ea, quâ philoſophia dividitur* in Naturalem, Moralem, & Dialecticam, *ſive* (*res namq; eodem recidit*) in Theoreticam, Practicã, & Poëticam. *Naturalis enim hîc latè accipitur, ita ut non ſolùm Phyſiologiam, ſed etiam Metaphyſicam & Mathematicas diſciplinas complectatur. Et Dialectica complectitur fuſo ſignificatu artes diſſerendi. De hujus ſectionis authore non ſatis convenit inter ſcriptores. Certè commendata fuit à Platone, ut teſtatur*

ſtatur Alcinous in libr. de ejus doctrina cap.3. & Euſebius Cæſarienſis initio l.11. de præparatione Evangelica: *eandemq́ ſecutus eſt* Ariſt.1. Topic.cap.12. *ut taceam Chryſippum, Eudromum, Xenocratem, & alios, quorum Laërtius meminit in vita Zenonis poſt* Plutarchum l.1. de placitis, cap.1.

Tripartitam hanc philoſophiæ diviſionē in ἠθικὴν, φυσικὴν, λογικὴν Cicero 1. Acad.quæſt. *refert ad authorē Platonem:* Fuit, *inquit*, jam à Platone accepta philoſophiæ ratio triplex: una, de vita & moribus: altera, de natura & rebus occultis: tertia, de diſſerendo, & quid verū, quid falſum, quid rectum in oratione pravumq́ue, quid conſentiens, quid repugnans, judicando.

Quòd verò hæc partiendæ philoſophiæ ratio apta ſit & perfecta, duobus oſtendi poteſt modis. Primò philoſophiæ partitio ex objecto deſumenda eſt. Cùm autem philoſophia in id incumbat, ut rerum omnium veritate cognitâ, mentem perficiat, fit, ut quidquid ſub ens vel reale, vel objectivum (eſt enim duplex rerum eſſe, reale & objectivum ſeu cognitum) cadit, id ipſius philoſophiæ objectum ſit. Itaque pro entis diviſione philoſophia quoq́ dividitur. Antonius Poſſevinus l.12. biblioth.ſelect. cap.2. *Cùm autem ens ſit ſpeculativum, activum, & factivum, fit ut philoſophia quoq́ triplex ſit: videlicet, ſpeculativa, quæ propter ſe quæritur; Practica, quæ propter actionem boni; Poëtica, quæ propter effectionem. Confer* Zabarel. l.1. de nat. Logic. cap.2. *Deinde philoſophia ad humanam felicitatem dirigitur. Rectè namque* Auguſtinus l. 19. de civit. Dei, cap.1.

Partitio philoſophiæ deſumenda eſt ab objecto.

ex Platone asserit, philosophandi causam nullam esse homini, nisi ut beatus sit. Humana autem felicitas, teste Aristotele cap. 7. & 8. l. 1. Ethic. ad Nicomachum, *partim in contemplatione veritatis, partim in actione virtuti consentanea est posita. Oportet ergo aliquam philosophiæ partem dari, quæ honesti rationem contineat, & ad virtutem morumq; probitatem erudiat. Hæc verò moralis est philosophia. Oportet item aliam dari, quæ abdita naturæ mysteria scrutetur, & in solius veritatis cognoscendæ studium incumbat, atq; hæc Physica, latè accepto vocabulo, dicitur. Deinde hujusmodi scientiarum adeptio & usus disserendo constant, qua in re sæpe mens errore decepta halucinatur. Statuenda igitur est tertia quædam philosophiæ pars, quæ lucem præferat, solerterq; provideat, ne veritatis locum falsitas obtineat. Hæc autem Dialectica nuncupatur. Tot igitur numero sunt philosophiæ partes. Idem confirmat* Thomas initio Ethic. ad Nicomach. *hac fermè ratione:* Præcipua cura sapientis circa ordinem versatur. Siquidem, ut ex cap. 2. l. 1. Metaph. constat, ad sapientem maximè pertinet ordinare. Ordo autem rerum, quæ in philosophiæ considerationem veniunt, triplex est. Primus, quem ratio non efficit, sed inspicit tantùm, atque expendit, cujusmodi est rerum physicarum ordo. Secundus, quem ratio sibimet ipsa exhibet, cùm notiones suas, & effata inter se ordinatim disponit. Tertius, quem ratio voluntati præscribit, ut illa probè instituta rectum atque honestum prosequatur. Primus Naturalem, secundus Rationalem, tertius Moralem scien-

Humana felicitas in quo posita.

Ordo rerum triplex.

ſcientiam requirit. Non igitur aur pluribus eget, aut paucioribus partibus contenta eſſe poteſt philoſophia. *Ejusdem tripartitæ veritatis rationem ſimilitudine quadam explicat* Auguſtin. *partim* l.8.de civit.Dei cap.4.*partim* l.11.cap.25. *ad hunc fermè modum. Quemadmodum tria ſunt, quæ in quolibet artifice, ut aliquid efficiat, ſpectantur: natura, doctrina, uſus; quorum primum ingenio, ſecundum ſcientiâ, tertium fructu dijudicatur: ſic triplex à philoſophis inveniri debuit diſciplina. Naturalis propter naturam: Rationalis, propter doctrinam: Moralis, propter uſum. Et quoniam homo procreatus eſt à Deo, ut per id quod in ipſo præcellit, attingat ad id, quod cunctis excellit: per hujusmodi tripartitam ſcientiam attingit ad unum verum, optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus uſus expedit. Sunt itaq;, ex Auguſtini ſententia, hæ tres philoſophiæ partes, tres veluti gradus, quibus perfectè ſapiens, aſpirante divinâ gratiâ, ſumma petit, & ad ſimilitudinẽ Dei propiùs accedit. Easdem quoq; partes non ineptè dixeris illuminare, purgare, & perficere mentes humanas. Dialectica enim, dum artificio diſſerendi vera à falſis diſtinguit, animum affusâ veritatis luce illuſtrat: moralis philoſophia, dum mores componit, & vitiorum fibras evellit, purgat: naturalis, dum altiori abditarum rerum intelligentiâ mentem exornat, perficit. Plura hanc in ſententiam vide, ſi placet, apud* Philonem Judæum in lib. de agricultura, & Laërtium in Zenone Cittico, Plotinum l. 3. enneadis 1. de triplici aſcenſu ad mundum intelligibilem.

Tria in quolibet artifice ſpectanda.

Diſciplinæ mentes humanas Illuſtrant

Purgant & Perficiunt.

Cap. 9. Philosophiæ partitio ex Johanne de Janduno.

Johannes de Janduno, vir acutissimus.

Philosophia est Organica.


& Inorganica, eaque Practica.

vel

Speculativa.

Tres classes entium speculabilium.

JOhannes de Janduno *scripsit acutissimas quæstiones in libros Aristotelis de anima, ubi in proœmio philosophiam ita dividit.* Philosophiæ duæ sunt partes, scilicet organica, & non organica. Organicæ autem duæ sunt partes, scil. Grammatica & Logica. *Nam Rhetorica, quæ tertia solet poni, sub Logica continetur.* Philosophiæ autem non-organicę duæ sunt partes, scilicet practica & speculativa. Practicæ autem duæ sunt partes, scil. factiva, *quæ determinat de operibus hominis in materiam exteriorem transeuntibus*: & activa, *quæ determinat de ejus operibus in ipso homine remanentibus, quæ in tres dividitur*, Ethicam *scil. quæ est de operationibus hominis secundùm se*: OEconomicam, *quæ determinat de operationibus hominis, ut est pars multitudinis domesticæ*: & Politicam, *quæ determinat de operationibus hominis, ut est pars multitudinis civilis. Philosophiæ autem* speculativæ *tres sunt partes, secundùm quod tria sunt entia à nobis speculabilia, non operabilia. Nam quædam sunt entia motui & materiæ sensibili secundùm esse & intellectum conjuncta, & talia considerat philosophia Naturalis speculativa. Alia sunt entia motui & materiæ conjuncta secundùm esse, separata autem secundùm intellectum, & talia considerat philosophia speculativa Mathematica. Alia sunt entia separata secundùm esse & intellectum à motu & à materiâ sensibili, & talia considerat prima philosophia.*



Cap. 10. Technologia Jesuitarum.

ATq; hæ ſunt veterum quorundam ſententiæ de partitione philoſophiæ, (*plures vide apud* Keckerm. l. 1. præcog. philoſ. cap. 2.) quarum aliæ ſunt obſoletæ, aliæ adhuc hodie à nonnullis probatæ. Jam in medium afferemus recentiorum quorundam technologias; & eorum quidem vel Peripateticorum, vel Rameorum.

In Peripateticis ſunt hodie Jeſuitæ, *qui retinent eam philoſophiæ diviſionem, quam paulò antè cap. 8. percenſuimus.* Faciunt enim philoſophiam tripartitam: Naturalem, Moralem, Logicam. *Et Naturalem ſubdividunt in Metaphyſicam, Phyſiologiam, & Mathematicas diſciplinas. Vide* colleg. Conimbric. in prœmio in Phyſic. Ariſtot. & Anton. Poſſev. l. 12. bibliothec. c. 3. *Ita autem proponunt has diſciplinas, ut curſum philoſophiæ triennio abſolvant, ut author eſt* Poſſevinus l. 1. biblioth. *ubi agit de examine ingeniorum. An verò & quomodo legenda ſint Jeſuitarum ſcripta philoſophica, non eſt hujus loci diſceptare.* Technologia Jeſuitarum.

Fonſeca in 2. Metaph. c. 3. q. 2. ſ. 5. *hæc ſummatim habet de diviſione diſciplinarum.*

Diſciplinæ tribus modis dividi poſſunt: uno, ratione eorum, in quibus verſantur: altero, ratione finis: tertio, ratione ordinis. Diſciplinæ tribus modis diviſæ.

Prima diviſio eſt: Diſciplinarum aliæ de rebus agunt, aliæ de ſermone. *Priores dicuntur reales: quod genus latiſſimè funditur. Poſteriores ſermocinales, quod genus Grammaticam complecti-* Prima diviſio.

tur, Dialecticam, & Rhetoricam. Hîc autem intelligi debet ſermo non modò externus, quem cum aliis communicamus, quemq; Græci vocant λόγον προφορικὸν, τὸν ἔξω, πρὸς ἕτερον: *ſed etiam internus, quo ſecum quisq; ratiocinatur, quemq; Græci vocant* λόγον ἐνδιάθετον, τὸν ἔσω, πρὸς ἑαυτόν.

Sermo eſt vel conceptus, vel enunciatus.

Secunda diviſio.

Secunda diviſio eſt: Diſciplinarum quędam ſunt theoreticæ, aliæ practicæ. Theoreticarum tria ſunt genera, Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica. Practicæ autem dirigunt, aut actiones, quæ in ipſo agente manent, ut ſunt velle, nolle: aut eas, quæ in alia re exercentur, quæ vocantur effectiones, uti eſt extructio navis. *Priores nomine communi ſibi vendicato appellantur practicæ & activæ: poſteriores proprio vocabulo dicuntur effectivæ.* Ariſt. 6. Metaph. cap. 1. text. 1. *Agentium verò duo ſunt genera: unum, quod dirigit actiones intellectus, quæ eſt Dialectica: alterum, quod dirigit actiones voluntatis, quod Moralis ſcientia vocatur.* Moralium autem ſcientiarum tres ſpecies tradi ſolent, Ethica, OEconomica, Politica. Denique efficientium aliæ dirigunt externum ſermonē, ut Grammatica & Rhetorica: aliæ verò res alias externas: quarum quatuor traduntur diviſiones. Nam

Quatuor diviſiones artium mechanicarum.

1 *Aliæ materiam præparant, ut quæ metalla purgat: aliæ opus conficiunt, ut quæ arma fabricat: aliæ confecto opere utuntur, ut Militaris.*

2 *Aliæ ſunt principales, & quaſi dominæ aliarum, ut Architectura reſpectu Cæmentariæ: aliæ famulantes, ac ſubjectæ: ut hæc reſpectu illius.*

3 *Aliæ poſt actionem nullum confectum opus relinquunt,*

linquunt, ut ars citharistarum: aliæ relinquunt, quarum tria genera traduntur. Nam aliæ nova conficiunt, ut figulorum ars: aliæ collapsa restaurant & reficiunt, ut Medicina: aliæ utrumq; præstant, ut ars ædificandi.

• 4 *Quædam ad necessaria subministranda comparatæ sunt, ut pistoria: aliæ meliùs, aut jucundiùs degendi gratiâ, ut gladiatoria, ad vitam tuendam: ad delicias, unguentaria. Vide* Arist. 2. Phys. 2. text. 24. Laërtium l. 2. *ex Platone. Galenum de constitutionibus artis Medicæ.*


Tertia divisio est: Disciplinarum quædam sunt superiores, aliæ inferiores. Superiores sunt Morales scientiæ, Naturalis, & utraque Theologia. *Atq; hæ scientiæ magis, quàm artes appellantur.* Inferiores, quæque sæpiùs artes, quàm scientiæ dicuntur, ad septem liberales, & totidem serviles revocantur. *Liberales sunt, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia. Serviles sunt, Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgia, Textoria, Nautica: quæ omnes hisce versibus comprehenduntur:* Tertia divisio.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tenor, angulus, astra:
Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Priores septem ideo dicuntur liberales sive ingenuæ, quia illis excolitur animus, libera & ingenua hominis pars: vel quia hominem liberum decent, vel deniq; liberum reddunt. Posteriores vocantur serviles, quòd eis potissimùm exerceatur corpus ad mercenarias & serviles operas: Quo fit, ut nomine servi-

lium non oporteat intelligere militarem ducis, aut fabrilem architecti, aliásve hujusmodi, quæ artificis manu non exercentur. Possunt enim hæ ad liberales artes, aut etiam ad superiores scientias utcunque revocari, ut architectura ad Geometriam, & ars ductandi exercitum ad Politicam.

Atque hæc est sententia Fonsecæ, qui 1. Artis vocabulum latè sumit. 2. Dialecticam in activis, non effectivis ponit. 3. Theologiam facit scientiam: quum ea sit habitus mixtus, & aliquod collectivum, sicuti ipsa philosophia. Id quod nos primi notavimus.




Cap. 11. Technologia Keckermanni, & Timpleri.

Technologia Keckermanni.


IN Schola Peripatetica nobilis author est Keckermannus, qui partitionem philosophiæ proponit l.1.præcog.philos.cap.2. item in tabulis de modo discendi. *Eam, quæ est in præcognitis, hac tabellâ adumbrare placet.*




Philo-



Huic adde, ſi ita vis, technologiam C. Timpleri, *quam ille proponit* technol. cap. 3.



- Ars liberalis eſt
  - Principalis
    - Theologica
    - Philoſophica
      - Prima
        - Theoretica
          - Generalis: Metaphyſica.
          - Specialis
            - Phyſica.
            - Mathematica
              - Arithmetica.
              - Geometria.
        - Practica
          - Generalis: Ethica.
          - Specialis
            - OEconomica.
            - Politica.
      - A prima orta, quæ eſt claſſis
        - Primæ
          - Medica.
          - Juridica.
        - Secundæ
          - Phyſiognomia.
          - Optica.
  - Minùs principalis, quæ Philologica dicitur. Eſtq; vel
    - Sermocinatrix
      - Primaria
        - Grammatica.
        - Rhetorica.
      - Secundaria
        - Poëtica.
        - Muſica.
    - Ratiocinatrix
      - Logica.
      - Hiſtorica.



Cap.12. Technologia Rameorum.

PLures Peripateticorum sententias de partitione philosophiæ colligant sibi studiosi. Nos nunc *colligemus summatim quæ Ramei philosophi habent de partitione philosophiæ. Petrus Ramus, quod sciam, in scriptis suis nullam philosophiæ ideam & partitionem generalem nobis reliquit. Sed discipuli & sectatores ejus, ex scriptis, quæ edidit, sequentem philosophiæ distributionem extruunt.* Technologia Rameorum.

Philosophia est generalis, aut specialis.

Generalis philosophia in Ente & non-ente spectatur. Philosophia generalis,

Ens autem & non-ens, aut ratione, aut oratione.

Ratione tractat illa Dialectica. &

Oratione verò Grammatica & Rhetorica: illa puro, hæc ornato sermone.

Specialis philosophia, in certo aliquo & definito subjecto exercetur, *ut quasi cancellis quibusdam, extra quos non evagetur, circumsepta & munita videatur.* Specialis.

Estq; cognitionis, aut actionis.

Cognitionis philosophia est, quæ contemplationem moderatur.

Occupatur ea partim in quantitate, in qualitate partim.

Philosophia quantitatis dicitur Mathesis, sive Mathematica: estque vel Arithmetica, de quantitate multa; vel Geometria, de quantitate magna.

Philoſophia qualitatis eſt prima, vel orta.

Prima eſt Phyſica. Orta eſt Aſtronomia, Muſica & Optica.

Actionis philoſophia eſt, quæ regit mores, & vitam.

Eſtque publica, aut privata.

Publica eſt, aut obſequendi, aut imperandi ars.

Obſequendi, eſt Ethica.

Imperandi, OEconomica, aut Politica.

Privata, vel agit, vel facit.

Agens eſt Agricultura: faciens, Architectonica. Hæc vide apud Snellium in prolegom. Ethic. *Sunt & alii Ramæi, qui retinent diviſionem Platonicam, quâ philoſophia herciſcitur in προπαιδείαν καὶ παιδείαν.*

προπαιδεία philoſophica.

προπαιδεία eſt præparatio quædam ad philoſophandum, & quaſi inſtrumentum, cujus ſpecies ſunt artes Logicæ, Dialectica, Grammatica, & Rhetorica: & Mathematicæ, Arithmetica ſcil. & Geometria. Suidas vocat τὰ πρῶτα μαθήματα, alii προπαιδεύματα.

παιδεία philoſophica.

Παιδεία, ipſa eſt philoſophia; cujus ſpecies ſunt, Phyſica & Ethica. Hiſtoria verò & Poëſis earum ſunt illuſtrationes. Continent enim exempla de meteoris, siderib. plantis, item morum, i.e. virtutũ & vitiorum.

Cap. 13. Technologia authoris.

Technologia authoris.

SIc ergo maturandi judicii causâ diverſorum authorum ſententias commemoravimus de philoſophiæ partibus & membris: ſupereſt, ut noſtram ſententiam adferamus.

Eam

Eam primò ſimpliciter proponemus, deinde ejusdem confirmationem adjiciemus, certis theorematis comprehenſam.

Sententia noſtra de partitione philoſophiæ talis eſt.

Ordo diſciplinarum eſt vel dignitatis & naturæ, vel doctrinæ. Ordo diſciplinarum duplex.

Ordo dignitatis eſt, quo diſciplinæ collocantur eâ ſerie, quam naturâ obtinent. Eſtq; talis.

Diſciplina philoſophica eſt vel theoretica, vel practica, vel poëtica.

Theoretica eſt, quæ agit de rebus neceſſariis, adeoq; tradit cognitionem veri. Diſciplinæ theoreticæ numero 12.

Eſtq; vel ſapientia, vel ſcientia.

Sapientia eſt Metaphyſica, *quæ conſiderat ens in quantum ens.* 1. Metaphyſica.

Scientia eſt vel pura, vel media.

Pura eſt vel Phyſica, vel Mathematica.

Phyſica eſt vel generalis, vel ſpecialis.

Phyſiologia generalis *eſt, quæ explicat proprietates rerum naturalium in genere.* Fonſeca 4. Metaph. c. 1. q. 2. ſ. 2. 2. Phyſica generalis.

Specialis *eſt vel* Pneumatica, *de Angelis & anima: vel* Somatologia, *de corporibus.* 3. Pneumatica. 4. Somatologia.

Mathematica eſt vel generalis, vel ſpecialis.

Generalis *eſt, quæ tractat principia & affectiones multitudini & magnitudini communes.* Pererius l. 1. c. 17. p. 57. 5. Mathematica generalis.

Specialis eſt tũ Arithmetica, *tum* Geometria. 6. Arithmetica. 7. Geometria.

Scientia media eſt, quæ partim phyſica eſt, Mathematica partim. Fonſeca 2. Metaph. c. 3. q. 2. ſ. 5.

Eſtq; vel corporis, vel qualitatis.

8. Coſmographia. 9. Uranoſcopia. 10. Geographia. 11. Optica. 12. Muſica.

Corpus conſideratur vel in genere, unde Coſmographia; *vel in ſpecie. Corporis, in ſpecie eſt vel* Uranoſcopia, *vel* Geographia.

Qualitatis ſcientia eſt vel Optica, *vel* Muſica.

Scientiarum Mathematicarum praxis eſt Architectonica.

Practica diſciplina dicitur prudentia, quæ agit de rebus contingentibus agendis.

Prudentiæ numero 5.

Prudentia eſt methodica, vel exemplaris.

Methodica eſt vel generalis, vel ſpecialis.

1. Ethica.

Generalis eſt Ethica.

2. OEconomica. 3. Politica. 4. Scholaſtica. 5. Hiſtorica.

Specialis eſt tum OEconomica, *tum* Politica, *tum* Scholaſtica.

Exemplaris eſt Hiſtorica.

Poëtica diſciplina dicitur ars, quæ agit de rebus contingentibus faciendis.

Artes numero 7.

Ars eſt (liberalem intelligimus) vel pura, vel media ſeu mixta.

Ars pura eſt, vel memorialis, vel Logica.

1. Mnemonica.

Ars memorialis dicitur Mnemonica.

Logica eſt, vel ſermocinatrix, vel ratiocinatrix.

Sermocinatrix agit de vocum ſignificationibus, vel adſignificationibus.

2. Lexica.

De ſignificationibus agit Lexica, *quæ tractat de fabrica & uſu Lexicorum.*

3. Grammatica. 4. Rhetorica.

De adſignificationibus puris tractat Grammatica, *de ornatis* Rhetorica.

5. Logica.

Ars ratiocinatrix eſt Dialectica.

6. Oratoria. 7. Poëtica.

Ars media eſt, quæ partim ſermocinatrix, partim ratiocinatrix eſt: eſtq; tum Oratoria, *tum* Poëtica.

Διατύ-

Διατύπωσις tabellaris ita habet:



Atq; hic eſt ordo naturæ: ſequitur ordo doctrinæ, isq; popularis, quo diſciplinæ doceri & diſci debent. *Eum ita circumſcribimus.*

Hic ordo, hæc diſtinctio diſciplinarum pendet à diſtinctione gymnaſiorum, quorum diſtinctio à materiâ ducitur hunc in modū, ut oſtendit Franciſc. Junius de Academiâ, c.3. Gymnaſiorum alia ſunt, *quæ dicuntur παιδαγωγεῖα,* alia, quæ ἐνηβητήρια. *Illa minoribus erudiendis inſtituta, hæc grandioribus & provectioribus ætate ſtudioq; informandis pleniùs, ex quo principia in pædagogéis tradita bellè aſſequuti ſunt. Tradimus autem hîc de ordine doctrinâ hodie uſitato. Apud priſcos enim alia longè fuit ratio inſtituendi, docendi atq; diſcendi artes.* In pædagogéis aūt duo traduntur potiſſimùm, inſtrumenta doctrinarum, & principia ſive rudimenta.

Gymnaſiorum diſtinctio.

Inſtrumenta appellamus linguas, artes inſtrumentales, & ornamenta earum hiſtorias. Linguas *vocamus philologiam, ſive Lexicam. Linguas, dico, Latinam & Græcam, imò & Hebræam, quæ tamen à paucis excolitur, quũ tamen in ſcholis Chriſtianis neceſſaria ſit propter ſtudium Theologiæ.* Artes inſtrumentales, *nimirum Grammaticam verborum ex uſu, Logicam veritatis ex ratione, & Rhetoricam communis cultus ad easdem res ex commoditate adhibendi artifices, neceſſarias eſſe qui ignorat, brutus eſt: furioſus, qui negat.* Hiſtorias *ſi quis his cum judicio & ratione adjungit, non mediocre juventuti allectamentum ad amorem literarum humaniorum præbet, & ſermoni, rationi, cultui deniq; in pueris confirmando magnum adfert adjumentnm.*

Inſtrumenta in pædagogeis tractanda tria.
1. Linguæ.
2. Artes inſtrumentales.
3. Hiſtoriæ.

Principia ſive rudimenta *duûm ſunt generum,*

Rudimenta

quæ

quæ in scholis pædagogicis si traduntur, bene est: si non traduntur, omnino tamen unum eorum adhibeatur necesse est. Prius genus est pietatis, posterius philosophiæ.

pædagogica sunt

Pietatis rudimenta *Catechesi explicantur.*

Pietatis & Philosophiæ

Philosophiæ *non penetralia exponi, sed aditus pueris reserari debent: iique non omneis, sed ii saltem qui sunt de moribus, item Mathematici, nominatim Arithmetici & Musici.*

Alterum gymnasiorum genus, quod ἐνηβητήριον diximus, initiatos literis & imbutos juvenes pleniore disciplinarum modo colit & perficit. *Hîc enim præterquam quòd instrumenta in pædagogéis explicata excoluntur ampliùs, etiam præcipuæ quæque philosophiæ partes perficiuntur & absolvuntur, facultates denique illæ summæ, quæ primas in disciplinis obtinent jure meritissimo, eæ in hoc ludo exponuntur commodè ad Reip. & Ecclesiæ Christi utilitatem maximam. Ac primùm quidem linguarum hîc uberior doctrina traditur. Deinde verò instrumentorum, quæ diximus, usus demonstrari solet. Tum corpus totius philosophiæ quasi per anatomen confirmatis ipsorum mentibus, ut oculis, cernendũ proponitur.* *Hic* τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα, *i.e.* Mathematicas *disciplinas certo ordine juventuti percipiendas & tenendas tradit: ille* τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα, *quam secundam philosophiã vocant, ad res physicas pertinentem: eodemque ferè contextu* τὰ ἁπλῶς ὄντα, *i.e. materiam primæ & reconditioris philosophiæ enucleat argutè, doctè, breviter, familiariter: iste verò* τὰ ἠθικὰ, *quibus circumscribuntur boni mores, sanctéque feruntur justi & injusti leges, ad singularem cujusque hominis*

Ἐνηβητήρια quæ sint?

τὰ ὄντα sunt

1. ἐξ ἀφαιρέσεως.

2. ἐκ προσθέσεως.

3. Ἁπλῶς.

institutionem, ad rem domesticam gubernandam adq; publicam necessaria. Succedunt tandem his facultates (ut appellantur) summæ, hominemq; benè informatum & instructũ in suo genere ad πρακτικὴν velut ducentes manu, θεολογικὴ, νομικὴ, ἰατρικὴ. Quarum illa quæ Theologia appellatur, fontes suos non alibi quàm in cœlo habet, rivi in homines verbo & scripturâ Dei ex merâ ejusdem gratiâ defluxerunt: hæ verò fontes suos ab orbis conditu in philosophiæ penetralibus, naturâ ipsâ duce & teste habuerunt. Ethicam enim Jurisprudentia, Physicam Medicina quàm latißimè ad commoditatem generis humani privatim & publicè deduxerunt. Gymnasiorum igitur species quatuor ex hoc ordine (nam tot fuerunt olim) constitui possunt. Prima *eorum, in quibus linguarum doctrina exponitur;* secunda, *in quibus instrumenta subministrantur & artes ad philosophiam præviæ:* tertia, *in quibus aperiuntur studiosis & patescunt recessus philosophiæ:* quarta *deniq; eorum, in quibus summæ illæ facultates juventuti explanantur ex usu Reipub. Ex his patet, quisnam sit doctrinæ ordo in tradendis disciplinis. Rem totam paucis conclusionibus complectemur. Plura sunt apud* Boëtium, *qui scripsit* de ordine tradendi disciplin. in lib. de doctrinâ scholarium, & Plutarchum in lib. de contrarietatibus Stoicorum, & Philonem Judæum in libr. de agriculturâ, Augustinum lib. de ordine & deniq; Conimbricenses in prooem. phys. q. 5. *Prima conclusio sit:* Grammatica doctrinæ ordine prior est Logicâ. *Veteres Græci non necesse habebant discere Grammaticam. Nam illorum lingua vernacula in scholasteriis personabat. Hodie res aliter se habet.* *Secun-*

Summæ facultates numero quatuor.

Gymnasiorum species numero quatuor. I. II. III. IV.

Grammatica doctrinæ ordine est prior Logicâ.

Secunda conclusio. Logica doctrinæ ordine prior *est* Rhetoricâ. *Doctrina namq; troporum, non potest intelligi sine lampade logicâ.*

Logica doctrinæ ordine prior est Rhetoricâ.

Tertia conclusio. Mathematica doctrinæ ordine est prior philosophiâ naturali. *Hæc est* Hugonis de sancto Victor. *in prologo cœlestis hierarchiæ*, & lib. 2. didascal. c. 18. Tho. in opusc. 70. qu. 5. art. 1. & 8. cap. l. 6. Eth. & Henrici Gandavensis in summâ art. 7. q. 7. Simplicii etiam, & aliorum complurium, videturq; Aristotelis 6. Eth. cap. 8. *ubi ait, puerum fieri Mathematicum, Sapientem vel physicum non posse. Idem confirmat veterum in tradendis disciplinis consuetudo. Plato enim (ut de cæteris taceamus) eos, qui Mathematicis imbuti non essent, ac præsertim qui se prius in Geometrico pulvere non exercuissent, à gymnasio suo arcebat, inscriptis Academiæ foribus huce verbis*, μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *i.e.* nemo huc ingrediatur ignarus Geometriæ. *Atq; inde etiam est, quòd idem* Plato l. 7. de Repub. *Mathematicas vocat* προπαιδείας *quasi priores institutiones, quibus adolescentium animi ad reliquos doctrinæ satus praeexercentur & excoluntur. Stabilitur postremò conclusio ex eo, quòd Mathematica & juvant ad perceptionem aliarum artium, & in comparandis Mathematicis minus negotii est. Unde & propter addiscendi facilitatem, commune disciplinarum nomen apud Græcos fecere suum. Dicuntur enim* μαθήματα. *At Physica cùm reconditam naturæ vim scrutetur, & à vagâ atq; errabundâ sensuum notitiâ, magnâ ex parte pendeat, longi temporis observationem requirit atq; experientiam, proindeq; multò est difficilior atq; operosior.*

Mathematica prior est Physicâ doctrinæ ordine.

Antiquitus Mathemata omnium primò proponebantur

Mathesis præparat ingenium ad altiora.

Mathematica sunt facilima.

Philosophia naturalis est prior Morali doctrinæ ordine.

Quarta conclusio. Physica doctrinæ ordine est prior, quàm moralis philosophia. *Hæc conclusio habet authores Chrysippum, Archedemum, Sidoniũ, & Eudemum, referente Laërtio in vitâ Zenonis, &* Ammonium in procemio ad categorias, item Thom.ad c.8.l.6.Ethic. lect.7. *Suadetur verò his rationibus: I. Quia in iis, quæ ad vitæ disciplinam, & regendas, ac moderandas hominum voluntates pertinent, fallacior est & incertior, ac magis ardua experientia, quàm in physicis: multoq; maturiori judicio opus est ad eorum intelligentiam, quibus componendi sunt mores, regenda familia, instituenda Respublica. Quò spectat illud* Arist.1.Eth.cap.3. *juvenem haud quaquam idoneum esse moralis disciplinæ auditorem: quia nimirum in perturbationum regno non potest esse firmum de rebus agendis judicium, dumq; reciprocante cupiditatum æstu animus fluctuat, quo pacto vitiis imperandum sit, non capit, sed post adeptam quietem prudens fit. II. Multa ex naturæ fontibus, & physicæ veritatis contemplatione ad moralem philosophiam necessariò petenda sunt, ut quid sit anima, quinam affectus. Nec enim, ut* Plato in Alcibiade primò *docet, scire possumus, quomodo aliquid curandum sit, nisi ejus naturam cognitam atq; exploratam priùs habeamus. At moralis philosophia animæ & affectuũ malorum medicatrix est. Prætereà oportet moralem philosophum à Naturali sumere, quæ sint animæ facultates, ut quæ quibus subditæ esse debeant, & in quarum actione beatitudo posita sit, edoceat. Quocirca Aristoteles in formanda morum scientiâ, physiologiam sæpè adhibet.*

Maturiori judicio opus est ad moralem doctrinam, quàm ad physicam.

Philosophus moralis multa accipit à naturali.

Metaphysi-

Quinta conclusio. Metaphysica doctrinæ ordine

dine omnium scientiarum postrema est. *Hanc conclusionem tradidit* Avicenna primo suæ Metaph.c.3. & Thom. 1. contra gentes c.4. Ægidius in procemio physic. M. Albertus 1. Metaph.tract.2.c.10. *& cæteri fere Peripatetici communi consensu. Facilè autem ex eo probatur; quia doctrinæ ordo postulat, ut quæ scientia res maximè abstrusas, & à sensuum consuetudine remotas tradit, ea postremo loco addiscatur. Ita verò sese habet Metaphysica, quippe quæ circa transnaturalium rerum contemplationem occupatur, ut vel ipsum ejus nomē indicat. Adde quòd eorum, quæ in aliis scientiis pertractantur, notitia ad primam philosophiam animum præparat & acuit, ut* August.2.lib.de ordine edisserit, *ajens, humanam rationem, cùm ad ea, quæ altiora sunt agnoscenda, aspiraret, ne adscensum frustrà moliretur, néve de alto caderet, inferiores disciplinas sibi tanquam gradus parasse. Philosophus itaq; per alias scientias gradatim ad Metaphysicam ascendit.*

ca doctrinæ ordine est postrema omnium disciplinarum.

Doctrinæ ordo quis?

Sexta conclusio. Tres summæ facultates, Theologia, Jurisprudentia, & Medicina, doctrinæ ordine sunt posteriores ipsâ Philosophiâ. *Philosophia enim continet partim instrumenta, quibus illæ utuntur, uti sunt Logica, Mnemonica, &c. partim titulos & terminos, vel, ut rectiùs dicam, principia, quibus illæ utuntur itidem.*

Tres summæ facultates ordine doctrinæ sunt posteriores philosophiâ.

Philosophia naturalis est prior Morali doctrinæ ordine.

Quarta conclusio. Physica doctrinæ ordine est prior, quàm moralis philosophia. *Hæc conclusio habet authores Chrysippum, Archedemum, Sidoniū, & Eudemum, referente Laërtio in vitâ Zenonis, &* Ammonium in procemio ad categorias, item Thom.ad c.8.l.6.Ethic. lect.7. *Suadetur verò his rationibus: I. Quia in iis, quæ ad vitæ disciplinam, & regendas, ac moderandas hominum voluntates pertinent, fallacior est & incertior, ac magis ardua experientia, quàm in physicis: multoq́ maturiori judicio opus est ad eorum intelligentiam, quibus componendi sunt mores, regenda familia, instituenda Respublica.*

Maturiori judicio opus est ad moralem doctrinam, quàm ad physicam.

Quò spectat illud Arist.1.Eth.cap.3. *juvenem haud quaquam idoneum esse moralis disciplinæ auditorem: quia nimirum in perturbationum regno non potest esse firmum de rebus agendis judicium, dumq́ reciprocante cupiditatum æstu animus fluctuat, quo pacto vitiis imperandum sit, non capit, sed post adeptam quietem prudens fit. II. Multa ex naturæ fontibus, & physicæ veritatis contemplatione ad moralem philosophiam necessariò petenda sunt, ut quid sit anima, quinam affectus. Nec enim, ut* Plato in Alcibiade primò *docet, scire possumus, quomodo aliquid curandum sit, nisi ejus naturam cognitam atq́ exploratam priùs habeamus. At moralis philosophia animæ & affectuū malorum medicatrix est. Præterea oportet moralem philosophum à Naturali sumere, quæ sint animæ facultates, ut quæ quibus subditæ esse debeant, & in quarum actione beatitudo posita sit, edoceat. Quocirca Aristoteles in formanda morum scientiâ, physiologiam sæpè adhibet.*

Philosophus moralis multa accipit à naturali.

Quinta conclusio. Metaphysica doctrinæ ordine

Metaphysi-


dine omnium scientiarum postrema est. *Hanc conclusionem tradidit* Avicenna primo suæ Metaph. c.3. & Thom. 1. contra gentes c.4. Ægidius in procemio physic. M. Albertus 1. Metaph. tract. 2. c.10. *& cæteri fere Peripatetici communi consensu. Facilè autem ex eo probatur; quia doctrinæ ordo postulat, ut quæ scientia res maximè abstrusas, & à sensuum consuetudine remotas tradit, ea postremo loco addiscatur. Ita verò sese habet Metaphysica, quippe quæ circa transnaturalium rerum contemplationem occupatur, ut vel ipsum ejus nomē indicat. Adde quòd eorum, quæ in aliis scientiis pertractantur, notitia ad primam philosophiam animum præparat & acuit, ut* August. 2. lib. de ordine edisserit, *ajens, humanam rationem, cùm ad ea, quæ altiora sunt agnoscenda, aspiraret, ne adscensum frustrà moliretur, néve de alto caderet, inferiores disciplinas sibi tanquam gradus parasse. Philosophus itaq; per alias scientias gradatim ad Metaphysicam ascendit.*

ca doctrinæ ordine est postrema omnium disciplinarum.

Doctrinæ ordo quis?

Sexta conclusio. Tres summæ facultates, Theologia, Jurisprudentia, & Medicina, doctrinæ ordine sunt posteriores ipsâ Philosophiâ. *Philosophia enim continet partim instrumenta, quibus illæ utuntur, uti sunt Logica, Mnemonica, &c. partim titulos & terminos, vel, ut rectiùs dicam, principia, quibus illæ utuntur itidem.*

Tres summæ facultates ordine doctrinæ sunt posteriores philosophiâ.



Cap: 14. Confirmatio traditæ technologiæ.

COmmemoravi παχυλῶς *meam de partitione philosophiæ sententiam, cujus confirmationem nunc (id quod promisi) certis theorematis arcto.*

I. Divisio philosophiæ est sectio integri in sua membra. Totum, *ut docent Logici,* triplex est, universale, essentiale, & integrale. *Philosophia non est totum universale, neq; essentiale. Integrale igitur. Non est universale: quia hoc est ipsum genus, quod dividitur in species. Hoc totum duas habet conditiones. 1. ut in se sit unum, & distinctam ab omnibus suis speciebus naturam habeat. 2. communitas, ut latius sit omnib⁹ suis speciebus. Jam verò philosophia non est quid diversum à Physica, Mathematicâ, Metaphysicâ & cæteris, sed istarũ partium aggregatio & combinatio vocatur philosophia. Non etiam est totum essentiale: quia hujusmodi tota habent certam & determinatissimam naturam, atq; adeò etiam exactam definitionem. Philosophia autem est aliquid aggregatum, est ens collectivum. Non enim habet materiam & formam propriè dictam, sed tantùm* ἀναλόγως. *Manet igitur, philosophiam esse totum integrale,* ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Totum apud Logicos est triplex.

Philosophia est totum collectivũ.

II. Philosophiæ distributio in theoreticam & practicam coincidit cum illâ nostrâ, quâ dicimus esse theoreticam, practicam, & poeticam. *Id quod sic demonstro. Divisionem philosophiæ in theoreticam & practicam Aristoteles in vitâ suâ constantissimè retinuit, eaq; inventâ auditores suos quàm*

Partitio philosophię omnium optima.

quàm feliciſsimè erudiit, teſte Laërtio in ejus vitâ, & teſtibus ejus ſcriptis, quibus hanc partitionem ſubinde repetit: ut 2.Metaph.cap.1.& 5.& 5.Metaph. c.1. *quam etiam interpretes ejus diligenter explicarunt: quam deniq; canones Logici, philoſophiæ deniq; ſubjectum, objectum, & finis nobis commendant. Canones Logicos quod attinet, nulla poteſt dari regula bonæ diviſionis, quæ hîc non ſervetur. Quid enim? Annon diviſio exhaurit totum diviſum? Annon membra inter ſeſe diſſentiunt, & cum toto conſentiunt? Annon reliquæ regulæ ſunt obſervatæ? Præterea ſubjectũ philoſophiæ eſt homo, ſecundùm animæ rationalis facultates, intellectum nimirũ & voluntatem. Intellectus aũt, ſeu intellectiva facultas eſt triplex, nimirũ ſpeculativa, activa & factiva, ut docetur* 5.Metaph.cap.1.& 6. Eth.c.2. *Contemplativa eſt, quâ homo aptus natus eſt contemplari res neceſſarias, quas producere non poteſt. Activa eſt, quâ honeſtè vivere poteſt. Factiva, quâ opera externa producere poteſt. Cùm ergo homo ſit & ejus anima, cui deſtinata eſt philoſophia omnis, utiq; neceſſe eſt philoſophiam & ejus partes conformari ac diſtribui ratione facultatũ animæ: ut nimirum quædam philoſophiæ pars ſit theoretica, quæ ignorantiam & caliginem mentis expellit; alia practica, quæ concupiſcentiam refrænet, poëtica deniq; alia, quæ ſit regula actionum tranſeuntium. Sic theoretica eſt regula intellectus theoretici practica, regula intellectus practici & voluntatis; poëtica, regula intellectus poëtici. Sic igitur excuſatur trichotomia philoſophiæ à nobis propoſita: quam ſic revocare licet ad dichotomiam. Philoſophia eſt theoretica, vel practica. Et practica iterum eſt vel activa, vel factiva. Hîc diluendæ*

Subjectum philoſophię

sunt duæ objectiones. Principio quidam sic impugnant διχοτομίαν. *Membra hujus dichotomiæ inter se non dissentiunt.* Nulla *enim ars est, quæ in solâ reru, quas tractat, cognitione acquiescat, neq; eam ad certu aliquem in vitâ humanâ usum transferat. Ideoq; qualibet ars simul est contemplatrix & operatrix. Vana sanè esset ars, quæ nullum in vitâ humanâ usum haberet. Respondetur, per actionem non intelligi quamlibet operationem, sed tantùm moralem, quam dirigunt & informant disciplinæ practicæ, quas diximus prudentias; per effectione verò non quamlibet, sed tantum operationem artificialem liberalem, quam disciplina* ποιητικὴ *dirigut atq; informat. Patet igitur hîc confundi terminos. Præterea distinguendu est inter artiu usum & operationem. Licet.n.nulla sit disciplina, quæ non habeat alique, eumq; permagnum in vitâ humanâ usum, cùm qualibet disciplina suo modo pficiat hominem, & id quod naturæ deest expleat: tamen non omnis disciplina discitur propter* πρᾶξιν *&* ποίησιν: *quu multa sint tantùm* θεωρητὰ, *i.e. ita comparata, ut sub liberam & voluntariam hominis neq; actione, neq; effectionem cadant. Deniq;* πρᾶξις *accipitur vel acroamaticè, vel exotericè. Acroamaticè, quandò strictè accipitur, & significat operatione moralem. Exotericè, quando latè accipitur: id quod fit duob⁹ modis. Vno, quando sub se continet* ποίησιν; *quo sensu rectè dicitur philosophia esse theoretica, vel practica. Altero, quando praxis significat usum. Sic dicimus praxin Metaphysices, Logicæ, Grammaticæ: ubi non intelligimus operatione moralem, sed duntaxat usum. Sic cadit prima objectio.* Altera est Keck.l.1. præcog. philos.c.2. *ubi docet & contendit, philosophiam rectè dividi*

Omnis ars propositum sibi habet aliquem finem.

Praxεως vocabulum ambiguum.

dividi in theoreticam & practicam, sive contemplativam & activam; poëticam aūt sive factivam, non itē. Rationes affert duas: 1. Quia non philosophia, sed universus artiū chorus, quæ ambitu philosophiæ non continētur, regit facultatem animæ factivā, quæ est minùs digna. Digniores.n.sunt contemplativa & activa. 2. Quia magna orietur cōfusio ex multitudine, si medicina, artes liberales, & illiberales sive sellulariæ intra philosophiæ ambitum recipiantur. Resp. ad 1. Artes quæ sic presse dicūtur, ut Grāmatica, Rhetorica, Logica, & cætera, sunt & partes & instrumen..a diverso respectu, ut paulò pòst probabimus. Ad 2. Nos *medicinā & artes serviles non compingimus in technologiā, adeoq; non impingimus ut illi, quos d.l. Keck. nigro θ notat. Stat igitur tradita philosophiæ divisio tripartita ratione subjecti. Objectò philosophiæ etiā hæc partitio stabilitur, quòd sunt res ipsæ, circa philosophia occupatur. Res autem omnes sunt duplices, ut non uno loco hujus nostri tractatus docuim⁹,* necessariæ *scilicet &* contingentes. Necessarias *vocant philosophi, quas homo nullâ prudentiâ vel arte producere potest, atq; adeò in quas homo nihil habet viriū ad generandū, nihil virtutis ad mutandum. Sic res necessariæ sunt cœlum, stellæ, elementa, ens, vnū, verum, bonum, punctū, circumferentia: qa nullâ virtute humanâ ejusmodi res producuntur, aut mutantur, sed sunt necessariæ, sive id homo velit, seu nolit. Tales aūt res ptractat philosophia theoretica. Res verò* contingentes *sunt, quæ pendēt à voluntate & industriâ hominu, ut possit eas producere, vel non producere, ut sunt actiones virtutū & vitiorum, opera etiam artificū. De illis philosophia practica, de his poëtica instruit hominem.*

Objectum philosophiæ sunt Res

Necessariæ

& Contingentes.

Extat hæc rerum diviſio 6.Eth.c.2. & περὶ ἑρμηνείας c.penult. *Sic ergo philoſophia ad objectum ſuum conformatur, quando hæc ejus trichotomia retinetur.*

Finis philoſophiæ.

Deniq; ex fine *philoſophiæ hæc partitio confirmatur. Philoſophia contemplativa ex naturâ ſuâ ſibi vendicat, ut finem, cognitionem ipſam rerũ, de quibus agit: in activâ traditur cognitio, ſed ita, ut ea dirigatur ad actionem: in factivâ traditur itidem cognitio, ſed ita ut ea dirigatur ad effectionem. Quid, inquiat aliquis? An igitur diſciplinæ practicæ & poëticæ etiam propoſitam ſibi habent cognitionem? Omnis legitimæ diſtributionis membra debent eſſe inter ſeſe oppoſita. At verò traditæ hujus diſtributionis membra non ſunt oppoſita: quia contemplatio ſive cognitio non tantùm eſt in primâ philoſophiæ parte, ſed etiã in reliquis duabus. Reſpondemus eſſe fallaciam homonymiæ in vocabulo cognitionis. Non dicimus, philoſophiam aliam eſſe cognoſcentem, aliam agentem, ſed theoreticam & practicam & poëticam dicimus. Differunt aũt plurimùm* θεωρία καὶ γνῶσις, *contemplatio & cognitio. Et habet ſeſe* γνῶσις *ad* θεωρίαν, *ut genus ad ſpeciẽ: ita ut non omnis* γνῶσις *ſit* θεωρία. *Nam contemplatio eſt talis notitia, quæ in ſeipsâ poteſt acquieſcere, quæq; adeò ſine opere eſt perfecta. Eſt ergo etiam in practicâ & poëticâ philoſophiâ cognitio, ſed non talis, quæ* θεωρία, contemplatio, *propriè debeat appellari, quia non acquieſcit in ſeipsâ, ſed neceſſariò progreditur ad opus. Cognoſcimus igitur in philoſophiâ theoreticâ, ut ſciamus: in practicâ cognoſcimus, ut agamus: in poëticâ deniq;, ut faciam⁹. Vide* Fonſ. in 2. Metaph. c.3.q.2, ſ.3.& Keck. præcog. philoſ.l.1.c.2.

Θεωρία & γνῶσις differunt.

Diſciplinæ theoreticæ quę ſint?

III. Diſciplinæ theoreticæ ſunt, quæ in ſolâ rerum naturâ explicandâ verſantur, nec tra-

dunt ullas regulas operis cujusquam faciendi, etiamsi res, de quibus agunt, fieri possunt humanâ operâ. *Quâ ratione dicimus, Geometr[illegible]m esse contemplativam: quia nullas tradit agendi aut faciendi regulas, tametsi multæ res Geometricæ fieri possunt humanâ arte, ut pentagonon à fabro.* Fonseca in 2. Metaph. c. 3. q. 2. s. 3.

IV. Disciplinæ practicæ & poëticæ sunt, quę tradunt præcepta agendi aliquid aut faciendi, etiamsi naturam ejus & partes, ac proprietates simul explicent. *Quâ ratione morales dicimus practicas, propter regulas agendi quas tradunt, quanquã simul agant de naturâ virtutum, de speciebus Rerumpub. & cæteris hujusmodi. Idem de poëticis judicium esto.* Fonseca d.l.

Disciplinæ practicæ & poëticæ quę sint?

V. Contemplativa scientia semper attingit per seipsam finem suum principalem, qui est contemplatio, cùm is sit actus ejus elicitus: at practica & poetica non per seipsam, sed per alium habitum, aut potentiam. *Nam scientiæ moralis finis præcipuus est opus virtutis, at hoc non à scientiâ ipsâ morali, sed à virtute attingitur. Eodemq; modo finis Medicinæ principalis, est sanitas: & Militaris, victoria: sed tamen neutra attingit eum finem per seipsam, sed per potentiam executivam.*

VI. Sunt duo genera disciplinarum practicarũ. Unum habet pro fine opus, quod relinquitur extra eum, qui per scientiam agit: alterũ habet pro fine operationẽ. *Opus priori modo sumtũ est res motu facta: quo pacto statua est opus statuarii; homo sanus, vel sanitas, medici; victoria, sive hostium subjectio, ducis & exercitus. Non omnes practi-*

Duo genera disciplinarum practicarum.

cæ relinquunt hujusmodi opus confectum post actionem. Operatio autem est ipse motus, ex quo nullũ tale op⁹ confectũ resultat: quo pacto actus virtutis, est op⁹ virtutis moralis; recta navigatio nauticæ: & concentus Musicæ. Rectè igitur statuimus duo disciplinarum practicarũ genera: quorum aliud pro fine habet opus priori modo sumtum, aliud posteriori, ut docet Aristot. 1. Eth. c. 1. *Inter quæ opera hoc interest, quòd posteri⁹ dicitur praxis, prius non item. Sed tamẽ inter actum elicitũ scientiæ, & opus prioris generis, semper media est praxis aliqua, saltem actio ea, quâ ejusmodi opus conficitur. Unde fit, ut utrumq; genus scientiarũ dicatur practicum à praxi: cæterùm non semper, ut à fine principali; cùm praxis in priori genere sit mediũ ad opus, quod est finis principalis. Hoc tamen conveniunt hæ scientiæ, quòd earum regulæ operandi non sunt directivæ nisi praxeωs: quandoquidem regulæ non dirigunt res, quæ fiunt, sed actiones, quibus fiunt. Praxis igitur est actus cujuscunq; potentiæ aptus dirigi, sive regulari ab intellectu, etiamsi sit operatio intellectus. Alioquin actus prudentiæ, qui sunt operationes intellectus, & regulantur, sive diriguntur per scientiam moralem, non essent praxes, cùm tamen vel maximè hoc nomine dignæ à philosophis censeantur.*

Philosophiæ theoreticæ partes distinguuntur pro varietate abstractionum.

VII. Philosophiæ theoreticæ partes rectè distinguuntur pro varietate abstractionũ à materiâ, & à motu. *Ratio hujus est: quia illius rei, quæ sub speculationẽ venit, duo sunt attributa: unũ competit illi ratione intellectivæ potentiæ, quam excolit, & perficit; alterum ratione habitus scientiæ, quo attingitur. Ob priorẽ causam competit ei immateriale quippam esse, quia intelligendi vis expers est materiæ. Ob posteriorem, non potest non certitudinem, & immo-*

bilitatem sive inmutabilitatẽ quandam obtinere; quia scientia est de rebus necessariis. Omne aũt necessariũ, firmũ atq; immutabile esse oportet. Necesse igitur est, ut omne θεωρητὸν, *i.e.* quod sub contemplationẽ cadit, *aliquã sibi abstractionem à materiâ, & motu vendicet.* Thom. opuscul. 70. q. 3. art. *His animadversis sic concludo: Tot sunt scientiæ contemplativæ, quot abstractiones à materiâ & à motu. Hæ verò tres omnino sunt. Ergo totidẽ erunt contẽplativæ scientiæ. Major propositio suadetur: qa hasce abstractiones necessariò comitantur diversi modi (barbari nostri vocãt* scibilitates) *sub quibus scientiæ res subjectas p se attingunt, quiq; scientiis ipsis distinctionẽ pariunt. Minor propositio ex eo probatur: qa datur una abstractio à materiâ sensibili singulari tantùm: altera à materiâ etiã sensibili, sed communi, & quidẽ non re, sed ratione: tertia ab omni materiâ, & re & ratione simul. Quarũ prima ad philosophũ naturalẽ pertinet, secunda ad Mathematicũ, postrema ad Metaphysicũ.* Col. Con. in prooem. phy. q. 1. art. 3. *Ita v.g. philosophus naturalis considerat hominẽ, ut ex animo constat, & corpore affecto qualitatibus, sub sensum cadentibus, quòd materia sensilis dicitur: nec tamẽ materiã singularem scrutatur, putà hunc hominẽ, Petrum, Paulũ. Singularia.n. per se non spectant ad scientiã. Singularia aũt sunt duûm generum. Alia sunt firma firmitate negativâ, quæ ex se non intereunt, ut Sol, Luna: qualia considerat physiologus. Alia sunt firma firmitate affirmativâ, quæ ad tempus talia sunt: quæ nõ sunt physicæ considerationis.* Thom. part. 1. q. 86. art. 3. *Præterea Mathematicus affectiones triangulorũ, aliaq; id genus contẽplatur, quæ licet reipsâ in materiâ sensibili hæreant; non ea tamen, quatenus in ejusmodi materiâ*

Abstractio triplex.

Singularia sunt duûm generum.

ſunt, expendit. Non conſiderat triangulum ligneum, vel ferreum. Metaphyſicus deniq; in earum rerũ cognitione verſatur, quæ neq; in materiâ conſiſtunt, neq; illam in ſuo conceptu includunt. Porrò quod de abſtractione à materiâ diximus, ſimiliter de ſeparatione à motu intelligi debet. Liquet igitur, tres eſſe abſtractiones, atq; adeò totidẽ inſpectricis philoſophiæ partes: neq; alias præterea invehere, opus eſſe: cùm omnia, quæ in ſcientiæ contemplationem veniunt, ſub aliquâ è tribus prædictis notionibus ab intellectu percipiantur. Non aũt eſt, quòd aliquis putet in prædictis abſtractionibus falſitatẽ inveniri, quando ſcilicet id quod reipsâ mobile eſt, aut materiæ conjunctum, non ut mobile, neq; ut materiale expẽditur. Non.n.rei, quod non habet, adſcribitur, neq; quod habet denegatur: ſed eam cogitatio duntaxat ſive mentalis ſeparatio avocat, atq; abſtrahit ab eo, cui reipsâ conjungitur. In abſtrahendo aũt nec mendaciũ eſt, nec error: quantumlibet vis abſtrahẽs, unita diviſim, materialia ſine materiâ, mobile ſine motu conſideret. Non eſt cõceptus hic falſus, ſed verus: quia illi aliquid reſpondet in re. Ariſt. 7. Metaph. cap. 11. tex. 3. & 2. Phyſ. c. 2. tex. 18. Thom. 1. par. q. 85. art. 1.

Materia eſt Senſilis vel Intelligibilis.

VIII. Triplex eſt abstractio in diſciplinis Theoreticis, partim ſpecie, partim genere. Phyſiologia habet abſtractionem unam genere, duplicem ſpecie; unam item ſpecie Metaphyſica: Matheſis autem unam genere, ſpecie duplicem ſibi vendicat. *Etenim materia duplex eſt, ſenſibilis nimirum & intelligibilis. Materia* ſenſibilis *eſt materia prima induta accidentibus, quæ ſenſũ movent.* Intelligibilis *materia eſt magnitudo, linea videl. ſuperficies, & corpus. Dicitur aũt materia*

κατ' ἀναλογίαν, i.e. propter similitudinem, sive analogiam, quā cum materia prima habet. Ut.n.hæc substantiales formas, ita illa accidētarias suo modo recipit. Intelligibilem v. appellant: quia prout ad Mathematicū spectat, non sensu, sed intellectu percipi potest. Alex. Aphrod. 7. Metaph. c. 10. ad tex. 55. Tho. 1. Post. c. 23. Vicomercatus l. 2. Phys. c. 2. Theophilus Zimar. 1. de anim. ad tex. 17. Antonius Zimar. propos. 8. in theorematis. *Quibus ita explicatis, statuimus, Mathematicam abstractionem non* specie *unam, sed* duplicem *esse. Namq; res Mathematicæ vel cogitatione abjunguntur à materia sensibili tantùm, vel simul etiam ab intelligibili. Si priori modo, ad Geometram spectant: Si posteriori, ad Arithmeticum. Geometra enim, teste* Aristotele l. 2. Phys. c. 2. tex. 20. & 1. Rhet. ad Theodecten cap. 2. *contemplatur affectiones magnitudinis: Arithmeticus autem circa numeri proprietates occupatur. Ex quo planum evadit, plures esse Mathematicas disciplinas. Hoc intelligendum est de iis tantùm Mathematicis, quæ sinceræ puræq; Mathematicæ dicuntur. Sunt enim præter has aliæ, quæ mediæ & mixtæ dicuntur: propterea quòd inter Physiologiam, & purè Mathematicas mediæ sint, eorumq; objecta partim ad naturalem philosophum, partim ad Arithmeticum vel Geometram spectent: ut Musica, & Perspectiva. Numerus enim sonorus, circa quem Musica versatur, ex parte quidem numeri, Arithmeticum quidpiam est; ex parte sonori, physicum.* Arist. l. 2. Phys. c. 2. ibidemque ejus interpretes ad tex. 18. & 19. & l. 3. ad tex. 71. Confer Scalig. exercit. 321. & 322. *Neq; verò est, quòd mireris, quî fieri possit,*

Abstractio Mathematica est specie duplex.

Mathematicæ disciplinæ mediæ.

ut Arithmeticus & Geometra non adhibeant in contemplationem materiam primam; cùm quantitas, teste Arist. 6 Metaph. cap. 1. tex. 1. *pendeat, quoad suum esse, à substãtia corporea, atq; adeò sine materia intelligi non poßit. Hoc dubium sic explicamus. Non potest quidem quantitas secundùm suam essentiam, cognitione omnibus numeris perfectâ, absq; explicito conceptu naturæ corporeæ intelligi. Verùm ad Arithmeticam & Geometriã non pertinet ejusmodi quantitatis cognitio. Non enim illæ numerorum & magnitudinum affectiones eò usq; persequuntur, ut eorum naturam enucleatè explorent: atq; adeò ut ipsorum essentialem habitudinem ad materiam scrutentur, ut tradunt* Philoponus, Themistius, Simplicius, & Aven-roïs in 1. de anim. ad tex. 35. & Alensis in procem. Metaph. & M. Albert. 5. Met. tr. 3. c. 2. Ant. And. 6. Met. q. 3. Theoph. Zim. 1. de anim. ad tex. 17. Ant. Zimar. theoremate 7. & Colleg. Conimbr. in Phys. Arist. q. 1. art. 5. *Satis de abstractione Mathematica: sequitur Physica, quæ una est genere,* specie duplex. *Etenim Physica est communis, vel propria, ut in præceptis technologiæ exposuimus. Communis rimatur principia & affectiones substãtiæ creatæ in genere. Creaturæ enim multa habent communia. Physica propria est vel Pneumatica, de substantia spiritali; vel Somatologia, de substantia corporea. Hîc, opinor, vides, duplicem esse abstractionem.*

Physica abstractio specie duplex.

Physica cõmunis.

Metaphysica deniq; unicam sibi vendicat abstractionem. Neq; enim Metaphysica tractare debet de intelligentiis, quæ omnino extra materiam cõsistunt. Quid enim? Si Metaphysica est generalis, si habet communißimum objectum, ens quâ ens, utiq; non debet

Metaphysica abstractio est una.

tractare

tractare de hoc ente. Alioqui non erit una disciplina. Disciplinæ namq; theoreticæ unitas pendet à subjecto, ut practicæ à fine. Quod igitur attinet modos entis, & similia, quæ Metaphysicæ sunt considerationis, ut substantia, bonum, unum, aliaq; id genus, tenendum, quòd illa & materiam in suo conceptu non includant, & secundùm se spectata, indifferentiam habeant, ut reipsâ extra eam reperiantur. Quam abstractionem Thomas 6. Metaph. c. 1. ex Avicenna 1. suę Met. c. 2. & Soncinas in 12. Metaph. q. 1. *vocant* abstractionē secundùm indifferentiam. *Hæc igitur partim insunt, partim non insunt in materia. Dicuntur nihilominus ab ea potiùs abstracta, quàm cum ea conjuncta: quia sunt indifferentia ad materiam, id est, eam sibi ex sese non vendicant. Nam uti verè affirmamus, animal secundùm se indifferens esse ad gradum rationalis, etsi reipsâ partim cum eo junctum sit, quatenus in homine continetur; partim ab illo separatum, prout in bellua includitur: ita rectè asserimus, substantiam abstractam, separatámve esse à materia, hoc est, indeterminatam atq; indifferentem ad illam; licet quadam ex parte materiâ vacet, prout in spiritu creato continetur; ex altera in eam sit immersa, quatenus in substantiis corporeis invenitur.* Abstractio secundùm indifferentiam.

Quod verò ad alia prædicamenta attinet, quæ neq; simpliciter, neq; secundùm indifferentiam à materia separata sunt; ea non absolutè, sed quoad divisivam cognitionem duntaxat, ad Metaphysicam spectant, quatenus ad eum pertinet ens in suas partes generatim distribuere. Quo fit, ut, quia in ea partitione ejusmodi quoq; genera occurrunt, de illis itidem cognoscat, quatenus ea ad entis amplitudinē percipiendam Prædicamenta quomodo sint Metaphysicæ considerationis.

requirit; quæ cognitio imperfecta est, & quasi perfunctoria. Eodẽ pacto considerat etiam primus philosophus primam materiam, quia in eam incidit, dum ens in actum & potentiam, cujus præcipuum significatum est materia, dispertitur. Itaq; ea, quæ nullo modo extra materiam cohærent, nonnisi obiter, &, ut ita dicam, incidenter *tractat Metaphysicus: nisi fortè prout ei, ut communi omnium artium præsidi & dictatori, ex officio incumbit scientiarum Rempublicam constituere, ac tueri, & unicuiq; disciplinæ propriam ac peculiarem materiam, in qua insistat, designare.*

Metaphysicus quædã tractat incidenter.

Metaphysica enim est veluti regina, quæ ad regni sui administrationem commodiùs peragendam herciscit latifundia sua, eaq; assignat principibus & satrapis suis, h.e. inferioribus disciplinis. Metaphysica namq; eò usq; deducit ens, donec inferiores disciplinæ denominata sua habeant objecta. v.g. substantiæ divisionem eò usq; persequitur, donec mentionem faciat increatæ & creatæ., Increatam (ait) tu Theologia, tibi tractandam sume. Creatam incorpoream, tu Pneumatica, regendam sume. Vide Treutl. in methodo eloq. ab initio. *Hac igitur ratione pro suo jure & dignitate extra metas proprii objecti formalis liberè excurrit. Distinguas igitur velim inter purè Metaphysica, & media, in quibus Metaphysicus cum aliis artificibus communicat, cujusmodi est ens naturale, in quo communicat cum Physico: numerus, in quo cum Arithmetico: & magnitudo, in qua cum Geometra.* Fonseca 2. Metaph. cap. 3. q. 5. s. 4. *Hac de re plura apud* Ægidium in procem. Phys. Soncinas 4. Metaphys. q. 15. Jandunum 12. Metaph. q. 1. *Ex his efficitur, unam esse Metaphysicam, Physicam com-*

Metaphysica assignat inferioribus disciplinis denominata objecta.

communem & propriam, Mathematicas item plures.

IX. Pleræque, ne dicam, omnes disciplinæ duas habent partes, communem scil. & propriam, seu, quod idem est, generalem & specialem. *Singulare est, quod heic adnotamus. Ita Grammatica est generalis, vel specialis. Generalis, quæ tradit adsignificationes omnibus nationibus communes. Specialis tam varia est, quàm variæ sunt linguæ, videl. numero* LXXII. *quot doctiorum calculus hodie computat. Rhetorica eodem modo est generalis & specialis. Generalis tradit præcepta communia de adsignificationibus ornatis. Specialis dividitur vel ratione ordinum vitæ humanæ, videlicet Scholastici, Politici, & Ecclesiastici, vel ratione nationum. Ibi est Rhetorica Ecclesiastica, hîc Rhetorica Polonica, vel similis. Logica consimiliter est vel generalis, vel specialis, ut quamrectißimè dividit Keckermannus. Generalis tradit præcepta & canones generales; specialis ostendit præceptorũ & canonum usum, quoad genesin & analysin. Quis præterea ignorat, Metaphysices duas esse partes, communem & propriam; quarum illa de transcendentibus, hæc de substantia & accidentibus tractat? Physica insuper est generalis, & specialis. Generalis tractat ea, quæ creaturis sunt communia. Specialis est Pneumatologia, vel Somatologia. Illa iterum est communis, vel propria. Communis agit de iis, quæ spiritibus creatis separatis, iisq; bonis & malis, cum spiritu unito seu conjuncto, qui est anima, sunt communia. Propria seorsim tractat de spiritu separato & conjuncto. Mathesis deniq; itidem est communis, & propria, ut è præceptis technologiæ obscurum esse non potest.* Utilissima observatio.

De Politica & OEconomica idem esto judiciũ. Quòd si quis conqueratur, nos numerum disciplinarũ auxisse, adeoq; entia multiplicasse: is hoc responsi à nobis habeat, entia non esse multiplicanda sine manifesta necessitate. Jam verò manifesta necessitas (Græci πειθανάγκην *vocant) nobis fixit legem in enarrandis disciplinis, quã violare ut non potuimus, ita nec debuimus. Lex ista ita habet: De quocunq; in natura posito aliquid cogitari potest, de eo debet esse aliqua disciplina.* Τέχναι γὰρ τέμνονται ὥσπερ τὰ πράγματα: disciplinę enim dividuntur ut res ipsæ. *Jam verò universitas rerũ hoc modo dividitur. Quicquid in natura est positum, est* νοητὸν, *intelligibile, seu scibile. Omne autem scibile, est vel* θεωρητὸν, *vel* πρακτὸν, *vel* ποιητὸν, *vel si mavis, est vel* θεωρητέον, *vel* πρακτέον, *vel* ποιητέον. Θεωρητὸν *est, quod cadit sub contemplationem. Estq; vel Catholicum, vel Sub-catholicum, ut vocant, i.e. generale, vel speciale. Generalißimum est primum cognitum, nempe ens. Hic enim est primus & ultimus omnium conceptuum, ut eruditè probat* Dn. Keck. Metaph. 1. c. 1. *Hinc igitur est* Metaphysica. *Speciale est, vel purum, vel medium. Purum est, quod simpliciter abstrahi potest, put à vel Physicè, vel Mathematicè. Hinc igitur Physica, & Mathematica. Ea quæ sunt Physicæ considerationis habent multa communia inter sese: hinc* Physica generalis: *iteq; multa propria, hinc* Pneumatica & Somatologia. *Quæ Mathematices operæ subjiciuntur, considerantur itidem vel in cõmuni, unde* Mathematica generalis; *vel in particulari, quatenus sunt vel numerabilia, hinc* Arithmetica; *vel mensurabilia, hinc* Geometria. *Tale est* θεωρητὸν *speciale purum: mediũ seu mixtum est, cujus objectum partim ad philosophiã naturalem,*

Πειθανάγκη Græcis quid sit?

Universitatis rerum pulcerrima & exactissima divisio.

Primum cognitum, Ens.

partim ad Arithmeticam & Geometriā spectat. Hoc autē est vel corpus, vel qualitas. Corpus cōsideratur vel cōmuniter, unde Cosmographia, *de iis, quæ cœlo & terræ sunt cōmunia: vel particulariter in* Uranoscopia & Geographia. *Qualitas est vel visibilis, unde* Optica, *vel audibilis, unde* Musica. *Tale igitur est* θεωρητὸν. *Sequitur τὸ πρακτόν; quod consideratur vel methodicè, vel exemplariter. Methodicū consideratur vel generaliter, sine respectu ad certū statum, unde* Ethica: *vel particulariter in statu œconomico, politico, scholastico: unde* OEconomica, Politica & Scholastica. *De Ecclesiastica .n. præcipit Theologia. Exemplariter consideratur τὸ πρακτὸν in* Historica, *seu* Historiographia. *Sequitur τὸ ποιητὸν, quod est purū, & medium. Purum est, quod cōcernit vel memoriā tantùm, vel sermonē tantùm, vel rationem tantùm. Memoriam juvat* Mnemonica. *Sermonem, quoad significationē, considerat* Lexica; *quoad adsignificationem purā,* Grammatica; *quoad adsignificationē ornatā,* Rhetorica. *Rationis correctrix & directrix est* Logica. Τὸ ποιητὸν *mediū seu mixtum est oratio quâ prosa, quâ ligata: de illa in* Oratoria, *de ista in* Poëtica *docetur. Atq; hæc est partitio philosophiæ omniū accuratissima, vel certè accuratissimæ proxima, conformata scil. ratione subjecti, objecti & finis. Subjectū est homo, quoad nobilissimas animæ facultates. Objectum est omne scibile. Finis est perfectio animæ humanæ. Unde philosophia Platoni est δύναμις θεραπευτικὴ τῆς ψυχῆς. Sic ergo encyclopædia philosophica, sive circulus disciplinarū cōtinet quatuor præcognita, videl. unam sapiētiam: undecim scientias: quinq; prudentias: septem artes. Atq; hoc modo vides, quomodo technologia conveniat cum hexilogia. Typus talis sit:*

Partitio philosophię optima quæ?

TYPUS, QUO OSTENDITUR, QUOMODO partitio philosophiæ conveniat cum hexilogia, itemq; cum objecto, circa quod occupatur, cum subjecto, quod informat, & fine, cujus gratiâ proponitur

OBJECTUM.	SUBJECTUM.	FINIS.	TECHNOLOGIA.	HEXILOGIA.
Omne θεωρητὸν, quod cadit sub contemplationem.	*Intellectus theoreticus, seu speculativus.*	*Θεωρία, id est, contemplatio.*	*1 Metaphysica.*	*Sapientia 1.*
			2 Physica generalis.	*Scientia 11.*
			3 Pneumatologia.	
			4 Somatologia.	
			5 Mathematica generalis.	
			6 Arithmetica.	
			7 Geometria.	
			8 Cosmographia.	
			9 Astronomia.	
			10 Geographia.	
			11 Optica.	
			12 Musica. quarũ praxis est Architectonica.	
Omne πρακτὸν, quod aptum natum est πράττεσθαι.	*Intellectus practicus & voluntas.*	*Πρᾶξις, id est, Actio boni.*	*13 Ethica.*	*Prudentia 5.*
			14 OEconomica.	
			15 Politica.	
			16 Scholastica.	
			17 Historica.	
Omne ποιητὸν, quod πέφυκε ποιεῖσθαι.	*Intellectus ποιητικός.*	*Ποίησις, id est, Factio.*	*18 Mnemonica.*	*Artes 7.*
			19 Lexica.	
			20 Grammatica.	
			21 Rhetorica.	
			22 Logica.	
			23 Oratoria.	
			24 Poëtica.	

Summa: disciplinæ 24.


Sunt igitur in universum disciplinæ philosophicæ numero XXIV. *quibus si adjeceris quatuor præcognita philosophica, theatrum philosophicum* XXVIII. *partib. constabit. Tota hæc philosophiæ compages triennii decursu facilimè juxtà & felicißimè in publica schola absolvi potest: si primo anno artes proponantur, secundo, Mathematica, Physica & Metaphysica, tertio Philosophia practica. Aliter tamen Jesuitæ distribuunt cursum philosophicum, aliter etiam* Kecker. *qui in* præfat. præcog. philos. *sic scribit:* Nunc id addo, me de voluntate ac decreto inclyti magistratus in gymnasio patrio philosophiam sic docere, ut tota triẽnii decursu absolvatur. Itaq; primo hoc anno Logicam & Physicam tracto; secundo Metaphysicam & Mathematicam; tertio philosophiam practicam, i. e. Ethicam, OEconomicam, & Politicam, Deo nobis gratiam suam largiente explicaturus.

Cursus philosophicus quàm citò possit absolvi.

X. Physica & Mathematica generales non debent numerari in præcognitis, vel Physicis, vel Mathematicis. *Ratio: quia præcognita Physica, ut & Mathematica, debent tractare de natura & studio Physices & Matheseωs. In Physica autem generali, ut & generali Mathematica, nõ agitur de natura & studio Physices & Matheseωs: sed explicantur proprietates rerum, quæ in Physiologia & Mathesi specialib. occurrunt. v. g. in Physica communi omniũ creaturarũ proprietates, in Mathematica cõmuni quantitatis communes affectiones percensentur. De Cosmographia idem esto judicium. Nam Uranoscopia & Geographia agunt de circulis. Accuratio methodi igitur exigit, ut circulorum generalis theoria, aliaq́ generalia in Cosmographia proponantur.*

Scientiæ mediæ quæ ſint?

XI. Medias ſcientias dicimus, quæ mediæ ſunt inter naturales & mathematicas, *ſecuti* Savonarolam: qui l.1. de ſcient. *vocat itidem medias. Nam quantum ad modum, ſunt Mathematicæ; quia Mathematicorum principiis, maximis, & demonſtrationib. utuntur: quantum verò ad objectum, ſunt naturales; quia circa res naturales verſantur. Ita tamen hæ diſciplinæ ſunt mediæ, ut magis ſint Mathematicæ: quippe, quæ media & principia Mathematica habent. Vnde modus conſiderandi ex ejuſmodi demonſtratione ortus, eſt Mathematicus. Sic rectè docemus ex & cum Ariſtotele. Errat itaq; Thomas, qui eas magis Phyſicas eſſe dicit, deceptus illo Ariſtotelis non rectè intellecto, Mathematicæ mediæ ſunt magis Phyſicæ. Hoc enim philoſophus aſſerit reſpectu ad puras. Itaq; alii malunt hanc obſervare methodum.*



Scholaſtica qualis diſciplina?

XII. Scholaſtica datur: quia Scholæ dantur. *Sicut enim ſequitur: Politiæ dantur. Ergo politica datur. OEconomiæ ſunt. Ergo œconomica eſt: ita etiam ſequitur: Scholæ ſunt. Ergo ſcholaſtica datur.*

XIII. Phyſiognomia non eſt diſciplina philoſophica, ſed eſt pars Medicinæ.

XIV. Hiſtorica eſt prudentia de methodo hiſtoriæ. *Eſt igitur peculiaris diſciplina. Eapropter*

non

non audiendi illi, qui historicam planè eliminant è choragio philosophico, his ducti, vel potiùs seducti, ratiunculis. 1. Omnis disciplina constituitur è definitionibus & divisionibus. Historia verò est rerũ gestarum narratio secundùm personarum, locorum & temporum circumstantias. Keck.l.1.præcog.philos.c.2. *Resp. Confunditur historia cum historica. Historica est methodus historiæ, docens quomodo scribendæ, quomodoq́ legendæ sint historiæ. Tradit igitur certos canones. 2. Obj. Omnes disciplinæ habent suas historias. Itaq; historia ab iis non est divellenda. Exempla enim debent esse ejus disciplinæ propria, cujus sunt regulæ. Cùm igitur regulæ, ad quas historiæ applicantur, sint Metaphysicæ, Mathematicæ, Physicæ, Grãmaticæ, & maximam partem practicæ, utiq; ad singulas disciplinas referri debent. 3. Obj. Historia non est propria philosophiæ: quũ historiæ etiam sint Ecclesiasticæ. Hæc sunt argumenta* Keckermanni d.l. *Sed confundit iterum historiã cum historica. Quâ distinctione stante, responderi potest ad argumentum Quintiliani, Fonsecæ, & aliorum, qui historicam & poëticam referunt ad Grammaticã, vel Rhetoricam. Rationem afferunt pro posteriori sententia: quia historia, & poësis quendam sibi proprium ornatum habent, & ad movendos suo modo affectus comparatæ sunt.* Fonsec.l.2.Met. c.3.q.2.s.5. *Sicuti Jesuita confundit historiã cum historica, ita & poësin cum poëtica. Sicut historia est objectũ historices: ita & poësis poëtices. Majorem autem errorem er. avit* Zabar. qui l.2. de nat.Log.c.?4. *disertè ait: Historica ars nõ datur. Fonseca cõcedit dari: sed reducit ad Rhetoricã. Alii historicam referũt ad Logicam. Sed hi non observant discrimen inter artem*

Historica differt ab historia.

Poësis & Poëtica differunt.

& prudentiam. Hiſtorica eſt prudentia: Logica eſt ars, item Grammatica & Rhetorica. Duabus hisce diſtinctionib. probè adnotatis, facile erit reſpondere ad ea, quæ Zabarella dicto libro disputat de Rhetorica & Poëtica, quas conſtituit Logicæ partes.

Ars Mnemonica datur.

XV. Ars Mnemonica datur: quia memoria datur. *Inventæ ſunt artes, ut facultates hominis corrigant & dirigant. Sicuti ergo Logica intellectũ informat, Grammatica & Rhetorica ſermonem: ita eſſe debet ars, quæ ſit correctrix & directrix memoriæ. Ais: Logica eſt ars memoriæ. Ajo: unica ars unicum habet objectum primariũ & adæquatũ. Logica eſt ars una. Unum igitur habet objectum, quod eſt intellectus. Memoria ejusdem eſt objectum, nempe ſecundarium. Itaq; quod in una arte eſt objectum ſecundarium, in alia debet eſſe primarium. Ais porrò: Rhetorica tractat de arte memoriali. Memoria enim Rhetoricæ pars eſt. Ajo: Rhetorica tantùm de ornatu dictionis agit: non autem de memoria, niſi quatenus ea oratori eſt neceſſaria. Mitto authoritatem Kecker. qui multis in locis probat, eſſe artem memorialem ab aliis diſtinctam.*

Objectum Logicæ duplex.

XVI. Lexica debet tractare de ſignificationibus vocum. *Conſcribuntur Dictionaria, Lexica, Onomaſtica, & alia hujus notæ. Eſſe igitur debet ars, quæ de fabrica & uſu iſtorum præcipiat.*

Lexica qualis diſciplina.

XVII. Oratoria differt à Rhetorica. *Hoc theorema ſic explicatur à* Scaligero, *ſubtilitatum illo magiſtro*, ex. 1. ſ. 3. Ne Rhetorica quidẽ cum Oratoria eadem eſt. Quippe ars Rhetorica orationi ornatum apponit atq; vim ad perſuadendum. Oratoria eſt facultas utens illius inſtrumẽtis. Oratoria eſt Politiæ pars. Rhetorica

Oratoria differt à Rhetorica.

verò

verò λογικῆς, cujus tertia portio Grammatica est. *Sic Scaliger; cujus sententiam probamus, exceptis his verbis: Oratoria est Politiæ pars. Hæc verba obelisco critico configenda sunt. Etenim Oratoria est ars: politica, prudentia. Illa ποίησιν, hæc πρᾶξιν sibi habet propositam. Non infitemur, oratoriam cum historica & politica maximam habere adfinitatem: sed Politiæ partem haut constituimus. Ais: Cicero secutus Aristotelem non distinguit inter Rhetoricam & Oratoriam. Omnes item Græci unico utuntur ῥητορικῆς nomine. Ajo: methodum acroamaticã technologiæ non pendêre à philosophorum placitis, sed rationũ momentis. Non sperno Ciceronis, & aliorum authoritatem: sed rationem authoritati antefero. Quid? Poëtica est peculiaris ars, ut exemplo comprobavit* Illustrissimus Hessorum Landgravius Mauritius, *qui edidit Poëticã, immortali laude dignissimam. Si ergo Poëtica est ars, quæ instrumentis Grammaticis, Rhetoricis, & Logicis utitur in oratione ligata: utiq; etiam Oratoria erit ars, quæ iisdem instrumentis uti debet in oratione soluta & formanda & habenda.*

Poëtica est peculiaris ars.

XVIII. Is doctrinæ ordo in partibus philosophiæ tenendus est, ut primo loco detur opera Dialecticæ. 2. Mathematicis. 3. Physicis. 4. Metaphysicæ. 5. Moralibus disciplinis. Confer Thomam in 6. Ethic. c. 8. sect. 7. & Fons. in 2. Met. c. 3. q. 5. s. ult. *Pro meliori hujus theorematis explicatione tene sequentes conclusiones.* 1. Physica & Mathematica scientiæ sunt priores Metaphysicâ ordine inventionis. *Ratio: Eæ res quas tradit Metaphysicus, etsi consideratione expertes sunt materiæ, tamen reipsâ partim materiales, partim*

Ordo doctrinæ quis observandus in discenda philosophia.

Metaphysica est postrema ordine inventionis.

immateriales sunt, quæ rebus materialibus & immaterialib. sunt communes; cujusmodi sunt substantia, ens, & cætera omnia prædicata: quæ nonnisi per abstractionem à rebus materialib. & sensibilibus cognosci à nobis possunt. Quæ enim primò se nobis offerunt, sensibilia sunt; ex quibus ea, quæ non sentiuntur, colligi debent. Eodem modo cùm nobis primò sint obviæ res compositæ; nullo modo simplices, nisi compositarum adminiculo, intelligere possumus. Res autem purè Metaphysicæ simplices sunt. Adhæc res, quæ sub hanc sapientiam cadunt, sunt maximè universales, aut in causando, aut in prædicando. Utrumq; autem universaliū genus est cognitu difficilimū. At quæ sunt cognitu difficilima, sunt ultima inventionis ordine. 2. Assertio.

Metaphysica est omnium prima ordine exquisitæ doctrinæ.

Metaphysica est prior Physicâ, & Mathematicis ordine exquisitę doctrinæ. *Ratio est: quia tum demum servatur ordo exquisitæ doctrinæ, cùm proceditur à primis principiis & causis rerū ad principiata & causata, & à magis universalib. ad minùs universalia. Hoc autem modo progredietur is, qui à reb. quæ traduntur in Metaphysica, ad eas, quæ tractantur in cæteris scientiis, descenderit. Hinc colligere est, neminē posse scientiam ullam perfectè assequi sine prima philosophia.* Eusebius Cæsariensis, l. 11. de pręparatione Evangelica. *3. Assertio.* Absolutè ac simpliciter Physica & Mathematicæ ordine doctrinę priores sunt Metaphysicâ. *Ratio: quia eæ scientiæ sunt absolutè & simpliciter priores, doctrinæ ordine, quæ agunt de iis, quæ absolutè & simpliciter nobis sunt notiora. At Physica, & Mathematicæ agunt de hujusmodi entibus: quū ea, in quibus versantur, sint effecta & principiata respectu eorum, de quib. agit Metaphysica. Et verò ordo doctrinæ est, quando ab iis progredi-*

mur, quorum cognitio ad ſequentium cognitionem requiritur. Fonſ. l. 7. Dial. inſt. c. 39. q. 2. ſ. 2. *Simpliciter autẽ, & abſolutè cognitio naturaliũ requiritur ad cognitionem transnaturaliũ, cùm hæc ex naturalibus eſſe probentur. Mathematica verò magis ad transnaturaliũ, quàm hæc ad illorum cognitionẽ adſumuntur. Atq; hæc omnium cõmunis eſt ſententia: quam ut intelligas, pervelim te obſervare diſtinctionẽ ordinis doctrinæ. Nam ordo doctrinæ à philoſophis diſtinguitur in ordinẽ inventionis, abſolutæ prioritatis ſeu melioris doctrinæ, & accuratæ diſciplinæ. Metaphyſica eſt hoc poſtremo modo prima doctrinæ ordine, non aũt abſolutè & ſimpliciter doctrinæ ordine prima eſt. 4. Aſſertio.* Phyſica eſt prior Mathematicis, exquiſito doctrinæ ordine. *Rat. quia entia Mathematica pẽdent in ſuo eſſe à reb. naturalib. in quibus exiſtunt. At unaquæq; res per ea perfectè intelligitur, à quib. pendet in ſuo eſſe.* Ariſt. 6. Met. c. 1. tex. 2. *Deinde, quia quantitas eſt primũ accidens ſubſtantiæ corporeæ. Accidens aũt non intelligitur perfectè, niſi per ſubſtantiã. Atqui ſubſtãtia corporea, etſi à Metaphyſico etiã explicatur, eſt tamen magis Phyſici, quàm Metaphyſici. Poſtremò, quia ordo accuratæ doctrinæ cõſentaneus eſt ordini naturæ. At naturæ ordine Phyſica præcedit Mathematicas. Sublato enim pronunciato illo,* continuũ eſſe diviſibile in infinitũ, *quod Phyſicus demonſtrat, corruit Geometria, quæ ubiq; ſupponit, à quolibet puncto in quẽlibet licere lineã ducere. Corruit etiã Arithmetica, quatenus ei ſubjectus eſt numerus materialiũ. Neq; .n. quantitas eſſet continua, niſi in ſemper diviſibilia divideretur. Sublatâ autẽ quantitate continuâ nullus eſſet numerus rer. material. 5. Aſſertio.* Mathematicę ſciẽ-ię ſimpliciter & abſolutè priores ſunt doctrinę

Ordo doctrinæ triplex eſt.

Phyſica præcedunt Mathematica.

Mathematica diſcenda ante Phyſica.

ordine philoſophiâ naturali. *Ratio: quia Mathematicæ ſcientiæ brevi experientiâ & penè nullâ indigent; Phyſicæ autem longâ admodum.* Ariſt.6. Eth. c.8. *Deinde, quia ſcientiæ Mathematicæ exercent, ac diſponunt intellectũ ad res naturales capiendas.* Simplicius in præf. comment. in libros Phyſicorũ. *Tertiò: quia multò plura ſupponit Phyſica ex Mathematicis, quàm hæ ex illa, quod ex editis libris utriusq; philoſophiæ perſpicuum eſt: modò Mathematicarum nomine intelligas purè Mathematicas. Accedit uſus antiquorum, qui ante Phyſicam, imò etiam ante Logicam, Mathematicas tradebant.* Fonſec. in 2. Metaph. c.3. q.5. ſ. ult.

Probatur, Dialecticā eſſe partem philoſophiæ, 1. Ex nominis etymologia.

XIX. Logica ſive Dialectica eſt pars philoſophiæ, & inſtrumentum, *diverſo reſpectu. Idem judicium eſto de reliquis artibus. Eſt pars philoſophiæ. Rationes hæ ſunt:* 1. Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ, *& cognitionis cauſarum. Hoc autem competit in Logicã æquè atq; in theoreticas & practicas, quæ in partib. philoſophiæ numerantur.* 2. Sola Dialectica docet philoſophari, *quod eſt ex effectis cognitis ignotas cauſas inveſtigare.* 3. Veteres philoſophi *in multos inciderunt errores, propter ignorantiam artis Dialecticæ.* Ariſt. 1. Phyſ. c.2. tex.10. & c.3. tex.22. *Quod ſi ita eſt, dicendum eſt, vel artem diſſerendi eſſe philoſophiæ partem, id quod volumus; vel certè ne totã quidem philoſophiam ſatis eſſe, ut ſuorum erroribus & morbis, nõ quibusvis, ſed præcipuæ partis humanæ naturæ medeatur: ſed opus eſſe ei externo auxilio ejus artis, quæ in partibus philoſophiæ non numeratur, quod dici nullo modo poteſt.* 4. Cùm prudentiæ, *ſeu diſciplinæ morales, quæ dirigunt actus voluntatis, & appe-*

2. Ex ipſa philoſophandi ratione.

3. Ex veterum erroribus.

4. Ex comparatione cum aliis philoſophiæ partibus.

& appetitus sensitivi, habeantur in partibus philosophiæ: non minori ratione ponenda est inter partes philosophiæ Dialectica, quæ dirigit actus rationis, ex quorum rectitudine pendet rectitudo actuum voluntatis, & appetitus sensitivi. 5. Veteres distribuerunt *Philosophiam in Naturalem, Moralem, & Logicam: quam dividendi rationem secuti sunt Academici, &* Arist. 1. Topic. c. 12. *ubi recenset tria quæstionum genera, videl. quæstiones naturales, morales, ac Logicas. Stoïci quoq; eodem modo philosophiam partiuntur, ut latè refert Diogenes Laërtius in vitâ Zenonis; hoc insuper addentes, totam philosophiam esse quoddam quasi animal, cujus ossibus similis sit Logica, carnibus Ethica, animæ Physica: aut esse veluti urbem optimè administratam, in quâ Logica vicem murorum subeat, Physica civium, Ethica optimarum legum. Eandem distributionem sequitur* Cicero de Orat. ad Q. Fratrem. Omnis, *inquit*, philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atq; mores. *Illud tamen animadvertendum est hoc loco, etsi omnes disciplinæ à nobis traditæ, nomine partium philosophiæ censendæ sunt: tamen interdum quædã non ita digna hoc nomine habentur, ob quinq; causas: Vel quia de rebus facilioribus aut minoris momenti agunt: vel quia non sunt ipsâ veritatis cognitione contentæ: vel quia non vidẽtur pertinere ad benè beateq; vivendum: vel quia non agunt de rebus per se subsistentibus: vel quia non tradunt prima omnino principia rerum, de quibus agunt. Propter primam causam sæpè Mathematicæ scientiæ non numerantur in partibus philosophiæ.* Arist. 4. Metaph.

5. Ex distributione philosophiæ veterum.


Tria quæstionum genera.

Quare quædam philosophiæ partes interdum hoc nomine non appellentur.

c.2. & Plato 7. de Repub. & Cicero 1. de Orat. Alexander initio commentariorum in 1. Analyt. *Propter secundam, nonnunquam solæ contemplativæ disciplinæ nomine philosophiæ habentur dignæ.* Arist. 1. Metaph. c. 1. *Propter tertiam, interdum solæ practicæ morales philosophiæ vocabulo significantur.* Plato de philosophiâ. *Propter quartam, sæpe solæ physicæ scientiæ habentur pro partibus philosophiæ.* Arist. 4. Metaph. c. 2. tex. 4. *Propter quintã, non rarò tribuitur philosophiæ appellatio soli primæ philosophiæ,* Arist. 4. Metaph. c. 2. & c. 3. tex. 7. & 8. *Cùm igitur his, & aliis de causis, pleræq; disciplinæ, quæ in partibus philosophiæ jure censentur, ab earum numero excludantur, nil mirum videre debet, si Dialectica à quibusdam excludatur à partium philosophiæ numero. Patet igitur, quomodo Logica sit pars philosophiæ. Sed eadem est philosophiæ instrumentum: quemadmodum* nihil absurdi est (*ut inquit* Boëtius initio 2. Edit. in Porphyr) si dicas manum fabri esse simul, & fabri partem, & instrumentũ. *Nam manus est instrumentum* ἐνυπόστατον, *non* ἀνυπόστατον, *i.e. conjunctum, non sejunctum. At urget* Philoponus in 1. Prior. cap. 1. *non esse aptam similitudinem:* quia manus, *inquit*, non est pars ejus, cujus est instrumentum. Est enim pars corporis, instrumentum autem non corporis, sed animæ. *Verùm hæc refutatio nulla est. Manus enim, etsi relata ad solum corpus, vel ad solam animam, non est ejusdem pars & instrumentum: relata tamen ad fabrum, tùm pars ejus est, tùm instrumentum. Utitur enim faber manu, ut parte suâ, conjunctoq; instrumento, ac naturali. Et* Arist. 3. de anim. c. 8. tex. 38. vocat

Logica est instrumentum philosophiæ.

vocat *manum non modò instrumentum, sed etiam instrumentum instrumentorum. Logica similiter est pars & instrumentum philosophiæ. Nam & ars est, & modum sciendi cæteris disciplinis tradit.* Fonseca 2. Metaph.c.3.q.4.s.3. *Non tamen Dialectica est scientia ex Fonsecæ d.l. sententiâ, sed ars. Hîc dissentimus à* Keckerm.qui l.1.præcog. philos. c.2. & 3. *multis probat, Logicam non esse philosophiæ partem.*



Cap. 15. De proprietatibus disciplinarum.

EXpedivimus disciplinarum philosophicarum distinctionem: expediemus nunc paucis earundem proprietates.

Proprietates illarum sunt leges constituendi & examinandi disciplinas philosophicas. *Hujusmodi enim leges nihil aliud sunt, quàm conditiones essentiales in artibus constituendis requisitæ.* Timpler.technol.c.2.theor.1. — Proprietates disciplinarum.

Leges istæ sunt vel omnibus disciplinis communes, vel certarum propriæ.

Illarum legum aliæ sunt principales, aliæ minùs principales.

Principales, aliæ sunt primæ, aliæ secundæ (classis.

Primæ classis sunt, quæ concernunt finem, & subjectum disciplinarum.

De fine cujusq; disciplinæ hæ sunt leges.

I. Quælibet disciplina certum, proprium, & adæquatum finem habeat. — Quælibet disciplina habet finem.

Debet habere finem: *quia nulla disciplina temerè & frustrà fuit inventa, sed omnis alicujus boni*

gratiâ fuit constituta. Debet autem habere finem proprium. *Sicuti enim quælibet disciplina propriam habet essentiam: ita & proprium finem.* *Generalis disciplinarum finis est, perficere hominem. Præter generalem istum finem quælibet disciplina habet proprium. Nam quælibet disciplina propriam & peculiarem perfectionem certo ac determinato alicui defectui naturæ oppositam respicit, & ad eam consequendam etiam media propria & pecularia tradit, quæ in aliis artibus non docentur, neq; doceri debent, nisi turpiter violare* ὁμογενείας *legem aliquis velit. Debet deniq; quælibet disciplina habere finem* adæquatum, *qui sit ei commensuratus, eáq; nec latior, nec angustior. Si enim latior sit, non est disciplinæ proprius: si angustior, non possunt ad eum omnia referri, quæ in disciplinâ traduntur.*

Generalis disciplinarũ finis.

II. Finis ille debet esse certa aliqua hominis perfectio, quæ à disciplinâ certò præstari possit, ad explendum in eo naturæ defectum. Itemq; relatio aliqua ad Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam. *Finis cujusq; disciplinæ semper præstari potest: 1. ratione intentionis, non aũt semper ratione executionis. 2. quatenus quælibet disciplina sufficientia media tradit ad finẽ acquirendum: tametsi propter mediorum vel abusum, vel neglectum, vel aliam causam externam corrumpentem & impedientem non semper ab eo, qui disciplinam didicit, finis ille actu obtineatur. 3. Si disciplinæ sint* ἀκριβεῖς, accuratæ, *non autem* στοχαστικαὶ, conjecturales, *à quibus finis non semper præstatur. Ita ab arte medicâ non semper præstatur sanitas, nec ab Oratoriâ persuasio.*

Finis cujusq; disciplinæ est practicabilis, ut loquuntur.

Disciplinæ sunt ἀκριβεῖς. vel στοχαστικαὶ.

III. Quæ-

III. Quælibet diſciplina ſufficienter tradat media ad finem conſequendum utilia & neceſſaria. *Niſi quis media adhibeat, nunquam aſſequetur finem. Itaq; non ſatis eſt, ſi diſciplina præmonſtret finem. Debet inſuper monſtrare media.*

De ſubjecto cujusq; diſciplinæ hæ ſunt leges.

I. Quælibet diſciplina habeat certum, proprium, & adæquatum ſubjectum, in quo explicando occupetur. *Philoſophi objectum faciunt triplex, videlicet informationis, tractationis ſeu doctrinæ, & uſus. Nos hoc in loco intelligimus objectum doctrinale.* Quælibet diſciplina habet objectum.

II. Subjectum cujusq; diſciplinæ ſit determinatum aliquod ſcibile, cujus cognitio homini ſit utilis & neceſſaria.

Ratio legis eſt: quia differentia ſpecifica cujusq; diſciplinæ non tantùm ſumitur ex ejus fine, ſed etiam ex ſubjecto, quod toti ejus tractationi debet eſſe ſubſtratum, unde & materia ſtrata dicitur. Zabarella l.1.de nat.Logic.c.15.

Leges principales ſecundæ claſſis ſunt partim de materiâ, partim de formâ diſciplinarum.

De materiâ diſciplinarum ſunt tres leges axiomaticæ apud Logicos, videl. κατὰ παντὸς, lex veritatis; καθ' αὑτὸ, lex juſtitiæ; καθ' ὅλου πρῶτον, lex ſapientiæ. Leges materiam diſciplinarum gubernantes.

Tres iſtæ leges in tractatione diſciplinarum acroamaticâ etiam atq; etiam obſervari debent: in exotericâ non ſemper. Methodus ſapientiæ ſubinde temperari debet methodo prudentiæ.

Leges methodicæ.

De formâ disciplinarum tres sunt leges methodicæ, videl. lex generalitatis, colligationis, & homogeniæ.

Leges minùs principales duæ sunt.

Disciplina quæq; est æmula naturæ.

I. Disciplina quæq; sit æmula naturæ.

Hæc est communis omnium rectè philosophantiū opinio, desumta ex illo Arist. *quod est* 2. physic.c.2. *ἡ τέχνη μιμεῖται τὴν φύσιν. Esse namq; debet analogia inter naturam & curam & exercitationem. Non autem debet, imò nec potest, in omnibus æmulari naturam: sed in his:*

1. Ut nihil frustrà faciat, sed omnia certâ ratione, certiq; boni gratiâ. Arist.2.de cœlo.c.11.

2. Ut semper faciat id quod est optimum. Arist. 2.de cœlo.c.5.

3. Ut neq; supervacanea tradat, neq; necessaria omittat. Arist.3.de animâ.c.9.

4. Ut omnia faciat cum certo ordine. Arist.l.1. de animal.part.c.1.& l.8. phys.c.1.

5. Ut à generalibus progrediatur ad specialia. Vide Piccolomin. in fine oper. moral. & Timpl. technol.c.2.q.ult.

Disciplina est dux certior quàm natura.

II. Disciplina quæq; sit dux certior quàm natura.

Ars enim debet idem aliquod opus facere, quod natura, sed perfectiori quodam modo.

Tales sunt leges omnibus disciplinis communes: sequuntur propriæ: eæq; vel theoreticarum, vel practicarum.

Propriæ leges theoreticarum disciplinarum sunt hæ.

Leges theo-

I. Disciplinæ theoreticæ tradi debent methodo

thodo synthetica, quæ jubet considerare subjectum, communes affectiones, & principia. *Ita tenet universa Peripateticorum schola.*

reticarum disciplinatur.

Methodus synthetica.

II. In disciplinis theoreticis locum habet subalternatio duplex; ea quæ fit ratione principiorum, & ea quæ fit ratione subjecti.

Subalternatio theoretica duplex.

Ratione principiorum ea disciplina dicitur subalternata alteri, cujus principia in illâ demonstrantur: *sive id fiat ostensivè, sive deductione ad impossibile. Ostensivè quidem eo modo quo Medicina & Geometria subalternantur Physicæ. Medicina quidem totali subalternatione, quòd omnia ejus principia in Physicâ possint directè ostendi; Geometria verò subalternatione partiali, ratione illius principii:* A quovis puncto in quodvis punctum licet lineam ducere: *quod demonstratur ostensivè in scientiâ naturali. Deductione autem ad impossibile, eo modo, quo eadem Geometria subalternatur Arithmeticæ: ut cùm Mathematici probant,* diametrum quadrati non esse commensurabilem lateri: *quia alioqui sequeretur, unitatem esse commensurabilem numero, hoc est, habere cum numero communem mensuram. In hoc igitur subalternationis genere duplex est modus; & prior quidem est proprius, posterior improprius. Proprius, quando subalternans ostensivè & à priori demonstrat principia subalternatæ; quo pacto Medicina subalternatur Physicæ. Improprius est, quando per deductionem ad impossibile principia unius scientiæ possunt demonstrari per principia disparatæ scientiæ: quo pacto quædam principia Geometriæ demonstrari possunt per principia Arithmeticæ: quòd sequatur, neganda esse hæc, quæ notiora sunt, si illa negentur.*

Subalternatio ratione principiorũ.

Demonstratio duplex.

Subalternatio Totalis & Partialis.

Subalternatio ratione ſubjecti.

Ratione ſubjecti ea ſcientia ſubalternatur alteri, cujus ſubjectũ ſub illius ſubjecto continetur: *id quod fit duobus modis. Aut enim ſubjectum ſubalternantis contrahitur ad ſubjectum ſubalternatæ per differentiam aliquam per accidens, quo pacto Muſica ſubalternatur Arithmeticæ, quòd ſubjectum illius ſit numerus ſonorus; hujus autem, numerus ſimpliciter: Aut contrahitur per differentiam per ſe; quo pacto Phyſica ſpecialis ſubalternatur generali. Nam ſcientia de rebus naturalibus ſecundùm ſpeciem, ſubalternatur ei, quæ agit de ente naturali in communi: quâ ratione libri Ariſtotelis de cœlo, & qui ſequuntur in phyſicâ, dici ſolent ſubalternari libris de phyſicâ auſcultatione. Prior modus eſt proprius; quia ibi ſubjectum ſubalternantis contrahitur per differentiam per accidens. Differentia enim per ſe adjuncta generi, quod dividit, ac contrahit, efficit ſpeciem. At ſpecies eſt idipſum quod genus: ut homo id ipſum quod animal. Ita tamen ſpecies eſt idipſum quod genus, ut ſit etiam aliquid amplius quàm genus. Plus enim eſt in ſpecie, quàm in genere. Compoſitum autem per accidens, non eſt idipſum quod altera pars, veluti numerus ſonorus idipſum quod numerus, aut idipſum quod ſonorum; ut meritò ejuſmodi differentia aliud ſcientiæ ſubjectum conſtituere cenſeatur.* Fonſeca in 4. Metaph. c. 1. q. 1. *Atq; hoc ſubalternationis genus efficit ſcientiam ſimpliciter ſubalternatam: reliqua efficiunt ſcientiam ſecundùm quid ſubalternatam: quia reperiri poſſunt in partibus unius omnino ſcientiæ. Nam paſſim videmus, concluſiones unius partis ſumi, ut principia oſtenſiva in aliis partibus. At cùm adjungitur differentia per accidens,*

cidens, quæ pertinet ad aliam ſcientiam, ſemper ſcientia, quæ de eo compoſito agit, cenſetur alia ab iis, quæ agunt de ſingulis partibus. Rectè igitur monet Zabarella de tribus præcognitis cap.12. *ſubalternationem* κυριολέκτως, *id eſt*, propriè dictam, *dari in ſcientiis Mathematicis: ubi ſcientia ſubalternata à ſubalternante accipit & ſubjectum, & principia, & affectiones. Nam ſubalternata aliqua ſcientia alteri ſcientiæ eſſe dicitur, quando idem ſubjectum, quod in ſuperiori ſubalternante abjunctum à materiâ & omni ſenſili qualitate conſideratur, ipſa cum certæ materiei & ſenſilis qualitatis additione contemplatur: ut, Arithmetica de numero tractat, nullam ſenſilem habente qualitatem, abſtractè, quatenus eſt* νοητόν τι: *Muſica verò in eodem verſatur, quatenus conſideratur cum ſono, ſenſili qualitate, i.e. concretè, quatenus eſt* αἰσθητόν τι. *Itaq; Muſicus ex Arithmeticâ accipit ſubjectum, principia, & affectiones. Non igitur omnes diſciplinæ ſubalternantur primæ philoſophiæ.* Subalternatio propriiſſima datur in Matheſi. Muſica ſubalternatur Arithmeticæ.

Leges propriæ practicarum ſunt generales, & ſpeciales.

Lex generalis practicarum eſt, quæ communiter attinet prudentias, & artes, eſtque talis: Leges diſciplinarum practicarũ.

Diſciplinæ practicæ tradi debent methodo analyticâ, in quâ oportet conſiderare finem, ſubjectum, & media. *Ita tenent omnes Peripatetici.* Methodus analytica.

Speciales leges ſunt vel de prudentiis, vel de artibus. *Illas ſuprà ſimpliciter practicas, has poëticas appellavimus.*

Lex de prudentiis hæc eſt:

In prudentiis datur ſubalternatio ratione finis.

Triplicem philoſophi faciunt ſub alternationem - Subalternatio ratione finis.

Triplicem philoſophi emunctioris naris faciunt ſubalternationem; ratione principiorum, ratione ſubjecti, & ratione finis. *Illa & iſta ſunt in theoreticis diſciplinis, ut paulò antè indicavimus: hæc eſt in practicis ſeu moralibus. Ac ratione quidem finis, ea diſciplina dicitur alteri ſubalternata, cujus finis eſt ſub fine illius; ſive ea, quæ agit de ſuperiori fine, habeat imperium in inferiorem, eiq; præcipiat, ut in agendo ad ſuperiorem finem ſe accommodet, quo pacto militaris ſubalterna eſt Politicæ, ſive nullum habeat imperium in inferiorem, ſed ſolùm contemplativè agat de ſuperiori fine, quo pacto Ethica ſubalternatur Phyſicæ. Agit enim Phyſica contemplativè tantùm de optimâ hominis operatione, quæ eſt perfecta operatio partis intellectivæ: moralis autem philoſophia docet, quid cuiq; agendum ſit, ut perfectè, h. e. benè beateq; vivat. Prior ſubalternationis modus eſt proprius, quando ſcilicet ſcientia ſubalternans dirigit practicè ſubalternatam, eiq; præcipit, ut ad ſuperiorem finem actiones ſuas dirigat. Poſterior modus eſt improprius. Nam ſi contemplativè tantùm agat de fine ſuperiori, impropriè dicetur ſubalternare ſibi eam, quæ agit de inferiori: quo pacto Phyſica impropriè ſibi ſubalternat Ethicam hoc ſubalternationis genere; licet in alio genere propriè ſubalternans dici poſſit, ut ſuprà diximus. Vide* Fonſecam in 4. Metaph. c. 1. q. 2. ſ. 2.

Lex de artium conſtitutione talis eſt: Artes ſunt inſtrumentariæ.

Proinde

Proinde explicare debent ſuorum inſtrumentorum & fabricam ſive naturam & uſum. *Inſtrumenti vis tota conſiſtit in actione, ait Logicus. Non igitur ſatis eſt, in artibus inſtrumentorum naturam & architecturam explicare; oportet inſuper eorundem uſum adjicere. Ita Rhetorica non tantùm inſtrumenta ſua, tropos & figuras, explicabit ratione architecturæ, ſed etiam applicare docebit ratione uſus.*

Peroratio Technologiæ.

Concludam nunc Technologiam meam, indicatione uſus, qui inde ad ſtudioſos redire poteſt, precum item & typi adjectione. Peroratio Technologiæ.

Utilitas è technologia ad vos redibit, ô ſtudioſi, permagna. Etenim diſcetis *differentias & proprietates diſciplinarum*: videbitis, *quâ methodo proponi & diſci debeant*: videbitis, *quot ſint numero diſciplinæ, & quænam ex iis vobis diſcendæ ſint*: cognoſcetis *demq; ad quam quidq; diſciplinam referre poßitis, & quomodo unam eandemq; rem per varias diſciplinas deducere liceat, id quod philoſophi vocant* ſigillum technologiæ, ſive encyclopædiæ. *v.g. dicturus de pane, eum conſiderabit Metaphyſicè, Phyſicè, OEconomicè, aliisq; modis. Preces adjicito mecum, quicunque cupis hanc technologiam, vel quasdam ſaltem ejus partes percurrere: Domine Deus, pater cœleſtis, ago tibi gratias, cùm pro aliis tuis ſummis & infinitis beneficiis, tùm vel maximè, quòd gratiſsimam de tuâ ſapientiâ, bonitate, & potentiâ famam in artibus ſparſiſti. Rogo te, clementiſsime Pater, doce me, quæ neſcio, præ-*


Utilitas technologiæ.
1.
2.
3.
4.
Sigillum technologiæ quod ſit?
Preces è Fulgentio.

veniente & subsequente misericordiâ, quæcunq; salubriter scienda nescio, doce me; in his quæ vera novi, custodi me; in quibus ut homo fallor, corrige me; in quibus veris titubo, confirma me, & à falsis & noxiis eripe me: benedic valetudini meæ, ut mens sana in corpore sano te reverenter agnoscat, & gloriosissimè prædicet, Amen, Amen.

Superest, ut Technologiam typo quodam adumbrem, adeoq; methodi rationem, &, si assequutus sum, accurationem ob oculos ponam.



TYPUS TECHNOLOGIÆ.





JOH-HENRICI ALSTEDI

CANONICA:

ID EST

PRÆCOGNITORUM PHILOSOPHICORUM

PARS QUARTA ET ULTIMA.


De unicâ & accuratâ ſtudii philoſophici ratione.

Cap. 1. Canonicæ definitio.

TRactavimus naturam Philoſophiæ in tribus præcognitis, archelogiâ nimirum, hexilogiâ, & technologia: nunc de ejusdem ſtudio tractare ordo jubet in quarto philoſophiæ præcognito, quod Canonicam diximus.


Canonica quid? Canonica igitur eſt quartum philoſophiæ præcognitum, de ejus ſtudio: *eodemq; ſenſu Methodica dicitur. Conceſſo hoc, agendum eſſe de ſtudio philoſophiæ generaliter, etiam concedendum eſt, eſſe aliquod præcognitum, quod rationẽ ſtudii philoſophici explicet. Hoc præcognitum quum hactenus nomine caruerit, inſigniendum fuit aliquo conveniente. Tale inter alia nobis viſum fuit hoc, quod uſurpamus, nempe, Canonica. Non ignoro, Logicam à veteribus quibusdam ita eſſe vocatã, itemq; apud Mathematicos eſſe peculiarem Canonicam. Sed hoc loco id nominis aptamus huic præcognito, quod eſt generalis introductio in omnes ſapientias, ſcientias, prudentias, & artes, tradens canones de ſtudii, quod illis impendi debet,*

bet, ratione. Si mavis, appella Methodicam: quia tractat de methodo in disciplinis observandâ. Itaq; aggredior hanc Canonicam methodicè delineare. Sequar autem maximam partem Antonium Possevinum, qui l.1. Biblioth. *agit* de culturâ ingeniorum, item Johannem Houartem, qui scripsit Examen ingeniorum, Jacobum Lainetz, qui edidit tabulam Scholastici, & Emundum Richerium, qui scripsit obstetricem animorum, ut vocat.



Cap. 2. Canonicæ distributio.

CAnonicæ partes tres sunt: prima est de fine, secunda de impedimentis, tertia de mediis studiorum. *Tria prænoscenda sunt iis, qui feliciter discere cupiunt. Etenim omnium primò animo præconcipere debent finem studiorum sive scopũ: deinde removere impedimenta, per quæ stat, quò minùs ad scopum pervenire possint, & deniq; media admovere, quæ ad scopum præstitutum ducunt. Hæc tria in genere hîc delibare conor. Non enim mihi propositum est in specie de hujus, vel illius disciplinæ studio tractare. Qui judicio pollet, facilimè generalia ista ad suum applicare poterit institutum.* Partes Canonicæ. Tria prænoscenda sunt studioso.



Cap. 3. De fine studiorum.

PRima Canonicæ pars est de fine: *cujus tanta est vis*, ut Basilius in libr. quomodo legendi sint ethnici authores, *rectè scriptum reliquerit:* Ut cùm nemo, *inquit*, ex arte laudem consequatur, nisi eâdem artem, in quâ se exercuerit, ad eum ipsum finem perducat: ita hîc Finis studiorum animo concipi debet.

ſi negligatur, cujus gratiâ quidquid cogitamus, molimur, agimus, facienda ſunt, non ſolùm proximè accedimus ad bruta, verùm etiam noſtræ mentes, veluti ſine arte navigia, quibus deſint qui clavum regunt, aut temerè huc illuc omni vento circumferuntur, aut deniq; ſcopulis illiſæ miſerrimè naufragium patiuntur. *Et hæc quidem Baſilius. Verè profectò. Finis enim eſt, ut docet philoſophus, qui mediis conciliat amabilitatem, ordinem, & menſuram. Itaq; ô ſtudioſe ſtudiorum tuorum ſcopum tibi præſtitue, ceu normam & menſuram.*

Finis ſtudiorum remotus.

Finis ſtudiorum eſt remotus, vel proximus.

Remotus eſt tum gloria Dei, tum ſalus hominis.

Gloria Dei eſt finis principalis: ut ille rectè agnoſcatur, & rectè agnitus rectè colatur.

Studioſus igitur gloriam Dei in omnibus actionibus quærat.

Salus hominis eſt ſcopus principali ſubordinatus, felicitas nempe quà æterna, quà temporalis, eaq; tum ſtudioſi ipſius, tum proximi.

In omnibus igitur actionibus ſuis ſtudioſus hoc unicè ſpectet, ut tùm ſuam ipſius, tùm proximi ſalutem promoveat. Ponat igitur ſibi ante oculos illud Bernhardi, quod eſt ſermone 36. ſuper Cantica.

Modus ſciendi è Bernhardo.

Modus ſciendi eſt, *inquit*, ut ſcias, *quo ordine, quo ſtudio, quo fine*, quæq; noſſe oporteat. *Quo ordine?* Ut id priùs, quod maturius ad ſalutem. *Quo ſtudio?* Ut id ardentiùs, quod vehementius

mentius ad amorem. *Quo fine?* Ut non ad inanem gloriam aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ędificationem, vel tui, vel proximi. Sunt enim qui scire volunt, eo fine tantùm, ut sciant; & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis gloriola est: qui profectò non evadent subsannantem Satyricum, & ei, qui hujusmodi est, decantantem:

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est. Et item qui scire volunt, ut ædificentur; & prudentia est. Horum omnium solùm ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Denique intellectus bonis omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei.*

Finis proximus est tum generalis, tum specialis. Finis proximus.

Generalis, uno verbo, est erudita pietas, & pia eruditio.

Generalem dico: quia studiosus cujusq; disciplinæ id sedulò operam dare debet, ut evadat piè doctus, & doctè pius. Nam studia, humanitatis & pietatis vocantur studia. Dum dicuntur studia humanitatis, intelligitur sapientia, prudentia, & eloquentia. Per studia pietatis religio insinuatur. Itaq; studiosus cogitet, ad ista quatuor, religionem scil. sapientiam, pru- Pia eruditio.

Mentes humanæ ad quatuor sunt conditæ.

dentiam, & eloquentiam, conditas esse mentes humanas. Si ergo Deus ista quatuor vult conjungi, non est quòd studiosus divortium faciat. In quavis igitur disciplina videat, quomodo ea ad quatuor ista comparanda possit esse medium idoneum. Logicam si discat, ex illa poterit pervenire ad sapientiam, prudentiam, eloquentiam, & religionem. Nam quælibet disciplina facit ad istorum comparationem, licet una magis quàm altera. Utinam id hodie considerarent & docentes, & discentes in scholis! Putant, philosophiam practicam tantùm formare prudentiam, tantùm informare prudentem. Putant hactenus rectè, quatenus prudentiam ponunt ejus finem adæquatum. Sed & aliæ disciplinæ faciunt ad comparandam prudentiam, quamvis indirectè & oblique, atq; , ut loquuntur, per saltum. Quoties ergo legis præceptū aliquod Ethicum, cogita, quomodo per id possis evadere religiosus, sapiens, prudens, & eloquens. Vis clariùs tibi dicam? Sic habe. Triplex est perfectio, quæ cadit in hominem, quatenus est homo: videl. intellectus, quæ dicitur σύνεσις, cognitio veri: voluntatis, quæ dicitur φρόνησις, actio boni: sermonis, quæ dicitur δύναμις ἑρμηνευτικὴ, eloquentia. Quarta perfectio cadit in hominem Christianum, illuminatione supernaturali, pietas scil. Eapropter in cujuslibet authoris lectione studiosus spectare debet, quomodo quatuor ista bona, quorum duo sunt naturalia, unum morale, & unum spiritale, exinde haurire possit.

Perfectio hominis triplex.

Finis specialis, est certum aliquod vitæ genus, quod studiosus aliquando cum Deo ingredi cupit.

Hujus finis considerantur partes, & communes affectiones.

Partes


Partes desumuntur à numero ordinum vitę humanæ: qui sunt, Ordo Scholasticus, Ecclesiasticus, Politicus seu Juridicus, & Medicus. *Hunc enim ceu OEconomico proximum in OEconomici locum substituimus. Quapropter studiosus cogitet, num philosophiam aliquando in schola docere debeat, vel an eam discat propter superiorem aliquam facultatem, Theologicam putà, Juridicam, vel Medicam. Si illud: Philosophiam manu dextrâ, ceu ἔργον tractabit, & videbit, num in una philosophiæ parte, vel in multis, vel in omnibus debeat excellere, quæ duo posteriora paucis data sunt. Si hoc: philosophiam triennii spatio absolvet, eam tractabit manu lævâ, & præcepta ejus diriget ad eam, cui sese addicere cogitat, facultatem.* Philosophia discitur vel propter se, vel propter aliam facultatem.

Communes affectiones scopi sunt ejus requisita tria. Scopus studiorum debet esse

Debet enim finis iste esse: 1. Accommodatus cujusque temperamento, dispositioni & inclinationi naturali, *ad quem quis feratur, & manu quasi ducatur, non trahatur.* 2. Fixus & stabilis. *Si enim scopus variet, media varia esse oportet, quandoquidem hæc ab illo capiunt mensuram.* 3. Excellens ratione rei ipsius, & propositi. 1. Accommodatus. 2. Fixus. 3. Excellens.

Ratione rei excellens erit, si sit laudabilis.

Ratione propositi excellens erit, si propositum sit vel simplex, vel mixtum. *Illud dicimus, si quis cupiat in uno aliquo studiorum genere excellere; hoc, si quis in multis excellere cupiat: id quod datum est istis duntaxat ingeniis, quæ vocantur heroïca.* Ingenia heroica.



Cap. 4. De impedimentis & hostibus studiorum.

Impedimenta studiorum sunt

DIcta est prima Canonicæ pars, de studiorum fine: sequitur secunda, de impedimentis. *Cur enim deflectunt homines à fine jam dicto? Causas investigemus, ut huic malo remedium fiat. Ut enim Medicus morbi causam cognoscit, antequã remedia adhibeat: ita & panaceæ philosophicæ professor causam mali illius sontici, quod hodie inundat Rempubl. literarum, rimari debet, ut hac ratione tollat, & sublato illo medeatur morbo.*

Numero novem.

Impedimenta sunt numero novem. *Tot enim pestes & communes, ut ita dicam, studiorum, & studiosorum hostes invêni. Invêni autem, tum in aliis, tum in meipso, quippe qui cum omnibus illis (cur enim fateri pudeat?) conflictor hactenus.* Impedimenta illa sic percenseo.

Peccati labes.

I. Peccati labes. *Sicuti enim, quantumcunq; emineat arbor, si vermis in radice lateat, non potest ferre fructus: ita, quantumcunq; homo emineat inter reliquas creaturas, tamen non potest non exarescere, & amarorem per omnes ramos & fructus, perq; ipsa fructuum semina non diffundere. Atq; hîc cœnum admiscent hostes illi nostri infensissimi, Satan & mundus, qui hoc quærunt, ne pulchritudo sapientiæ cernatur & ametur.*

Desidia.

II. Desidia. *Quàm verè dixit, quicumq; dixit:* Nihil agendo, malè agere discimus. *Nam quem Diabolus invenit non occupatum, ipse occupat. Utinam revocaretur lex illa Ægyptiorum, quâ otiosos volebant*

volebant ἀτίμους! Videbant viri ſapientes, otioſos eſſe revera mortuos. Hinc ſenex ille dicebat, ſe tantùm decem annis vixiſſe, quum ageret annum ætatis quinquageſimum. Putabat, & rectè quidem ſe antegreſſis fuiſſe mortuum, quos impenderat luxui & rebus ludicris. Romani etiam uſq; adeò averſati ſunt otium, ut Fortunæ, quam vocabant Vacunam & otioſorum Patronam, nullum in urbe, ſed trans Tiberim, templum erexerint. Volebant exulare Patronam otioſorum, id eſt otium, & cum eo otioſos omneis. Idem facite præſtites ſcholarum, in exilium mittite otium, id à veſtro regno profligate, otioſos proſcribite, & longùm valere jubete. Ita meliùs, credite, habebit veſtra Respublica. Et vos apiculæ in ſcholaſticis alveariis fucos ignavum pecus à veſtris præſepibus arcete.

III. Ταπεινοψυχία, puſillanimitas. *Hæc ſcil. facit, ut ſtudioſus latere malit, malit ſibi intus canere, refugiat συζητήσεις, & honeſtas συμβιβάσεις* Ταπεινοψυχία.

IV. Δοξοσοφία, arrogantia, & inanis eruditionis perſuaſio. *Ea olim multos fefellit, & adhuc quamplurimos fallit. Hinc fit, ut Theologiæ ſtudioſi concionentur, antequam Biblia legerunt; Medicinæ ſtudioſi miſceant opium, antequam apium quid ſit noverunt; Jurisprudentiam excolentes dicant cauſas, antequam Inſtitutiones à primo limine aſpexerunt; Philoſophiæ tyrones diſputent de hacceitate, principio individuationis, materiâ primâ, & ſimilibus, antequam quid ſit ſyllogiſmus, didicerunt. Hoc morbo laborantem cùm videret Alexandrum Magnum Ariſtoteles, acutè admodum & appoſitè dixiſſe fertur:* Deus, ô Alexander, paratus eſſet dare tibi ſapientiam, ſi modò vas haberes, quo illam exci- Δοξοσοφία.

Humilitas est principium eruditionis.

peres. *Humilitas est illud vas. Humilitas enim est principium solidæ eruditionis.* Rectè igitur *Augustinus, rogatus, quænam virtutum primas teneret, respondit, humilitas: quænam secundas, humilitas: quænam tertias, ingeminavit iterum, humilitas. Id Augustini dictum optarem vestibulis scholarum inscriberent præceptores, imò & Museorum suorum, studiosi. Studeat ergo studiosus humilitati. Præterea nemo se aliquid scire statuat, nisi quod alios docere queat.*

Ἀυτομάθεια.

V. Ἀυτομάθεια, privatum duntaxat studium. *Privata studia non damno. Laudo potiùs. Tantum abest, ut vituperem. Sed privata duntaxat studia repudio, & hostes studiorum proclamo. Pauci enim sunt ἀυτοδίδακτοι. Si quidam sunt, id in iis extraordinarium fuisse censendum est. Non igitur est, quòd quis in medium adferat exempla quorundam ἀυτοδιδάκτων, quales fuerunt* Antonius Eremita, Johannes Picus Mirandulanus, Julius Cæsar Scaliger, Budæus, Muretus, Cujacius *& similes.*

Pauci sunt ἀυτοδίδακτοι.

Antonii Eremitæ dictum.

Antonius Eremita tantam rerum naturaliũ assecutus est notitiam, ut etiam gentiles philosophos in sui admirationem rapuerit. Ii quum accederent ipsum, & percunctarentur, quâ ratione tantam sibi acquisivisset scientiam, quum libris destitutus vitam solitariam ageret, hoc responsi acceperunt. Est, ait, mihi unicus liber, videl. mundus hic universus, qui constat tribus paginis, & totidem literis. Tres paginæ sunt tria, quæ Deus creavit, domicilia, cœlum, aqua, terra. Tres literæ sunt totidem incolæ, videlicet stellæ & aves in cœlo, pisces in aqua, creaturæ inanimæ & animatæ in terra. Qua de re legere est in Ecclesiastica *historia, itemq; in ejus vita. Johannes item* Picus *Mirandulanus*

Liber naturæ.

dulanus, quem Naturæ miraculum appellarunt, solâ ingenii bonitate, nullius ferè præceptione, mutorum præceptorum subsidio, ad quæcunque animum appellebat, ea est assecutus, ut narrat ejus fratris filius Joannes Franciscus Mirandulæ princeps, & Concordiæ dominus in ejus vita. De Scaligero, & cæteris, quorum modò meminimus, idem planè refertur. Sed tamen hi omnes penè θεοδίδακτοι *(si ita loqui licet) potiùs dicendi sunt, quos peculiari privilegio Deus edocuit. Taceo ea, quæ Pontificii de suis sanctis* αὐτοδιδάκτοις *partim comminiscuntur, partim referunt: de quibus* Antonius Possevinus l. 1. bibliothec. cap. 11.

VI. Ματαιοτεχνία, rerum vanarum consectatio. *Profectò ita est: magna vitæ nostræ pars labitur, nihil agendo: major, malè agendo: maxima aliud agendo. Tanta scilicet ingenii humani est perversitas, ut rerum vanissimarum studio utplurimùm ducatur, rerum, inquam, non necessariarum, & inutilium. Multos hodie videas, qui imitantur Aristomachum Solensem, qui in natura muscarum indaganda, pulicumque saltibus metiendis sexaginta annos insumsisse fertur. Hujusmodi muscicapitáneos, ut non nemo novè, sed verè, vocat, multos nunc temporis videas, qui ea amant, admirantur, deprædicant, quæ neque scienti prosunt, neque ignoranti nocent, quíque necessaria ignorant, quia non necessaria didicerunt.* ματαιοτεχνία.

VII. Πολυπραγμοσύνη, ardelionatus, *ut vertit Richerius. Hæc est desultoria illa levitas, quâ volatica ingenia abripiuntur, & in præcipitia agun-* Πολυπραγμοσύνη.

tur. Hi ſunt veluti viatores, qui multa habent hoſpitia, amicitias nullas. Hi duos inſectantur lepores, neutrum capiunt. Hi nuſquam ſunt, dum ubique ſunt. Hi contra naturam agunt, quæ abhorret ab infinito. Hi ſimilimi ſunt iis, qui multa edunt, ſed non concoquunt. Optandum autem eſſet, ut hodierno die alerentur in ſcholis præcones, qui juventuti inſuſurrarent illud πολυθρύλλητον, HOC AGE; *quod Romanus præco in Capitolio acclamabat populo ſacris operaturo.*

Nimia diligentia.


VIII. Nimia & immoderata ſtudia. *Hic verò eſt hoſtis omnium deterrimus. Nimirum ingenii vigor & acrimonia atteritur, exhauritur nimiis vigiliis. Nam ſpiritus vitales in corde, & animales in cerebro fatigantur nimium quantum vigiliis & ſtudiis. Immane quantum eſt facinus corporis proprii eſſe carnificem! Immoderatis vigiliis ac præproperis ſtudiis emaciare quantum ſcelus?*

Mutatio præceptorum.

IX. Mutatio præceptorum. *Videte mihi etiam hunc hoſtem, ordine quidem poſtremum, ſed vi facilè principem. Præcepta mutare, præceptores mutare, id verò egregiè facit ad eruditionis cornucopiæ comparandum. Scilicet. Hodie quid crebrius! Is, ut monet majorum gentium Orator, qui cupit in aliquo excellere, unius ingenio familiariter applicare ſe debet. Oportet igitur certis præceptis veluti innutriri, oportet ad pedes alicujus præceptoris eum perdiu educari & edoceri, qui cupit fundamenta jacere.*

Atq; hæc ſunt illa impedimenta, per quæ ſtat, quò minùs hodie maxima ſtudioſorum pars progrediatur, quodq; in medio etiam curſu deficiant.

Cap. 5.



Cap. 5. De Precatione.

SEquitur tertia Canonicæ pars, tractans de mediis, quæ regiâ & compendiariâ viâ nos manuducere possunt ad finem præstitutum. Media discendi.

Horum mediorum considerantur communes affectiones, & partes.

Communes affectiones sunt, quæ requiruntur in singulis, quas deinceps percensebimus, partibus. Suntq; numero septem. I. Precatio. II. Studium S. vitæ. III. Φιλοπονία. IV. Ars meditandi. V. Ars oblivionis. VI. Ordo. VII. Ars prænoscendi ingenia. *De quibus sigillatim. Sunt enim ita comparata hæc singula, ut in singulis mediorum partibus debeant, possint observari. Sive enim disputare, sive locos communes scribere, sive aliud quid facere cogitas, debes precari, sanctè vivere, laborare, meditari, oblivisci heterogeneorum, ordine progredi, ingenii tui vires pernosse, quid scil. ferre valeant humeri, quidq; recusent. Itaq; omnium primò agemus de precatione, cujus considerabimus necessitatem, requisita, normas & tempus.*

Precationis necessitatem nobis ob oculos ponit vel unus Jacobus Apostolus c.1. ubi v.5. sicpote monet: Quòd si cui vestrûm deest sapientia, postulet à Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat: & dabitur ei. *Etsi autem Apostolus ibi propriè loquitur de sapientia illa Christianorum, quâ patienter ferunt afflictiones propter confessionem Evangelii: tamen quum in eodem capite dicat, omne datum bonum, & omne perfectum donum esse supernè, descendens à Patre luminum: &* Precationis I. Necessitas.

negari non poßit, ſapientiam quoq; illam, quæ per philoſophiæ ſtudium acquiritur, in numero donorum illorum eſſe: ſequitur, illam etiam à Deo eſſe petendam. Utinam igitur hæc verba ſcribantur ferreo ſtilo in cujusq; ſtudioſi non dicã Muséo, ſed intimo cordis receſſu! Hoc nempe eſt, quod juventus non conſiderat. Rectè *Lutherus*: Bene oraviſſe, eſt penè ſtuduiſſe.


II. Requiſita. Requiſita precationis complector hoc canone: Oportet precari humiliter, ardenter, fidenter, & frequenter.

III. Normæ. Normæ precationis poſſunt eſſe variæ. Excellunt autem oratio Dominica, (*quam Tertullianus ſcitè vocat Breviarium Evangelii*) & Pſalmi Davidis. *Si cui placet addere formulas precum ſcholaſticarum, quæ doctis & piis viris fuerunt familiares, non repugno. Poterit autem quilibet ſuæ perſonæ convenientem formare formulam ex præſcripto verbi divini.*

IV. Tempus. Tempus denique precationi dicandum eſt peculiare. *Quamvis enim oporteat ἀδιαλείπτως orare: utile tamen eſt certos temporis articulos huic ſancto tribuere exercitio. Non hîc probatum eo horas Canonicas Pontificiorum: ſed hoc volo, hoc urgeo, animam hac ratione exuſcitari, ſi certis quibusdam temporis articulis preces fundantur, imò & fundentur in merito Mediatoris unici & perfecti, qui eſt Jeſus Chriſtus.*

Gratiarum actio. *Cæterùm ſub precatione hîc complector etiam gratiarum actionem: quæ non minùs eſt neceſſaria. Etenim qui non eſt gratus pro datis, non eſt dignus dandis. Et verò quum gratiarum actio ſit ad plus dandum invitatio, monitos velim ſtudioſos, ut texant beneſi-*


beneficiorum Dei Calendarium, ut ita loquar; & Deo, Patri illi luminum, agant gratias pro donis illis, quæ subinde in ipsis coronat. Beneficia Dei scribantur in Calendarium. *Otho Casmannus.*



Cap. 6. De studio sanctæ vitæ.

QUia Deus non exaudit peccatores, necessum est, ut studiosus studeat sanctæ vitæ. *Etenim in animum malevolum non introibit sapientia: ut est in libro Sapientiæ, c.1.v.4.* Studium sanctæ vitæ.

Sanctæ vitæ norma est Decalogus. *Brevior est illa Paulina, quæ est Tit.2.vers.12. ut vivamus* εὐσεβῶς, *erga Deum;* δικαίως, *erga proximum;* σωφρόνως, *erga nos ipsos. Hoc sæpe etiam cogitet studiosus, quod Salomon monet:* Timor Domini est initium sapientiæ. *Recitet insuper studiosus subinde Psalmum 19. Cumprimis abstineat ingurgitatione cibi & potus: carnem restringat, non extinguat. Hanc in sententiam lege serenissimi & potentissimi Magnæ Britanniæ Regis Magni verè regium donum.* Norma sanctæ vitæ.



Cap. 7. De diligentia.

ΦΙλοπονία *bis duobus jam memoratis accedere debet, id est, adsiduitas, diligentia, labor. Nam* ἡ ἐπιμέλεια *(ut habet Græcorum gnoma)* πάντα δύναται. *Et ut ait Quintilianus: Nemo unquam studio nihil est assequutus. Itaq; non satis est orare: oportet etiam studiosum laborare. Sanè* Diligentiæ vis.


Laurea desidiæ præbetur nulla, Labore
Omnia vincuntur, Numine, Mente, Prece.

Labor eſt πανδαμάτωρ, juxta illud Græcorum: τῷ πόνῳ πάντα πόειμα, καὶ ἐπιμελείας πάντα δοῦλα. Exemplo ſit Furius Creſinus.

Exempla eorum, qui diligentiæ laude celebrantur.

Quid verò de illo eſt in hiſtoriis? Hoc eſt. Cùm is in parvo agello, multò largiores fructus, quàm ex ampliſſimis vicinitas, perciperet: in invidia magna erat, ut qui fruges alienas veneficiis pelliceret. Quare die ei dictâ, metuens damnationem, inſtrumentum omne ruſticum in forum attulit, illudq́ omnibus oſtentans, Veneficia mea hæc ſunt, inquit, Quirites: nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere meas vigilias, meos infinitos ſudores, concatenatos labores. Tumq́ illo omnium calculis & ſuffragiis abſoluto, judicatum eſt, aratorem, niſi ſemper incurvum, prævaricari, operâq́ potiùs & aſſiduitate, quàm impensâ, aut ſoli fertilitate, agriculturam conſtare. Siquidem in omni genere artium, labore & diligentiâ, artis & conſilii moderatione temperatis, piisq́ precibus adhibitis, facilè à Deo, quantum nobis utile & ſalutare eſt, impetramus. Hic verò labor, hæc conſuetudo, à teneris ſuſcipi debet. Quantum iſta poſſit, Milonis Crotoniatis, & Demoſthenis exempla declarant. Quorum ille vitulum, quem ferre adſiduò conſueverat, factum immanem taurum facilè portavit: hic verò, linguæ & ingenii tarditatem, continuis vicit exercitationib. cumq́ ſingulis diebus lucubrando, & è nocte diem, è die noctem faciendo, plus olei quàm vini abſumeret, eloquentiæ palmam omnibus aliis præripuit. Hodie autem plus vini, quàm olei conſumunt adoleſcentes. Neq́ etiam imitantur Plinium, qui cognominatus eſt heluo temporis: neq́ Ariſtotelem, qui de nocte globum æneum manu tenuit; ut illo in ſubjectam pelvim incidente,

cidente, expergefactus accingeretur ad operas suas ordinarias. Et ne quis dubitet, qualibet in re, quid vel tenuis & imbecilla possit sedulitas, formicas attentè contempletur, quæ adsiduitatis fervore, asperrimos silices atterunt, & in opere semitam faciunt. Minutis item mollissimísque, continuis tamen, stillicidiis, durissima saxa cavari experimur.



Cap. 8. De arte meditandi.

MEditatio *sequitur, anima illa studiorum. Rectè de ista Periander:* μελέτη τὸ πᾶν. *Sicuti enim radii solares non calfaciunt, nisi reflexi atque repercussi: ita ingenium non valet, nisi intendatur, nisi intellectus se reflectat. Ubi ergo lectioni, studio, conversationi, accessit meditatio, & vicissim meditationi facultas, facultati tandem succedit eloquentia. Nam* Meditationis 1. Necessitas.

Rem bene prævisam verba haut invita sequentur.

Etenim vis hæc cogitandi una & sola est ratio percipiendi, quæ oratione proferas, & proferendi, quæ antè animo perceperis.

Meditationis considerabimus modum & tempus.

Modus meditationis ita à nobis est collectus ex aliquammultis locis apud Ciceronem. 2. Modus.

Ars meditandi est, quando paria paribus, contraria contrariis, præterita præsentibus opponuntur, itemque causæ & eventus rerum perdiscuntur. *Paucis his verbis, quæ si aurea* Ars meditandi.


dixero, minus; si divina, majus dixero; tota meditandi ars continetur. Quinque enim sunt ejus partes: videl.

1 Paria paribus
2 Contraria cõtrariis
3 Præterita præsentibus
} opponere prudenter.

4 Causas
5 Eventus
} Rerum perdiscere diligenter.

5. Tempus.

Tempus meditationi aptum tum matutinum; hinc dici solet, de mane consilium; tum nox; *Hinc Græci, ἐν νυκτὶ βουλή. Ideoq; Athenienses noctuam veluti sapientiæ symbolum, Palladi consecrarunt. Et Julius Cæsar primam noctis partem somno, secundam studiis, tertiam negotiis Reipublicæ tractandis impertiebat.*



Cap. 9. De arte oblivionis.

Ars oblivionis.

M*Irum alicui videri queat, quid sit, quòd artem oblivionis promittam: quum alii memoriæ artem malint. His nullum aliud volo comparatum responsum, quàm quod Themistocles dedit ei, qui artem memorandi profitebatur. Quærebat enim ex illo:* Essétne ars aliqua, quæ nonnullarum rerum oblivionem polliceretur; meminisse dum libet, sed non æquè facilè, quæ se præter voluntatem ingerunt, oblivisci.

Themistocles oblivionem quare optârit.

Sunt


Sunt enim, quorum oblivio nobis gratior est, quàm memoria: sic, ut pleriq; gravatè ferant, obductas cicatrices refricari, ac redintegratione quadam jam pridem sopita sepultaq; in mentem reduci. Quò spectat proverbium: Malum, quod bene conditum est, ne moveas. Ars autem oblivionis nobis est ea, quâ obliviscimur ea, quæ præpediunt nos in cursu actionum. *Sicuti enim quæ quisq; meminisse velit, subinde ab animo reposcere, atq; in mentem revocare, eaq; crebrò meditari ac revolvere debet: ita quæ excussisse velit atq; oblivisci, tanquam noxia ac menti perniciosa, iis ratione ac judicio acriter obsistere atq; obluctari debet. Sicut enim naturâ comparatum est, ut mens humana, quæ ab integritate delapsa est, pessima pro optimis amplectatur, eaq; promtiùs concipiat atq; addiscat: ita quoque tenaciùs ac fixiùs inhærescunt deteriora, adeò ut ægerrimè excuti queant.* Levinus Lemnius l. 2. de complexionib. c. 4. *Primum itaq; hoc est hujus artis præceptum, excutere ea, quorum meminisse nolis. Secundum est amare, & admirari rem, cui deditus es. Hi enim sunt vehementissimi in homine affectus; qui facient, ut omnes cogitationes tuas colligas, neq; peregrinari sinas. Tertium præceptum est, cogitare, quòd nil laude dignum effici queat, si plura simul obversentur animo. Nam rectè dici solet:*

Oblivio rerum quando expetenda.

Affectus in homine vehementissimi.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Atq; hæc tria sunt hujus artis, quam oblivionis dicimus, præcepta. Vide Simonidem redivivum Bruxii.



Cap. 10. De ordine.

Ordo in ſtudiis obſervandus triplex.

ORdine illuſtrantur omnia, tum in mundo, tum maximè in ſtudiis.

In ſtudiis obſervandus eſt ordo triplex: Rerum, Temporis, & Librorum.

I. Rerum.

Ordo rerum eſt duplex; unus naturæ, alter doctrinæ melioris.

Ordo naturæ eſt exquiſita illa methodus, quam ſapientiæ vocant.

Ordo melioris doctrinæ eſt methodus popularis, quam prudentiæ dicunt.

Eſt ineptum docendi diſcendiq́ genus, ſi quis ſemper ſectetur & venetur ἀκρίβειαν. Nam τὸ λίαν ἀκριβὲς ψεκτόν. Eam ob cauſam oportet habere rationem circumſtantiarum, loci ſcil. temporis, & perſonarum, tam in legendo, quàm audiendo, ut infrà monebimus.

II. Ordo temporis.

Ordo temporis regitur vel Typis, vel Calendariis.

Typi ſtudiorum.

Typi ſtudiorum ſunt certę tabulæ, quas ſibi quilibet formare debet, aut curare ab aliis formari.

Suntq́ue vel methodici, vel horarii.

Methodici

Typi ſtudiorum methodici ſunt, quando ſtudiorum diſpoſitionem facimus ſecundùm ipſam rerum methodum.

& Horarii.

Horarii ſunt, quando diſponimus ſtudia ſecundùm horas.

Calendaria ſtudiorum.

Calendaria ſunt, quibus diſponimus ſtudia ſecundùm dies, ſeptimanas, bimeſtria, trimeſtria, & annos. *Hujus-*


Hujusmodi typos & Calendaria semper in conspectu in Muséis suis habeant studiosi, & innovent subinde secundùm intervalla trium, quatuor, aut ad summum sex mensium. Vide Consiliarium nostrum Academicum, ubi prolixè tradidimus architecturam & usum typorum, & Calendariorum.

III. Ordo librorum.

Ordo librorum est eorum ad facilem inventionem & conservationem collocatio in loco editiori atq; amœniori.

Communior librorum dispositio solet esse eorum in septem classes distributio.

Prima *classis contineat scripta* Theologica, *juxta Theologiæ divisionem.* Secunda, *philosophica, juxta philosophiæ divisionem, suprà à nobis traditam.* Tertia, *Medica.* Quarta, *Juridica.* Quinta, *historica.* Sexta, *Oratoria & Poëtica, adeoq; critica & philologica.* Septima, *Encyclia sive universalia. Aliter partitur classes librorum* Joannes Mabuenus in Roseto spiritali.



Cap. II. De examine ingeniorum, sive arte prænoscendi ingenia.

Varietas ingeniorũ.

QUot corporum sunt formæ, tot ingeniorum; quorum examen paucis trademus, adeoq; artem prænoscendi ingenia præscribemus.

Unde varietas ingeniorum juxta Platonem.

Plato ad tres causas refert ingeniorum diversitatem: ad humanam, naturalem, & divinam. Humana, *ut lex, educatio, consuetudo diversa.* Naturalis, *elementorum atq; alimentorum varietas.* Divina, *siderum atq; Dei potestas. Sed hanc sententiam non facimus nostram. Videat, qui volet, in hanc senten-*

tiam ipsum Platonem dial. 5. de legib. in fine, & Marsilium Ficinum in argum. dialogi 6. de legibus.

Duplicia ingenia apud Aristot.

Aristoteles ingenia facit duplicia, bona & mala. *Bona sunt vivida & stabilia: mala sunt nimis vel mobilia, vel stabilia. Et nimia quidem mobilitas furorem, nimia stabilitas stuporem gignit. Atq; ad hæc sanè capita quidquid est ingeniorum, non incommodè referri potest: ita ut sint quinq; gradus & classes ingeniorum. Nam*

Quinq; ingeniorum classes.

I. Ingenia nimis mobilia.

I. Sunt ingenia mobilia nimis. *Qui hujusmodi ingeniis præditi sunt, in primâ ætate sunt senes, in senectâ pueri, sunt præcoces, sunt inconstantes, quos Sophocles scitè vocavit* ἀνδρόπαιδας, *quasi diceret, viri-pueros, quos item Græci* ἀνδρόμους, *atq;* ὀψιμαθεῖς *dixerunt.*

De his & in hos dicunt vulgò:

Qui sapit ante pilos, non sapit ille diu. *Item*

Odi discipulos præcocis ingenii.

II. Ingenia nimis tarda.

II. His contraria sunt serotina & tardiora. *Talibus fuerunt ingeniis præditi Demosthenes, Cato, Virgilius, & Thomas Aquinas.*

Inter hæc duo extrema sunt duæ species intermediæ: videlicet.

III. IV. Ingenia mediocriter acuta & tarda.

III. Ingenia mediocriter acuta: & IV. Mediocriter tarda.

V. Ingenia heroica.

V. Sunt ingenia heroïca, quæ divinitus excitantur, *ut præ aliis emineant.*

De his omnibus sunt canones.

Ars prænoscendi ingenia est necessaria.

1. Quilibet pernosse & prænosse debet suum ingenium, ut ei studio se dedat, ad quod impetu quodam naturali fertur.

2. Inge-

2. Ingenia mobilia primo impetu & calore omnem animi sui virtutem exerunt, ac more mulierum, plus extemporariâ actione, quàm meditatâ; primisq; & levissimis cogitationibus magis, quàm secundis excellunt, *ut author est Fabius. Qui hujusmodi ingeniis præditi sunt, ad confabulandum aut excogitandum, quàm ad judicandum, perficiendumq; aliquid alacriores sunt. Proinde Reipublicæ salutari consilio gubernandæ, propter summam inconstantiam & animi temeritatem, minùs apti habentur.*

Ingenia mobilia.

Qualia sint & quî noscantur?

3. Ingenia tardiora summam illam celeritatem, quæ est in mobilibus, judicio acriore, invicto labore, diligentiâ, adsiduitate, & constantiâ incredibili compensant. *Quâ ratione, non solùm tarditatem & duritiem naturæ superant ac expoliunt: verùm etiam ingenia præstantiora sæpè vincunt: & quò tardiùs, eò & ampliores fructus, ex vigiliis & lucubrationibus suis colligunt. Hæc ingenia non nugis, confabulationibus, aliisq; levioribus negotiis facilè sese applicant: sed magnis tantùm lætantur. Sunt igitur ad tuendum, conservandum, & perficiendum, quàm ad aliquid de novo excogitandum, aut acquirendum; & ad judicandum, quàm ad inveniendum, magis idonea: Reipub. autem administrandæ percommoda, eò quòd nunquam rebus novis student; sed patriam adamant summoperè, & utplurimùm antiqua novis præferunt: idq; aliquando supra modum. Ex quo accidit, ut veteribus nimiùm inhiando, nullam persæpè Remp. retineant. Quocirca hòmines hujusmodi*

Ingenia tardiora

Qualia sint & Quî noscantur?

maturè ſunt ad cedendum inſerviendumq; temporibus comparandi.


Ingenia mediocriter acuta qualia ſint & quî noſcantur.

4. Ingenia mediocriter acuta vim quandam & bonitatem temperatam continent, cum magna perſpicuitate orationis, ac facilitate dicendi. *Cumq; tardiora ingenia, ſolâ arte & labore; leviora autem, ſolo propè naturæ inſtinctu, nomen & commendationem ſibi concilient: huic tertiæ animornm formæ accidit, ut induſtria & arte mediocri illuſtrentur. Quotquot in hanc claſſem divertunt & commorantur, ad artes ingenuas, maximè ad eloquentiam, tum verò ad politiam optimè conſtituendam, apprimè nati ſunt.*

Ingenia mediocriter tarda quî noſcantur.

5. Ingeniis mediocriter tardis omnes illæ enumeratæ dotes, & aliquid adhuc inhæret robuſtiùs. *Enimverò in his natura cum arte, induſtria cum labore, meditatio cum ſolertiâ, prudentia cùm tolerantiâ, certant æqualiter, & ſibi mutuam lucem & commendationem adferunt.*

6. Ingenia heroïca inveniendis rebus novis & adminiſtrandis arduis ſunt omnium aptiſſima.



Cap. 12. De Mediis diſcendi communibus in Scholâ naturæ.

ENarratæ ſunt communes, *quas vocavimus,* mediorum affectiones: eorundem ſpecies nunc enarrandæ veniunt.

Media diſcendi communia.

Media diſcendi ſunt communia, vel propria.

Communia ſunt, quæ omnibus hominibus expo-

exposita sunt. Suntq; tria, Principia, Sensus, Mundus.

Deus Optimus Maximus certa quædam principia, ceu quosdam sciendi igniculos mentibus nostris indidit. Hinc scilicet pendet tota hominis dignitas: quam ethnici considerantes hominem appellitarunt, animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, creaturarum internuntium, superis familiarem, regem inferiorum, indaginem rationis, lumen intelligentiæ, interpretem naturæ, fluxi ævi interstitium, mundi copulam & Hymenæum. Nec verò divina majestas satis habuit, si istos sciendi igniculos mentibus injecisset, nî quoq; sensus simul patefecisset in corpore, per quos tanquam per fenestras scientia manaret ad animos. Hi igitur homini à Deo magistri dati sunt. Arist.1.Metaph.c.1.statim ab initio.


Principia homini insita.

Hominis epitheta varia.

Sensus homini sunt magistri.

Sed & præter sensus condidit mundum, in quo tanquam ingenti volumine literas varias impreßit, atq; expreßit, unde ipsa rerum magnitudo, motus, dispositio, constantia, utilitas, pulchritudo, temperatio, varietas in admirationem omnes raperet, atq; oculos etiam rudium & ferorum hominum attolleret. Hi verò cùm nossent, non potuisse tanti operis effectionem, nisi à sublimißimâ produsse majestate, hanc in mundo quasi in eruditißimâ scholâ semper contemplati sunt.

Liber naturæ.



Cap. 13. De lectione.

Talia sunt media communia proficiendi in Scholâ naturæ: sequuntur media pro-

Media discendi propria.

pria, quæ iis ſunt neceſſaria, qui in Scholis & Academiis verſantur ſtudiorum causâ.

Hujusmodi media ſunt duo, cura ſtudiorum, & peregrinationis.

Cura ſtudiorum eſt vel Cognitio, vel Actio.

Cognitio eſt Lectio, vel Auſcultatio.

Lectio. Lectio, eſt bonorum authorum evolutio. *Tanta ejus eſt vis, ut eâ jacente jaceat univerſa ſtudiorum ratio. Rectè enim Zenoni Stoïcorum principi ſciſcitanti de viâ eruditionis regiâ & maximè compendiariâ, oraculum Apollinis reſpondit, ut cum mortuis ageret: per mortuos intelligens libros. Eundem ad modum Alphonſus Arragoniæ Rex dixit, mortuos eſſe optimos conſiliarios.*

Lectionis hi ſunt canones.

Authorum delectus habendus. 1. Habeatur authorum delectus. *Meliores ſeligantur, & recentes authores præmittantur veteribus. Illi enim legendi ſunt ob methodum, perſpicuitatem, accommodationem ad noſtra tempora, & deniq; additionem ad veterum inventa: hi ob authoritatem.*

2. Præcipui authores legantur de puncto ad punctum, reliqui per indices.

Quatuor impreſſionibus quælibet diſciplina diſcenda. 3. Quatuor impreſſionibus methodicum aliquod ſyſtema legatur. *1. Imprimantur verba τεχνικά, id eſt, ipſi artium termini. 2. Præcepta, definitiones ſcilicet & diviſiones. 3. Regulæ, quæ in theoreticis diſciplinis theoremata, in practicis Canones dicuntur. 4. Commentarii.*

Memoria localis comparanda. 4. Aſſuefaciat ſe lector ad certum exemplar, in quo comparet ſibi memoriam localem adjectis maginalibus notis.

5. Inſti-

5. Instituatur collegium Gellianum: in quo duo, tres, vel etiam plures conjungant suas operas, dicto loco, stato tempore conveniant, & quisq; quæ legerunt in commune fideliter conferant. Collegium Gellianum.

6. In studiorum initiis, &, ut ita dicam, introitu, certi quidam & pauci, iiq; optimi legantur sæpè & multùm: ut ita habeant studiosi certum veluti domicilium, & sedem perpetuæ lectionis deligant, in quâ familiariter, & adsiduè habitent, & ad quam redeant, cùm ad aliorum authorum lectionem expatiati sunt. *Nam rectè Martialis:*

Quisquis ubiq; habitat, Maxime, nusquam habitat.

6. Inter legendum regula judicandi sit in promtu. Regula judicandi est duplex, una, quâ de artium præceptis, tanquam materiâ; altera, quâ de præceptorum dispositione, tanquam formâ, judicium fertur. *Ibi sunt tres leges axiomaticæ* κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον: *hîc sunt totidem leges methodicæ, lex generalitatis, colligationis, & homogeniæ.* Judicandi regula inter legendum.


7. Divisio authorum attendatur. Sunt enim 1. Dogmatici, *qui acroamaticè & accuratè scripserunt. Hi erunt veluti Polycleti regula, & filum Thesei, & Cynosura, à quâ non deflectas.* 2. Ethici, *qui exotericè & populariter scripserunt. Hi sunt magis oratorii, & esse debent regula Lesbia.* 3. Elenctici, *qui polemica scripserunt. Hi non sunt legendi tyronibus.*

Authores sunt I. Dogmatici. II. Ethici. III. Elenctici.

Lectio triplex.

8. Emantur editiones librorum recentissimæ & mundissimæ.

9. Constituatur triplex lectionis intervallum. Sit lectio puerilis seu prima, crescens, & adulta. *In illâ methodicus aliquis solùm evolvatur: in istâ plures methodici legantur: in hâc licet per omne authorum grassari genus.*



Cap. 14. De Auscultatione.

Auscultatio.

AUscultatio est quâ superiorum audiuntur prælectiones, excipiuntur dictata.

Hîc consideranda sunt officia docentis, & discentis.

In docente consideranda veniunt duo; requisita docentis, & modus docendi.

Docentis requisita tria

Requisita docentis sunt numero tria.

I. Facultas

1. Facultas, seu notitia ejus rei, quam docere debet. *Nam omnium primò requiritur, ut doctor sit διδακτικός. Infelix enim est, & bis infelix, qui multa tenet, nescitq́; docere.*

II. Voluntas

2. Voluntas, seu candor, & benevolus adfectus, ut velit. *Est enim quater infelix, & homo non homo, qui multa tenet, non vultq́; docere, id est, qui invidiæ œstro est percitus.*

III. Adsiduitas.

3. Adsiduitas & constantia, ut semper possit & velit, ut continuè velit.

Modus docendi.

Modus docendi complectitur methodum & circumstantias.

Methodus est, quâ docens informat discentem per præcepta, & exercitia.

Præ-

Præcepta sunt definitiones, distributiones, itemq; regulæ. *Ista erunt vera, ordinata, & utilia.*

Exercitia erunt partim privata, partim publica.

Circumstantiæ sunt locus & tempus.

Locus deligendus est salubris, tranquillus, mediocriter amœnus.


Tempus aptissimum est matutinum. *Hic tamen naturarum varietas spectanda est. Sunt enim naturæ, quæ vesperi magis, quàm manè officium faciunt alacriter.* Sturmius de imitatione.

Officium discentis in ἀκροάσει his continetur regulis. Discentis officium inter audiendum.

1. Pluris faciat acroasin, quàm lectionem. *Nam legendi semper est occasio: audiendi non item. Et verò triplo plura unâ horâ possunt audiri, quàm legi. Quid? Audita facilius retinentur, firmius etiam sensum & intellectum feriunt.*

2. Auditor doctorem suum & amet, & admiretur.

3. Inter audiendum cogitet, quænam sint præcepta, quæ regulæ, quæ commentaria: omninoq; doctrinalia discernat ab oratoriis.



Cap. 15. De scriptione.


FUit Cognitio: sequitur Actio: cujus partes sunt Scriptio & Exercitatio.

Scriptio est, quâ annotantur τὰ ἀξιομνημόνευτα κ ἀξιοθέατα. Scriptio.

Lectio triplex.

8. Emantur editiones librorum recentissimæ & mundissimæ.

9. Constituatur triplex lectionis intervallum. Sit lectio puerilis seu prima, crescens, & adulta. *In illâ methodicus aliquis solùm evolvatur: in istâ plures methodici legantur: in hâc licet per omne authorum grassari genus.*



Cap. 14. De Auscultatione.

Auscultatio.

AUscultatio est quâ superiorum audiuntur prælectiones, excipiuntur dictata.

Hîc consideranda sunt officia docentis, & discentis.

In docente consideranda veniunt duo; requisita docentis, & modus docendi.

Docentis requisita tria

Requisita docentis sunt numero tria.

I. Facultas

1. Facultas, seu notitia ejus rei, quam docere debet. *Nam omnium primò requiritur, ut doctor sit* διδακτικός. *Infelix enim est, & bis infelix, qui multa tenet, nescitq́ docere.*

II. Voluntas

2. Voluntas, seu candor, & benevolus adfectus, ut velit. *Est enim quater infelix, & homo non homo, qui multa tenet, non vultq́ docere, id est, qui invidiæ œstro est percitus.*

III. Adsiduitas.

3. Adsiduitas & constantia, ut semper possit & velit, ut continuè velit.

Modus docendi.

Modus docendi complectitur methodum & circumstantias.

Methodus est, quâ docens informat discentem per præcepta, & exercitia.

Præ-

Præcepta ſunt definitiones, diſtributiones, itemq; regulæ. *Iſta erunt vera, ordinata, & utilia.*

Exercitia erunt partim privata, partim publica.

Circumſtantiæ ſunt locus & tempus.

Locus deligendus eſt ſalubris, tranquillus, mediocriter amœnus.

Tempus aptiſſimum eſt matutinum. *Hîc tamen naturarum varietas ſpectanda eſt. Sunt enim naturæ, quæ veſperi magis, quàm manè officium faciunt alacriter.* Sturmius de imitatione.

Officium diſcentis in ἀκροάσει his continentur regulis. Diſcentis officium inter audiendum.

1. Pluris faciat acroaſin, quàm lectionem. *Nam legendi ſemper eſt occaſio: audiendi non item. Et verò triplo plura unâ horâ poſſunt audiri, quàm legi. Quid? Audita faciliùs retinentur, firmiùs etiam ſenſum & intellectum feriunt.*

2. Auditor doctorem ſuum & amet, & admiretur.

3. Inter audiendum cogitet, quænam ſint præcepta, quæ regulæ, quæ commentaria: omninoq; doctrinalia diſcernat ab oratoriis.

Cap. 15. De ſcriptione.

FUit Cognitio: ſequitur Actio: cujus partes ſunt Scriptio & Exercitatio.

Scriptio eſt, quâ annotantur τὰ ἀξιομνημόνευτα καὶ ἀξιοθέατα. Scriptio.

De quâ sunt canones.

Modus scribendi.


1. Discernantur verba à rebus, oratoria à doctrinalibus, utilia ab inutilibus, præcepta à commentariis & exemplis.

2. Unum idemq; non est bis notandum.

3. Una eademq; res, diverso respectu, ad varias referri potest disciplinas. Iccirco cùm aliquid audis vel legis de re aliquâ, statim cogitabis, quo respectu ista res ad hanc, quo verò ad alteram disciplinam pertineat, & secundùm diversos istos respectus in diversis notabis voluminibus.

Formalia verba quando retinenda.

4. Formalia authorum verba retinebis, si termini artium, si regulæ, si distinctiones, & nervosa dicta occurrant. Cætera tuis verbis notabis, & quidem breviter, adjecto semper loco sive paginâ.



Cap. 16. De locis communibus.

EXercitatio est 1. Locorum communium adornatio. 2. Interrogatio. 3. Examen. 4. Declamatio. 5. Disputatio. 6. Disciplinarum scriptio.

Locorum communium adornatio.

Locorum communium adornatio est sat operosa, sed & sat abundè fructuosa. *Quanquam enim hi loci multis videntur pueriles: iis tamen, qui contra senectutis infirmitatem, & memoriæ inconstantiam parare cupiunt firmum subsidium, valde probantur.*

Eorum considerabimus cùm fabricam, tùm usum.

Fabrica locorum communium.

De fabricâ locorum communium hi sunt canones.

1. Fiant


1. Fiant adverſaria, diaria, memorialia, & collectanea; *in quibus ſecundùm ordinem dierum cujusq; ſeptimanæ audita, viſa, lecta notentur, additis anno, menſe, die.* Adverſaria.

2. Fiant digeſta ſyſtematica: *id eſt, loci communes digerantur juxta methodum præceptorum in ſyſtemate obſervatam.* Digeſta.

3. Adornatio locorum eſt vel plenior, vel contractior. Plenior *eſt, cùm ſingularibus voluminibus diſponuntur tituli, & tot conſtituuntur volumina, quot ſunt diſciplinæ.* Contractior *eſt compendioſior, quando ad ſyſtema authoris typis editum, ea, quæ ex aliis excerpere volo, adnoto, ſive ad marginem, quem relinquo latiorem, ſive etiam in chartis puris interſertis.* Adornatio L. C. Plenior & Contractior.

4. In ſingulis titulis obſerventur ſeni ſubtituli: *videl. 1. Textus, ſeu præcepta, id eſt, definitiones & diſtributiones. 2. Explicatio præceptorum. 3. Quæſtiones. 4. Objectiones. 5. Theoremata & canones, partim confirmantes, partim confutantes. 6. Teſtimonia. Quidquid enim de aliquo titulo, v.g. de Ente, de Eſſentiâ, occurrit apud bonos authores, ad horum ſubtitulorum aliquem referri poteſt.*

Locorum communium ita adornatorum uſus eſt duplex. *Sunt enim primò* Index *generalis in præcipuos authores: ita ut in parvo volumine ſtudioſus circumferre queat bibliothecam integram. Deinde iidem ſunt* Penu, *memoriæq; ſubſidium repræſentativum, ut* Keckerm. in apparatu practico *loquitur, ex quo depromere poſſumus, quoties de re aliquâ dicendum aut ſcribendum erit, ingentem copiam optimarum rerum.* L.C. uſus duplex.



Cap. 17. De Interrogatione.


Interrogatio.

INterrogando plurima addiſcere poterit ſtudioſus, *ſi modò rectè interroget. Rectè autem interrogabit, ſi hos canones obſervabit.*

1. Interrogatio ſit brevis, aptè formata ad ſcopum, & crebra.

2. Fiat coràm, vivâ voce, & per literas.

3. Interrogentur ii, qui eruditi, qui non invidi, qui nobis deniq; favent.



Cap. 18. De Examine.

Examen eſt triplex.

EXamen eſt eorum, quæ meminiſſe voluimus, repetitio. *De eâ notentur hi canones.*

I. Solitarium.

1. Repetitio prima ſit ſolitaria, & tacita, & curſoria, quâ celeriùs colliguntur audita & ſcripta.


II. Sociatum

2. Sequatur ſociata, cùm duo per vices repetitionem inſtituunt: ſic, ut unus prælegat dictata, alter audiat.

III. Pythagoréum.

3. Addatur tarda & fixa ſeu Pythagoréa repetitio: *quæ ſemper ſit gemina. Prior ſerviat intellectui, ut intelligas rem: poſterior ſerviat memoriæ, ut intellecta imprimas & ſerves.*

4. Examen ſit diurnum, hebdomadarium, menſtruum, bimeſtre, *trimeſtre, ſemeſtre, & deniq; annuum.*



Cap. 19. De declamatione.

DEclamationes & publicæ & privatæ haberi debent, juxta hos canones. Declamationes.

1. In collegio declamationum erunt moderator, palæstritæ, & auditores. Collegium declamationum.

2. Moderatoris sive directoris & præsidis hæ erunt partes. 1. Certum ordinem instituere inter studiosos, & eorum progressus habere exploratos. 2. Materias ex variis artibus, earumq; dispositiones illis tradere. 3. Censores septem, vel etiam plures è studiosis nominare, qui exercitii censuram agant. 4. Inter declamandum vitia notare. 5. Censuras ex ordine requirere, & probas adprobare, scrupulosas repudiare. 6. Post audita censorum judicia, suam censuram fideliter instituere, & laudare recta, errata autem & defectus notare. Moderatoris officium in collegio declamationum.

3. Palæstrita est, qui sese exercet, cujus partes sunt: 1. Declamationem diligenter formare. 2. Eandem memoriâ complecti. 3. Graviter perorare. 4. Declamationem suam, ubi domum reversus fuerit, de integro recognoscere, & emendanda emendare. Palæstritæ officium in collegio declamationum.


4. Auditores sunt vel taciti, vel censores.

5. Taciti debent parati accedere, & declamationes etiam à se scriptas de eâdem materiâ adferre; deinde diligenter auscultare & attendere orationi, quæ habetur, cumq; eâ suam Auditorum officium in collegio declamationum.

conferre, considerantes, ubi & in quibus melior sit aut deterior; censuras deniq; probè abservare, & secundùm eas, declamationes suas, ubi domum reversi fuerint, emendare.

6. Censores præmeditati accedant, & suas quoq; declamationes in parato habeant non minùs ac is, qui censendus est. Iidem, cùm oratio recitatur, attentissimè singula examinent; modestiæ tamen studeant in recensendis erratis, ut ne exacerbent vel etiam pusillanimem reddant palæstritam.

7. Palæstritæ declamaturi singulis vicibus in ternas distribui debēt classes. In primâ classe sit, qui sententiam proponat, thematis necessitatem prædicet, & reliquos roget, ut suas sententias in medium adferant. In secundâ classe sint aliquammulti, qui contrarias sententias pro & contra, ut loquũtur, disceptent. In tertiâ deniq; classe sit concludens: idem nempe qui proponens. Ejus est 1. Gratias agere collegis suis. 2. Concludere, & definitivam, ut vacant, sententiam ferre, ex votorum vel pluralitate, vel pondere.



Cap. 20. De disputatione.

Disputationum modus.


DE disputandi ratione hîc non ex professo agimus (id enim in Gymnasio Logico faciendum est) sed præcognoscimus paucula, de officio præsidis, respondentis, opponentis, & auditorum, juxta hos canones. 1. Præses sit vir bonus, cui cordi sit profectus auditorum. Itaq; rotundè respondeat, non agat oratorem

Officium præsidis.

torem, non ostentet suum acumen, non deniq; abripiatur adfectibus, cumprimis irâ. 2. Respondens domi se præparet, modestè se gerat tùm erga præsidem, tùm erga opponentem. 3. Opponens syllogisticè agat, citra ornatum oratorium, & modestiam suam probet universo auditorio. Non disputet de rebus levibus, vel etiam iis, quæ excedunt modum & captum ingenii humani. 4. Auditores taciti excipiant ea, quæ occurrunt inter disputandum, scita, & in locos communes referant.

Officium respondentis.

Officium opponentis.



Cap. 21. De scriptione disciplinarum.

Methodus scribendi disciplinas, aliis est alia; nobis illa unicè arridet, quæ tradit quamlibet disciplinam per quatuor ista, Lexicon scil. Præcognita, Systema, & Gymnasium: *de quibus fusè egimus in nostrâ Panaceâ philosophicâ. Hîc breviter declarabimus canonem modò propositũ.*

Methodus scribendi disciplinas.

Lexica debent tot confici, quot sunt volumina rerum, seu disciplinarum. *In iis explicari debẽt vocabula insigniora, ἐμφατικώτερα, & difficiliora. Neq; tantùm vocabula, sed etiam phrases explicari debent. Profectò si congruens iste cum doctrinarũ & artiũ noëmatis ordo observetur, juventus, ut naturali illo ordine omnia faciliùs condiscet: ita à teneris etiam unguiculis artiũ lineamẽta cum earundẽ vocib⁹ mente complectetur.* Frid. Beurh. Bernh. Copius JC.

Lexica disciplinarum quî adornanda?

Præcognita sunt generalis & anticipata doctrina de disciplinæ alicujus naturâ & studio.

Præcognita disciplinarum quî instituenda.

Natura cujusq; disciplinæ explicatur definitione & distributione. *Ff 4*

Definitio diſciplinæ eſt vel nominis, vel rei. *Illam Zabarella de tribus præcognitis vocat præcognitionem dirigentem, iſtam agentem.*

Diſtributio eſt, quâ partes cujusq; diſciplinæ præcognoſcuntur.

Partes illæ aliæ ſunt contemplativarum, aliæ activarum & factivarum diſciplinarum.

In ſcientiis contemplativis tria præcognoſcuntur.

Tria præcognoſcenda in theoreticis diſciplinis.

1. Subjectum; cujus præcognoſcitur nomen, definitio, unitas, duæ partes, videl. res conſiderata, & modus conſiderandi.

2. Principia; quòd ſint, & quid ſignificent nomina.

3. Affectiones; quæ præcognoſcuntur quoad nomina. In diſciplinis practicis & poëticis duo præcognoſcuntur, videl. finis, & ſubjectum. Nam principia ſeu media non præcognoſcuntur, ſed tractantur in ipſo ſyſtemate.

Duo præcognoſcenda in practicis & poëticis.

Studium cujusq; diſciplinæ prænoſcitur ratione finis, impedimentorum, & remediorum, *applicando præcepta hujus Canonicæ generalia ad quamq; diſciplinam in ſpecie.*

Syſtemata quî conſcribenda?

A præcognitis veniendum eſt ad ſyſtemata. Partes cujusq; ſyſtematis tres eſſe debent, præcepta, regulæ, commentarii. *Et hæc debent à ſe invicem diſcerni typis.*

Præcepta ſunt definitiones & diſtributiones.


Regulæ ſunt vel theoremata, in diſciplinis ſpeculativis: vel canones, in practicis & poëticis.

Com-

Commentarii ſunt explicationes & applicationes tum præceptorum, tum regularum.

Commentariorum partes ſunt numero quinque. 1. Exempla. 2. Explicatio eorum, quæ in præceptis vel ambigua, vel obſcura. 3. Ratio connexionis & methodi. 4. Quæſtiones & controverſiæ illuſtriores. 5. Authoritates, ſive teſtimonia tum veterum, tum recentiorum.

Talis erit ratio ſyſtematum in quacunque diſciplina: modus Gymnaſiorum talis erit. Oſtendatur quem quæque diſciplina philoſophica uſum habeat: idque tribus modis. I. In aliis philoſophiæ partibus: v.g. quemnam Metaphyſica uſum habeat in Logica, Phyſica, Ethica. II. In ſuperioribus facultatibus: ut quomodo Metaphyſica illuſtret Jurisprudentiam, quomodo ejus uſus poſſit eſſe Theologo. III. In vita communi, putà converſatione œconomica, politica, & Eccleſiaſtica. Gymnaſiorum, ſive Scholarum ratio.



Cap. 22. De peregrinatione.

FUit cura ſtudiorum: ſequitur cura peregrinationis, quâ quis diſcit apud exteros. Peregrinatio.

De peregrinatione hîc tractandum nobis eſt in genere. Nam in ſpecie de ea præcipiendum eſt in præcognitis ſpecialibus. Ita v.g. de peregrinatione, quæ propter linguarum cognitionem ſuſcipitur, Philologus tractare debet, de ea, quæ à Theologiæ ſtudioſis ſuſcipitur, Theologus.

Peregrinationis consideratur finis, & modus.

Finis, est utilitas, vel voluptas *Ille primarius, hic secundarius est finis.*

Utilitas est triplex, Prudentiæ, Scientiæ, & Morum.

Prudentiam formant & firmant instituta varia gentium, ritus & mores hominum, formæ denique civitatum.

Scientia est vel ab auribus, id est, doctoribus; vel ab oculis, id est, libris. Deniq; mores fingit & efficit conversatio: uti Lipsius tradit in epistol. centuriâ 1. ad Belgas epist. 22.

Voluptas est tum recordatio præteritorum bonorum & malorum, utraque jucunda: tum κτῆσις καὶ χρῆσις bonorum acquisitorum.

Modus est vel itio, vel commoratio, vel reditus.

Itionis hi sunt canones.

1 Studiosus diu multumq; deliberet, prudentium amicorum consilio adhibito, de fine & modo itionis, an, quomodo, quando, cum quibus, quò, cur, peregrinandum sit.

2 Peregrinaturus instructus sit à bonis animi, corporis, & fortunæ. Bona animi *sunt prudentia, pietas erga Deum, erga homines veracitas & jucunditas.* Bona corporis *sunt sanitas, & robur functionum animalium, vitaliũ, & naturalium.* Fortunæ, *quæ vocant*, bona *studiosus vel habet, vel non habet. Si habet, iis rectè utatur. Si non habet, acquirat prece & labore. Aliorum opem imploret, vel servitiis impetret.*

3 Acci-

3 Accipiat instrumenta ad peregrinandum necessaria.

4 Eventum Deo permittat.

5 Observet rationem temporis, quod est universale, & particulare. *Universale est: 1. Annuum. Hîc ver & autumnus sunt tempora peregrinationi maximè opportuna. 2. Menstruum. Ratio novilunii & plenilunii habenda. Particulare, est dies, vel nox. Utriusq; observanda est, partim quantitas, partim qualitas. Summa doctrinæ de peregrinatione est:* Meta peregrinationis est cognitio; cognitionis, actio; actionis, Gloria ejus, qui universam umbratilem hanc vitam voluit esse peregrinationem ad verè vitalem vitam: & Patriæ, quæ emittit liberos, ut receptis utatur m[illegible]o-ribus, emolumentum.

PERORATIO CANONICÆ.

ATque hæc est illa Canonica, quâ ostendere pro virili conati sumus rationem studiorum perfectam & unicam, ipsa natura quam præscribit. Præscribit enim ut in quaq; actione prænoscamus finem, impedimenta semoveamus, remedia & media admoveamus. Sed præterquam quòd hîc veluti in tabella quilibet contuetur studiorum rectè instituendorum rationem, etiam id utilitatis ex hac descriptione redit ad studiosos, ut condiscant, quomodo cujusq; disciplinæ Canonicam formare, quomodo Metaphysicæ, quomodo Physicæ operam dare debeant. Nunc obsigno hanc Canonicam, & typo methodico, itemq; piâ coronide obsigno.


Peroratio Canonicæ.

Utilitas Canonicæ.

Typus Canonicæ.

- Canonicæ
  - Definitio, *cap.1.*
  - Distributio
    - Propoſita, *cap.2.*
    - Expoſita per tres partes, quarum
      - Prima eſt de fine ſtudiorum, *cap.3.*
      - Secunda de novem impedimentis ſtudiorum, *cap.4.*
      - Tertia de mediis: quorum conſiderantur
        - Communes affectiones numero ſeptem: ut
          - 1 Precatio, *cap.5.*
          - 2 Studium ſanctæ vitæ, *cap.6.*
          - 3 Diligentia, *cap.7.*
          - 4 Ars meditandi, *cap.8.*
          - 5 Ars oblivionis, *cap.9.*
          - 6 Ordo, *cap.10.*
          - 7 Ars prænoſcendi ingenia, *cap.11.*
        - Species. Media ſunt
          - Communia, *cap.12.*
          - Propria, duo: videl. cura
            - Studiorum, quæ eſt
              - Cognitio
                - Lectio, *cap.13.*
                - Auſcultatio, *cap.14.*
              - Actio. Eaq;
                - Scriptio, *cap.15.*
                - Exercitatio
                  - Adornatio L. C. *c.16.*
                  - Interrrogatio, *c.17.*
                  - Examen, *c.18.*
                  - Declamatio, *c.19.*
                  - Disputatio, *c.20.*
                  - Diſciplinarum ſcriptio, *c.21.*
            - Peregrinationis, *c.22.*

Talis etiam est typus Canonicæ, quam piâ hac coronide obsignamus. Agimus tibi gratias immortales, ô immortalis & gratiose Deus, Pater misericordiarum, quòd nos non solùm ad imaginem tuam condidisti, sed etiam magistros suffecisti & præfecisti in schola Naturæ & Gratiæ. Rogamus te, clementißime Deus, da, ut tuis illis donis rectè utamur; ut finem, ad quem conditi sumus, nunquam ex animis dimittamus; ut impedimenta & hostes studiorum profligemus; ut denique media legitima adhibeamus, tibi in honorem, nobis & aliis in fructum, Amen.




PERORATIO PRÆCOGNITORUM PHILOSOPHICORUM.

Habetis, lectißimi juvenes, præcognita philosophica breviter & perspicuè à nobis delineata; è quibus duplicem, nisi me animus fallit, capietis utilitatem. Nam non solùm naturam & studium philosophiæ pernoscetis; sed insuper, quomodo præcognita singularum disciplinarum, addo & facultatum, informari debeant. Sicut enim quatuor faciunt ad philosophiæ naturam atque studium intelligendum: ita & totidem cujusque disciplinæ naturam & studium ob oculos ponunt. Vis Metaphysicæ tradere præcognita? Dic, ea agere de ejus natura & studio. Vis Physicæ? Eodem modo progredere. Naturam Metaphysices explicabis archelogiâ, hexilogiâ, & technologiâ. Præcognoscere enim debes ejus principia, ejus genus, & denique convenientiam cum aliis disciplinis, & differentiam ab iisdem. Studium ejus explicabis in Canonica Metaphysica. De reliquis disciplinis idem esto judicium. Quòd si hæc methodus quibusdam (nam

quî poterit omnibus) probabitur, melioribus scilicet animabus, mihi abundè gratulabor; sin minùs, hoc tamen consequar, ut admonitus & correctus doctior evadam. Fac igitur, Lector, homo homini erranti ignoscas, homo hominem labentem erigas, atq; dirigas. Id unicè te rogo atq; obtestor. Quod superest, Deo Opt. Max. pro omnium humano generi necessariarum & utilium disciplinarum illustratione, gratias toto pectore agamus, voventes, ut huic Regi seculorum æterno, immortali, invisibili, & soli sapienti Deo sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

FINIS.

A ΣΚΙΑΓΡΑΦΙ'Α '



ΙΆ ἈΡΧΗΛΟΓΙΆΣ.

